John Carter Brown
Library
Brown University

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

90-

Matthiæ Quadi

COMPENDIVM VNIVERSI complectens

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBROS SEX,

EX QVIBVS TOTIVS TERRArum orbis ſitus vniuerſaliter ac particulariter, regionum & aquarum qualitates, vrbium primordia, gentium mores, ferarum genera, mirabilia Mundi, variarum item rerum euentus, non minus quàm in ampliſſimo Theatro videri ac percipi poſſunt.

EX OPTIMIS VT PLVRIMVM TAM VETEris quàm huius æui ſcriptoribus excerpta, in ordinem concinnum digeſta, & in epitomen hanc redacta per Matthiam Quadum Sculptorem.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus VVilhelmi Lutzenkirchij.
ANNO cIↃ. DC.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, PATRI, AC DOMINO, D. LOTHARIO, ARCHIEPISCOpo *Treuirenſi, Sacr. Rom. Imperij per Galliam & Regnum Arelatenſe Archicancellario, Electori Septemuiro, Domino ſuo omni reuerentia obſeruandiſſimo.*

NVLLVM adeò ſpectaculum Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. Præſul, tum iucundius tum homine dignius, omnium ſanæ mentis hominum iudicio eſſe conſtabit, quàm Vniuerſitatis huius Naturæque conſideratio; qua Cœlum, Terras, Maria, rerumque ferè omnium ſitum, formam, naturamq; perſpicimus; generationis corruptioniſque & modum & cauſam, diuturnitatem ac interitum rerum, vnde generatæ, quò recurrant, quid ſtabile, quid caducum, quid diuinũ æternumque ſit videmus; ipſumq; moderantem & regentem Deum penè deprehendimus. Quarum quidem rerum notitiam ad bene beateque viuendum, haud quaquam ſufficere nemo Chriſtianorum negabit, quin audiatur ex ſinu patris egreſſus vnigenitus Dei filius, & eſſentiam & voluntatem eius, cultumque quo proſequendus is ſit nobis patefaciens. At ne illud quoque negaturum quempiam opinor, poſt adeptam ex verbo

Dei ipſius notitiam, colendique & inuocandi modum, piæ menti iucundius nihil eſſe poſſe, quàm hæc Diuinitatis indicia veſtigiaque, & hãc de Deo Opt. Max. famam ſparſam in creaturis õmnibus perſequi, eaſq; diligenter & attentè quaſi concionantes nobis de Deo audire. In quo contemplationis genere cùm Coſmographiæ ſtudiũ facilè palmam obtineat, quòd rerum multitudine, grauitate, maieſtate, magnitudine, varietateque nulli cedat, quòd ad omnia reliquarum diſciplinarum genera percipienda, ad hiſtorias (quibus poſt Theologiæ & iam dictum ſtudium fortaſsè tertius honor debetur) ritè intelligendas; ad itinera terra marique quaqua verſum libuerit, artificioſè compendioſeque dirigenda, vtilitatem & commoditatem habeat non aſpernandam. Si præterea ſtudium aliquod humanum dici mereatur, id nemo negabit eiuſmodi fore, quo pariter & docti & indocti delectentur ac commoueantur: aut certè ſi qui eo minus afficiantur, minus etiam humani videri queant. cuiuſmodi meritò Coſmographiæ Geographiæque ſtudium cenſeri poteſt: id enim quis eſt qui non amplectatur, miretur ac ſuſpiciat, eoque ſuauiter reficiatur. Mortalibus enim omnibus ita natura comparatum eſt, vt in terris Mundoq; viuendum, verſandum, commorandumque ipſis ſit, terra ipſorum domicilium exiſtente, ac materia prima ex qua conditi ſunt: ex humo ſiquidem homo dicitur. Et Corn. Tac. in libello ſuo de Germania refert in commune Germanos Herthium, id eſt, terram matrem coluiſſe. Quid itaque turpius

quàm

quàm id cui initium noſtrum omnes debemus, in quo degamus, gloriemur, cuius poſſeſſionis auidiſſimi ac penè inſatiabiles ſimus, ignorare? Laudamus enim, ſuſpicimus ac veneramur admirabundi eos, qui in procul ſitas regiones ac prouincias puta in Palæſtinam aut Terram Sanctam Aethiopiam, Indiam, Calecutium, vnde aromata aduehebantur, inueſtigaturi olim profecti, aliquando ſalui reduces in patriam reuertuntur. Vulgus quoq; magnum decorumque æſtimat Hiſpanias peragraſſe, Herculis columnas adiſſe, ac Barbariæ Mauritaniæque vidiſſe littora: & inter Germaniæ milites illi honori ſibi ducunt, qui aliquot abhinc annis Melitæ inſulæ in præſidio fuêre. Aureo torque ornantur, & Aurati equites dicuntur qui Syriã Palæſtinamve ingredi auſi ſunt. At iſtum honorem ſuo ſibi iure vſurpabunt, qui Americæ, Anthropophagorum, Canibalumque non littora tantùm, ſed & intima eius terræ regna aggredi auſi ſunt: aut Orbem vniuerſum circumuecti, non Moluccas tantùm in Oriente inſulas; ſed à tergo etiam in eum ipſum locum vnde prius exierant, rediêre. Neque enim immeritò in homine vel mediocriter attento eiuſmodi commendantur itinera peregrinationeſque, cùm Vlyſſem Homerus ab eximia ſapientia commendaturus dicat eum eſſe qui mores populorũ multorum viderit & vrbes. Vtiliſſimum verò hoc ſtudium cum priuatis tum publicis: inter hos enim qui rebus præſunt publicis, qui regnórum, caſtrorum, ciuitatumve gubernaculis præfecti ſunt, huius non exiguam experiuntur vtilitatem, ſi

eius vel mediocriter periti ſint: idque imprimis ſi populorum & gentium mores,ritus,& conſue tudines (quarum demum rerum obſeruatio ſapientiæ prudentiæve ſuſpicionem gignit haud vulgarem) locorum adijciātur deſcriptionibus. Neque pœnitendam etiam hinc capiunt vtilitatem qui negotiationi merciumque commutationi incumbentes, & ijs in exteras & longinquas regiones deportandis operam dant; dum terrarum, itinerum, viarumque ſitus, impedimenta, commoditates,pericula, diſtantiaſque; nec non & Marium flexus,ſinus,Charybdes, Syrteſque inuias;portuum inſuper emporiorumq; loca commoda in promptu & cognita habent. Præter has non minores Geographiæ vtilitates ſunt in Politica ciuilique adminiſtratione:multæ etiam in his nequaquam inferiores ſunt,vel ipſis Imperatoribus maximè, vt ſciant quo loco in hoſtium regiones exercitus commodè ducatur; vbi tranſmittendus rapidus vſpiam fluuius, vbi accliues colles,montes præcipites, inuiæ paludes, denſiſſima nemora,aperti campi, clandeſtini vallium acceſſus: quæ ſingula rei gerendæ pro arbitrio, non raro maximum momentum habere ſolent: intelligere loca caſtris idonea,cum commeatus facilitate coniuncta, ex vicinæ terræ qualitate aëris ſalubritatē cognoſcere, quo minus orta lues militem abſumat:ac huius generis plurima; quæ quàm ſint pulchra,nemo non videt. At verò apud literatos, qui fidelis Geographiæ cognitio emolumenti habeat,omnibus palam eſt, nullam aut hiſtoriam aut fabulam rectè ſine Geographiæ

cogni-

cognitione accipi poſſe. quin & Philoſophiam magna ex parte mutilam ac mancam eſſe, ſi Geographiæ ignara ſit, quod Strabo ſtatim initio ſui operis plurimorum illuſtrium virorum exemplis comprobat. In hiſtoria autem, quis eſt qui non intelligat, quantum lucis ex loci, quo quęuis res geſta ſit, circumſtantia, accedat legenti: cuius notitia nullis artibus præterquam Geographiæ comparari poteſt. Cùm igitur aliquot abhinc ſeptimanis rogatu ciuis cuiuſdam noſtri ac Bibliopolæ Colonienſis, Opuſculum hoc in Enchiridij formam redegiſſem, nemo mihi occurrebat cui laborem iſtum qualemcunque nuncupare commodius poſſe viderer, quàm ſoli tibi, Reuerendiſſ. atque Illuſtriſſime Princeps; maximè vt hac occaſione auguſtiſſimæ Dignitati tuæ, ad quam proximè concordibus Eccleſiaſticorum procerum ſuffragijs euectus es, humiliter gratulari poſſem, & ſacratiſſimæ functioni tuæ felicia omnia precari, exemplo pauperis iſtius viatoris nixus, qui cùm in ipſo momento digniori munere Darium Regem ſibi obuium pro terræ iſtius conſuetudine ſalutare non poſſet, etiam manu aquæ hauſtum ei offerre non verebatur: quod etiam tantum Regem pro rei conditione minimè auerſatum fuiſſe hiſtoria teſtatur. Etiamſi autem nequaquam dubitem, quin ſi Geographicarum rerum lectione animum ſuum oblectare Celſit. T. quærat, abundè ſibi præſtantiſſimorũ tam vernaculi quàm Latij ſermonis authorum elaboratiſſima volumina ex bibliotheca ſua depromere queat; tamen cùm plerique eorum tantæ ſint am-

plitudinis vt obambulantibus circumlatui non ſint, in Enchiridion hoc ea quæ cognitu digniſſima videbantur contulimus, vt etiam cuiuis viatori citra moleſtiam comes eſſe poſſit inſertis interim ſuo loco paucis ijſque præcipuis tabellis geographicis; præ ertim cùm hoc ſeculo nuſquã non tam plebeiorum quàm Nobilium parietes ijs veſtitæ conſpiciantur. Hoc igitur munuſculũ noſtrum gratulatorium ſi Celſ. T. hilariori vultu ſuſceperit; dabimus operam vt (Deo iuuante) illuſtriori poſtmodo, Tuæque Celſitudinis digniori honorario propenſum noſtrum ac beneuolum erga Celſ. T. animũ demonſtrare valeamus. Deus Opt. Max. gratiam ac ſpiritum ſuum Diuinum Celſ. T. largiri dignetur, ad omnia pietatis opera exercenda, quò & tranquillitati Eccleſiæ, ſubditorumque tuorum ſaluti longo tempore conſulere poſſis: eamque quam nactus es ſpartam ita exornes, vt poſt hanc vitam cœleſti iſta ciuitate cum reliquis Chriſtianæ Eccleſiæ luminibus Celſ. T. in æternum fruatur. Ex celebri Agrippinenſium Colonia, Pr. Id. Iul. Anni 1599. Conſulibus Arnoldo Sygenio, & Ioanne Hardenradio.

Celſs. T.

obſeruandiſſimus

Matth. Qu. cælator.

ELENCHVS HVIVS OPERIS.

INtroductio in lectionem Coſmographicam. ac primùm quidem de nominis huius origine. fol.1.
De Facultatis huius vtilitate. fol.3
Declaratio ſiue explicatio nominum quorundam appellatiuorum, in Coſmographicis enarrationibus frequentiſsimorum, ita vt verè totius Geographiæ ſubiectum dici poſsint. 6

Geographicarum enarrationum liber primus.

De Mundi creatione ac conſtitutione breuis inſtructio. 15
Diuiſio Globi terreſtris in partes ſuas. 21
Africa, vna cum inſulis ad ipſam pertinentibus. 24
De ſitu Cœleſti Africæ, & cur deſerta ac inculta. 26
De præcipuis Africæ fluuijs & lacubus. 29
De Capitibus ac promontorijs, deq; præcipuis animalibus Africæ. 32
De alijs quibuſdam Africæ proprietatibus. 35
Africæ antiqua diuiſio. 37
De Barbaria, prima Africæ parte. 39
De Marocco Barbariæ regno. 42
De Barbariæ regno Feſſa. 48
De regno Teleuſino, ſiue Tremiſeno Barbariæ. 54
De regno Tunetarum Barbariæ. 56
De Barcæ territorio quinta Barbariæ parte. 61
De Numidia ſecunda Africæ parte. 62

De

De Libya Africæ parte tertia. 64
De terra Nigritarum, quæ quarta Africæ pars eſt. 69
Diuiſio regni Nigritarum. 71
De reliquis Nigritarum regnis. 76
Superior ſeu interior Aethiopia, vbi Abyßinorum ſiue magni Regis Dauidis eſt Imperium, quem vulgò Presbyterum Ioannem vocant, quinta Africæ pars. 80
De regnis Abyßinorum ad altam Aethiopiam pertinentibus. 68
Aethiopia inferior, ſeu exterior, 6. Africæ pars. 90
Zanzibar, ſeu Zanguebara terra, quæ ſecunda eſt inferioris Aethiopiæ pars. 92
Benomotanæ regnum, quæ tertia eſt inferioris Aethiopiæ pars. 95
Cafrariæ & Manicongi regna, Aethiopiæ inferioris partes quarta & quinta. 97
Inſulæ circa Africam inſigniores: ac primùm de inſula Portus Sancti, & Madera. 100
Canariæ inſulæ, olim Fortunatæ. 102
De reliquis ad Africam pertinentibus inſulis. 103
Aegypti diuiſio in tres partes; & Nili fluuij deſcriptio. 100 *De Aegypti qualitate.* 114
De Aegyptiorũ vario dominio, eorumq́ religione. 119
De Tentyritis Aegyptiorum populis, ac denique vrbibus Aegypti. 123
Cairus ſiue Mẽphis, totius Aegypti vrbs maxima. 125
Vrbis Alexandrinæ deſcriptio. 129
De Pharo inſula, Roſetta arce, ac Damiata vrbe. 132
De Troglodytarum regione. 133

Geo-

Geographicarum Enarrationum Liber II.

De Aſia, ſecunda Orbis Terrarum parte. fol. 138
Diuiſio Aſiæ in regiones ſuas. 139
Generalis Aſiæ enarrationis pars vltima. 145
De ampliſſima nobiliſſimaq; Arabiæ terra. 151
Vlterior narratio de Arabiæ proprietatibus. 156
Indiæ deſcriptio. 162. Vlterior de India narratio. 166
De cultu ac moribus Indorum. 172
De potentiſſimo Perſiæ regno. 174
De Ormo vrbe, & vnionũ prope eam collectione. 176
Suſiana. 178. Aſſyria, & regna Aſſyriorum. 180
Mediæ regnum. 184 Parthia. 186
De Imperio Cathay. 188
De prouincijs quibuſdã magno Cham ſubiectis. 192
De prouincia Mangi. 193. De regione Tangut. 195
Scythia Aſiatica extra Imaum montem. 198
De illuſtribus Scythiæ mulieribus, quas Amazones vocant. 201
De Tartaria quæ olim Scythia fuit, atque de illius gentis moribus. 203
Quomodo Tartari domi viuant, & de ſuperſtitionibus eorum. 206
Aſia minor, quæ olim propriè Aſia, hodie Natolia dicitur. 207
De Turcarum origine, primoq; eorum Imperatore Othomanno. 211
De militia & moribus domeſticis Turcarum. 214
Quid Turcæ credant, & quomodo Deum colant. 216
De Mahumete Saracenorum pſeudopropheta, eiusq; ori-

origine & peruerſitate. 120
Mahumetes armis ſibi ſubijcit multas Orientis regiones. 226
Palæſtinæ, ſeu Terræ ſanctæ deſcriptio. 228
Galilæa ac Samaria. 231
Iudæa, Idumæa, & Phœnicia, regiones. 234
Vrbis Hieroſolymitanæ deſcriptio. 238
Deſcriptio Templi Hieroſolymitani. 242
De veſtibulis ſiue atrijs Templi. 240
Quomodo vrbs hæc, cùm à Tito Cæſare funditus eſſet euerſa ac deleta, ab Aelio Adriano Cæſare inſtaurata ac reædificata, de ipſius nomine Aelia ſit appellata. 247
Deſcriptio vrbis Aeliæ ſiue Ieroſolymæ, ſecundum formam quam hoc noſtro tempore habet. 252
De Templo ſancti Sepulchri. 253
De Tẽpli Salomonij hoc noſtro tẽpore dipoſitiõe 255
De cæteris ædificijs vrbis Aeliæ, varijsq́ue ſancti Sepulchri ordinibus. 258
De reliquis ſancti Sepulchri religioſis. 260
Nobiliſſimi Ducis Godefridi Bulonij in Terram ſanctam expeditio. 266
De cæteris Ieroſolymorum Regibus Godefridum ducem ſecutis. 269
Hieroſolyma captis & deletis Regibus in Aegyptij Sultani poteſtatem deuenit. 273
Hieroſolyma in Selimi Turc. Imperatoris poteſtatem deuenit, in qua etiamnum eſt. 275
Ridiculum quoddam vaticinium, ſiue ſtulta perſuaſio Iudæorum, &c. 277

Geo-

Geographicarum enarrationum
Liber III.

Europæ generalis enarratio. 296. *Angliæ regnũ.* 299
Scotiæ regnum. 319. *Hiberniæ regnum.* 326
De potentiſsimo Hiſpaniæ regno. 329
De Portugalliæ regno. 332
De inſulis Hiſpaniæ. 335 *Galliæ regnum.* 338
Lotharingiæ Ducatus. 350
Burgundia inferior, quæ Ducatus nõie cenſetur. 353
Antiquiſsima ac nobiliſsima Italia. 356
Flaminiæ ſeu Romandiolæ prouincia. 359
De magnificis Lombardiæ vrbibus: Mantua, Brixia, Cremona, Mediolano, & Papia. 363
Vrbis Romæ breuis (ſi dignitatem ſpectare volueris) deſcriptio. 368
Potentiſsimæ Venetiarum vrbis deſcriptio. 371
Centum Italiæ vrbes breuiſsimè quoad celebritatem deſcriptæ. 374 *Corſicæ inſulæ deſcriptio.* 377
Sardiniæ inſulæ deſcriptio. 380
Siciliæ inſulæ regnum. 383
Cretæ ſiue Candiæ inſulæ deſcriptio. 386
Græcia. 389
Thraciæ ac Bulgariæ deſcriptio. 392
Conſtantinopolitanæ vrbis deſcriptio. 395
Hungarici regni, ac Tranſyluaniæ principatus (vulgò Septem Caſtrorum) deſcriptio. 399
Narratio quædam chronica præcipuarum in Hungarico tractu rerum geſtarum. 403
Ampliſsimi Moſcouiæ Ducatus deſcriptio. 411
De Moſcorum conditione ac moribus. 415

Polo-

Poloniæ regnum.419 Oſvviecz enſis & Zatorienſis Ducatus.423 Lithuaniæ Ducatus.426.Liuoniæ deſcriptio.428.Daniæ regnum, olim Cymbrica Cherſoneſus.430. Dietmarſiæ prouincia. 434

Geographicarum enarrationum Liber IV.

De Germania generaliter. 438. Sclauonia, Boſnia, Croatia, Dalmatia.442.Archiducatus Auſtriæ.445 Bohemiæ regnũ.448.Heluetia.451. Morauiæ Marchionatus.455.Sileſiæ ducatus.458.Pruſſiæ ducatus 461.Pomerania,& Brandeburgenſis Marchionatus 464.Saxoniæ ducatus Electoralis.467.De pueris ingreſſis in montem Hammeliæ.471. Miſniæ Marchionatus.472.Mansfeldiæ Comitatus.475. Franconiæ ducatus.478.Sueuia.481.Salisburgenſis Epiſcopatus.484. Bauariæ Ducatus. 487. Palatinatus ſuperior.491. VVirtenbergenſis Ducatus.494. Alſatia ſuperior.498.Alſatia inferior.501.Palatinatus Rheni.504.Haſſia Comitatus prouincialis.508.Brunſuicenſis ducatus. 511. Comitatus VValdeccenſis.513. VVeſtphaliæ tractus.516.Monaſterienſis Epiſcopatus 519.Colonienſis Diœceſis.523. Vrbis Agrippinenſis particularis deſcriptio. 526. Hiſtoria recuperatæ libertatis Reip.Col.& heroicum Grynæi Conſulis facinus.530. Treuirenſis Archiepiſcopatus.536. Iuliacenſis Ducatus.539.Cliuiæ Principatus.543.Germaniæ Belgiæ deſcriptio. 546. Geldriæ Ducatus. 549. Groningenſis ager.553.Friſia Occidẽtalis.556.Hollandiæ Comitatus. 558. Zelandiæ Comitatus. 563 Brabantiæ Ducatus. 566. Flandriæ Comitatus.570.

Namu-

vid p. 564 / 2½

Geograph.enarrat.Liber V.
Terræ Auſtralis per Magellanum inuentio. 591
Magellanus per fretum anguſtum ab Occidente venit in Oriente ad varias inſulas vbi interijt. 594
Hiſpani ad Moluccas perueniunt. 598
Prima Columbi nauigatio. 602
Columbus inuentis nouis inſulis redit in Hiſpaniam, ac claſſe parata reuertitur ad Canibalos. 604
Plurimas præteriens Admirans inſulas, varios ſuorum euentus experitur. 606
Tertia nauigatio Columbi ad nouas inſulas. 609
Petrus Alonſus, item Pinzonus Admirantis ſocius nouas inſulas quærunt. 611
De quatuor nauigationibus Americi Veſputij ad nouas inſulas. 613. *Secunda nauigatio Veſputij.* 617. *Tertia & quarta Veſputij nauigatio.* 619. *Franciſcus Pizardus Gonzalli filius Truſiglienſis Iberus Peruuiæ ſubactor.* 621
Generoſiſſimus Renatus Laudonnierus Franciçæ in Americam claſſis Dux. 623
Noui Orbis pars Merid. Peruuia dicta, & de Caſtella aurea. 626. *Peruuia minor, ſiue ea Peruuiæ pars, quæ toti terræ nomen tribuit.* 628. *Chilæ prouinciæ deſcriptio.* 641. *De Braſiliæ ampliſſima regione.* 641. *Inſulæ circa Nouum Orbem.* 649
Geograph.enarrat. Liber VI.
America Septentrionalis Noui Orbis pars. 653. *Noua Hiſpania.* 634. *Nicargua, Iucatan, Florida, Apalchen, & Norumbega, prouinciæ.* 658
Noua Frãcia terra Corterialis, & Eſtotilandia. 660

Groen

Namurcenſis Comitatus. 573
Lucenburgenſis Ducatus. 575
Hannoniæ Comitatus. 578
Modus creandi Imperatoris. 581
Inaugurandi Cæſaris modus, & ceremoniæ. 585
Groenlandia, & Icaria Inſulæ. 662
Islandiæ inſulæ deſcriptio. 663
Schetlandia & Friſchlandia inſulæ. 666
Scandia. 666 Norvvegiæ regnum. 668
Suedici regni deſcriptio. 671
Inſulæ Sinus Codani ſeu Maris Orientalis. 675
De monſtris ac mirabilibus aliquot tractus Noruegici Marinis ac terreſtribus. 678
De miraculis Mundi antiquis. 682
De noſtri ſeculi ſtructuris illuſtrioribus. 684
Monaſterij S. Laurentiani deſcriptio. 690
Carmen Boêtij. 703
Breuis declaratio menſurarum Geometricarũ. 704
De ſtadijs. 704
Exempla aliquot eorum. 705
Romani quomodo miliaria paſsibus metiebãtur. 706
Verſus de ijſdem. 706
Alia tabula menſurarum Geometricarum ex Petro Apiano, & Gualtero H. Riuio. ibid.
Fragmentum Nicolai Reuſneri de vetuſtiſsima Germanorum origine. 709
Ad Germaniam Paræneſis Georgij Sabini. 713

INTRO-

VNIVERSI ORBIS DESCRIPTIO



INTRODVCTIO IN LECTIONEM COSMOGRAPHICAM; AC PRIMVM QVIDEM DE nominis huius Origine.

COSMOGRAPHIAE dictio licet Græca ſit, adeò tamen apud omnes frequens eſt, vt etiamſi ἔτυμον ipſius permulti ignorent, ſignificationem nihilominus eius longo vſu ſibi cognitam fecerint. Cùm autem & Coſmographiæ & Geographiæ appellationes à nonnullis indifferenter accipiantur, hoc tamen diſcriminis habent, quod Coſmographia propriè Mundi deſcriptionem; Geographia verò Terræ deſcriptionem ſignificet. Per mundum etenim non ſolùm Terreſtrem globum, ſed totam interiorem Cœli machinam cum ſphæra illa terreſtri in ſe comprehenſa intelligimus. atque huic facultati affinis planè eſt Aſtronomia, dum principia, motus, affectiones, & paſſiones cœlorum ac ſtellarũ. Per Terram autem animaduertendum eſt, non eam hîc ſtrictè accipi debere ſub propria ac ſtricta ſua ſignificatione, ſcilicet vt vnum eſt ex quatuor Elementis; ſed intelligendum eſſe globum illum Terræ & Aquæ

ſimul, quem communiter Mundum vocamus, qui ſcilicet ab animãtibus habitatur. Eſt itaque Geographia iuxta nominis deriuationem illa ars ſeu facultas quæ deſcribit Mundum, vel maiorem portionem eorum quæ in eo ſunt, veluti ſunt Prouinciæ, Vrbes, Oppida, Maria, Flumina, Lacus, Montes, Promontoria, & aliæ partes principales ipſius Mundi; ſtudendo vt hæc omnia delineata ſint, tum ſecundum habitudinem & poſitionem quam adinuicem habent, tum etiam reſpectu Cœli. Neque verò harum rerum muta tantummodo pictura; ſed declaratio quoque & enarratio iſtarum quæ viua fit voce: ſic vt pictura tibi formam ſeu habitum rei ob oculos ponat; vox autem nomen, ingenium, mores, virtutes, vitia, & ſi quæ præterea dici poſſunt, eius tibi ſignificet ac declaret.

Coſmographiæ definitio.

Geographia.

Porrò & ipſam Geographiam bipartitam faciunt: vnam accipiunt eam, quæ deſcribit globum terrenum reſpectu partium magis vniuerſalium, ac obſeruat ordinem ſitumque locorum inter ſe & reſpectu poſitionis Cœli. Altera pars propriè Topographia, ſeu Chorographia, appellatur; quę ſcilicet verſatur in deſcriptione locorum particularium, nullo habito reſpectu ad partes Mundi maiores, & ad loca circumuicina. Sunt interim nõnulli qui Coſmographiam non intelligunt ſub hac tam ſtricta ſignifica-

Topographia.

ficatione, deſcriptionis ſcilicet vniuerſi: & hi quidem propriam obſeruant interpretationem huius vocis COSMOS, quæ ornamentum ſignificat; vnde aiunt Coſmographiam illam eſſe facultatem, quæ deſcribit & narrat naturas ac proprietates regionum locorum, & rerum ipſis contentarum: mores item gentium, ac omnia conſideratione digna, quæ diuerſis temporibus acciderunt, nullo habito reſpectu manſuræ locorum tam inter ſe, quam collatione ad Cœlum. Putant verò Geographiam eſſe particularem facultatem, quæ agit ſolummodò de Terra, & de hac Mundi parte cognita, & habitata reſpectu diſpoſitionis, diſtantiarum, & ſitus cuiuſcunque loci, tam inter ſe, quàm comparatione ad Cœlum. Hæc certè diſtinctio ſi vera eſſet, Strabonis opus ab ipſo inſcribi debuiſſet Coſmographia, quia pertractat de qualitatibus locorum; de moribus gentium, & de alijs huiuſmodi rebus, quæ ſecũdum iſtos potius Coſmographicæ ſunt; nihilominus Strabo edidit libros ſuos ſub nomine Geographiæ.

DE FACVLTATIS HVIVS vtilitate.

HVius verò facultatis vſus ac cognitio quàm ſit vtilis & neceſſaria nemo eſt qui ignoret, ita vt de eo verba

facere ſuperfluum penè videatur. Nulla profectò eſt vſquam alia facultas, cui hæc magno ornamento non ſit, & cui auxilium non ferat maximum. Primùm itaque Hiſtoria adeò indiget hac cognitione, vt ſine ipſa nullum poſſit afferre lectori fructum: ſiquidem Hiſtoria nihil aliud eſt quàm ſimplex & ſincera narratio eorum quæ acciderunt; quæ narratio in duobus præcipuè fundatur, nempè in tempore & in loco, vbi aliquis ſucceſſus contigit. Non poteſt igitur curioſus Lector ex Hiſtoria verum haurire ſenſum ac intelligentiam, niſi habeat ante oculos aliquam picturam ſeu deſcriptionem Geographicam, vt videre poſſit ſitus locorum, quorum in hiſtoria fit mentio. Eadem ratione Geographia neceſſaria valdè eſt Theologię: ſiquidem ea permultis abundat hiſtorijs ſacris, vt videre eſt in Geneſi, in Exodo, atque etiam in Epiſtolis D. Pauli, & in Actis Apoſtolorum, vbi frequenter fit mentio Aegypti, maris rubri, deſerti Arabiæ, & plurium vrbium ac locorum Europæ, Aſiæ, atque Africæ. Quantum præterea Philoſophiæ ſit neceſſaria, amplam præſtant fidem Ariſtotelis & Platonis volumina, quæ in permultis locis obſcuritate nimia laborarent abſque Geographiæ intelligentia. Et Strabo quidem in primo ſuæ Geographiæ libro refert, primos, qui de hac facultate ſcripſerũt, famoſiſſimos fuiſſe Philoſophos. Geographia

phia etiam plurimum medicinæ conducit, afferendo climatum diſtinctionem, ac oſten dendo locorum varietatem, quorum cognitio ad dignoſcendas animalium ſtirpiumque varietates ac qualitates iuuat. Quod ſũmè vtilis Legali diſciplinæ ſit, ex hoc conſtare poteſt, quod locus noſtrarum actionũ ſit Terra & Aqua vbi habitamus, niſi igitur Geographia diſtingueret Continentes, Maria, ſtatus & regiones Principum ac priuatorum, notando diligenter eorum fines ac terminos, omnia quidem confunderentur, nec Principes ipſi ſcire poſſent quouſque dominia ipſorum extenderentur; ſed continuò inter eos contentiones, lites, ac bella verſarentur, quod etiam inter priuatos homines contingeret. Aſtronomiæ pariter ob motuũ Cœleſtium cognitionem Geographiæ adeò eſt neceſſaria, vt intelligi nequeat abſque illa; cùm apparentiæ quæcunque Cæleſtes ad nos referantur, qui ſecundum variam Cœleſtis ſpheræ poſituram in diuerſis terræ locis habitamus: vbi tanta dierum ac noctium varietas accidit, tantaque in Ortu & Occaſu ſyderum differentia. Non prętermittam militarem diſciplinam, nauigatoriam artem, & mercaturam ſine Geographiæ cognitione mutilas ac imperfectas eſſe. Adhæc quantam adferat delectationem curioſis ad intelligẽdum varietatem locorum, populorum, animalium, auium, herbarum, & lapidum,

atque hiſtoriam multarum aliarum rerum mirabilium, quæ multis in locis animaduertuntur, cuilibet intelligenti iudicandum relinquo: cùm permulti reperiantur, qui curioſitate capti diuerſis locis peragrarent, niſi domi detinerentur hiſtoria rerum tantummodò contenti, dum ea cognitioni Geographicæ conſociant. Poſtremò Geographica hæc facultas Principibus viris adeò neceſſaria eſt, vt ipſimet eam fundarint, mittentes per vniuerſum Mundum homines eruditos ad varietatem Regionum ac locorum explorandam.

DECLARATIO SIVE EXPLIcatio nominum quorundam appellatiuorum, in Coſmographicis enarrationibus frequentiſſimorum, ita vt verè totius Geographiæ ſubiectum dici poſſint.

TOtius certè Geographiæ ſubiectum eſt Mundus, id eſt, Vniuerſitas aquarũ, & omnis terra aquis non operta, quæ duo corpora vnam abſoluunt ſuperficiem ab hominibus habitatam. Non intelligimus autem Geographum agere de Mundo & ſuis partibus, quatenus corpora ſunt naturalia, quod ſanè ad naturalem Philoſophum ſpectat; ſed potius pertractare de ſuperficie terræ & aquæ, quatenus variè à viuentibus habitatur, & quatenus refertur ad circulos

Cœle-

Cœleſtis ſpheræ: quoniam Geographus vniuerſum deſcribit Mundum, ſeu potius partem eius cognitam ac habitatam, declarando terminos ac fines prouinciarum ac inſularum, eorumq́ue magnitudines, ambitum Oceani, omniumq́ue Marium; originem fluminum & fontium, ac eorum curſum; lacuũm & ſtagnorum amplitudinem ac ſitum; vrbium, oppidorum, aliorumq́ue locorum memorabilium ſitũ ac poſituram congruã, tum inter ſe, tum Cœli reſpectu: ſiquidem multa ſunt quæ à Geographo conſiderantur quorum quædam ad Maria pertinẽt & loca maritima; alia ad terræ partes; alia verò ad flumina, ſtagna, valles, aliaq́ue loca aquoſa, quæ quidem omnia ordine recenſebimus, vt vſui eſſe poſſint ad Coſmographicæ lectionis intelligentiam.

Oceanus propriè eſt ingens illud Pelagus, ſeu totius Aquæ præcipuũ corpus, quod vniuerſam ambit Terram, eamq́ue veluti in partes ſecat: ſic dictus ob eius velocitatem, quia magna velocitate per interiora Maria diſcurrit. Atque hunc Belgæ proprio nomine **die zee** appellant, quod ex Ocea. contractum videtur. Habet verò varia nomina à diuerſis Mundi partibus cui ea Oc. pars, à qua ſic nuncupatur, aut vicina eſt, aut proximum eam adeundi viam monſtrat.

Mare autem tantummodo membrum eſt ſeu brachium vniuerſi iſtius corporis

æquo-

æquorei quem Oceanum dicimus, licet hodie per incuriam etiam à doctiſſimis ac peritiſſimis Geographis Maris & Oceani nuncupatio confundatur. Rectè namque dicimus Oceanus Indicus, Ocea. Occidentalis, Oc. Virginius, Oc. Athlanticus, Aethiopicus, &c. non autem Mare Occidentale, Virginium, &c. Rectè dicimus Oceanus Germanicus, & Mare Balticum; itemque Oceanus Hiſpanicus, & Mare Mediterraneum; non autem Oceanus Balticus, Oceanus Hadriaticus, Mediterraneus, Euxinus &c. Siquidem omne id Mare dici poteſt in quod vel ex Oceano vel alio Mari (quod ſcilicet propius Oceano ſit) non niſi per fretum deueniri poteſt. vnde etiam Mediterraneum illud, quod magnitudine reliqua Mundi Maria antecellat, κατ' ἐξοχὴν per totam fermè interiorem Europam Mare appellatur. Huius autem diſcriminis rationem copioſiorem cognoſces ex Prolegomenis Geographiæ noſtræ Germanicæ, quæ proximis Nundinis Authumnalibus, Deo volente, in lucem prodibit, in qua nullis foliorum numeris aut limitibus incluſi, prolixius de omnibus Mũdi rebus diſſerere licebit; cùm hîc intra Epitomes terminos me continere cogar.

Littus eſt illa terræ pars, quæ ab aquis tangitur, & fluctibus aquarum pulſatur.

Sinus eſt littus curuum ad ſinus ſimilitudinem, quod quaſi brachijs partem Oceani aut

aut cuiuſuis Maris fluminiſve recipit. Differt ſinus à Mari, quòd ingreſſus ſinuum amplior ſit ipſo ſinu, vt in tabulis monſtrat Sinus Aquitanicus & reliquorum: in Mari autem tanquam in portu amplo ac ſpacioſo lateas, ex quo in Oceanum, ſeu in quod ex Oceano aditus nullus niſi per fretum pateat, vt in Balticum peruenire ex Oceano Germanico non potes niſi per fretum Danicum: ex Oceano Occidentali in Mare Mediterraneum, niſi per fretum Herculeum: ex Mediterraneo illo vniuerſali in Euxinum, non niſi per Helleſpontum: ex Ponto Euxino in Mæotidem, niſi per Tauricę Cherſoneſi fretum. &c.

Fretum eſt Maris brachium anguſtum, inter duas terras, ſic ab vndarum fremitu vocatum, & ſignificat mare ſuapte natura mobile, vt eſt Fretum Gaditanum inter Hiſpaniam & Africam.

Portus eſt locus Maris, Oceani, aut cuiuſuis etiam magni fluminis, concluſus: ſeu paruum Mare vel à natura vel ab hominibus factum, tantæ profunditatis, vt tutò recipere poſſit quoduis altum nauigium, vbi ſcilicet naues & triremes hyeme ſtationem faciunt, tanquam in loco tuto.

Inſula eſt terræ pars quæ vndique aquis alluitur, vt Sicilia, Hybernia, Inſula Scythica in Danubio, Zelandia in Mari Baltico, Thule in Oceano.

Peninſula vocatur quaſi penè inſula, quæ non ab omni parte aquis circundatur, ſed iugo aliquo, ſeu brachio Continenti ſeu terræ ſolidæ annectitur. Græci autem hanc Cherſoneſum vocant. ſuntque Peninſulæ Peloponneſus, quę Achaię cõiuncta eſt: Taurica Cherſoneſus, quæ Tartariæ: Cimbrica Cherſoneſus, quæ Germaniæ &c.

Iſthmus eſt arcta terra inter duos aquarum ſinus, vt eſt Corinthiacus, quo Peloponneſus Græciæ coniungitur.

Promontorium dicitur Montanum, quod conſpicua altitudine in Mare prominet: quã uis hodiè frequenter etiam pro quouis brachio vel ramo terræ (vt ſic loquar) in Mare protenſo accipiatur.

Caput, appellatio in tabulis hodiè frequentiſſima, in hoc ſaltem à Promontorio differens, quod promontorium longius in Mare protendatur. Caput autem maioris cuiuſdam terræ aut angulus aut quaſi tuber ſit. omniumque hodiè famoſiſſimum eſt illud Bonæ Spei Caput in Auſtralibus Africæ finibus. Et notandum quòd ſemper duo ſeu Capita ſeu Promontoria ſibi propius oppoſita neceſſariò Fretum efficiant.

Continens ſeu Continuum dicitur omnis terra ſolida ſiue firma, quæ nec inſula, nec peninſula, nec iſthmus eſt; ſed tota ſibi conſtat & cohæret.

Regio eſt terræ pars, quæ à Rege regebatur:

tur:nam priuſquam prouinciæ fierent regiones, ſub Regibus erant, ab eiſq; regebantur.

Regnum dicitur tam Regio ipſa Regi ſubiecta quàm ipſe dominatus.

Prouincia dicebatur omnis regio longè ab Italia bello acquiſita, quòd eam Romanus populus prouicerit. Vt plurimum tamē hodie Regio & Prouincia confunduntur, & ſine diſcrimine accipiuntur.

Vrbs congregatio eſt plurium domorum illuſtrium ſpectabiliorumve, quę muris cincta validis, reliqua oppida amplitudine ac magnificentia duplo triplove excedens.

Oppidū dicebatur olim omnis vrbs præter Romam quæ ſola per excellentiam vrbs vocabatur. Poſtmodo tamen etiam apud veterum quamplurimos intelligebantur vrbes maiora inſignioraque Oppida, vt Carthago, Corinthus, Athenæ, Numantia & cæt. Chriſtianorum quidam hodiè vrbes accipiunt eas quæ proprium habent Epiſcopum, vel Archiepiſcopum, vel Patriarcham: reliqua verò oppida ipſis dicuntur. Vrbium porrò aliæ ipſis ſunt Metropolitanæ, quæ ceu parentes alias ex ſe vrbes generant, ſunt tamen qui metropolim vrbem eam vocent, quæ primaria eſt ipſius Regionis vel Prouinciæ. Aliæ verò ſunt Coloniæ, quæ in hunc modum à maioribus Ciuitatibus conditæ ſunt, quando ſcilicet ab illis mittuntur coloni ad eas inhabitandas.

Empo-

Emporium eſt vrbs, vel oppidum nundinarium, ad quod gentes ex multis terræ partibus negociationis cauſa confluunt.

Vicus intra oppidum vel vrbem intelligitur via domorum ſeriem complectens. Sed extra oppidum vel vrbem Vicus idem eſt quod pagus.

Pagus aggregatum eſt ruſticanarum domorum, quæ nullis mœnibus clauſæ ſunt.

Caſtellum eſt paruus vicus muro circundatus.

Villa propriè intelligitur domus extra vrbem. rariùs pro pago accipitur.

Ciuitas propriè eſt collecta ciuium multitudo & ſocietas, moribus, legibus & inſtitutis gubernata. Plerunque etiam pro oppido & vrbe accipitur.

Tugurium eſt ruſtica habitatio tecta ex vlna paluſtri.

Mons eſt tumor terræ altiſſimus, ab eminendo dictus, & ferè omnes habent ſua particularia nomina.

Collis eſt minor mons, & quaſi monticulus.

Vallis eſt planities terræ inter duos montes concluſa.

Conuallis eſt planities omni ex parte à montibus collibuſve concluſa; ſic dicta, teſte Varrone, quaſi cauata vallis.

Campus eſt amplum magnumque terræ planæ ſpatium.

Ager

Ager ſignificat partem quandam ipſius territorij vrbis,quę priuatim ab aliquo poſſidetur: quandoq; verò capitur pro ipſomet vrbis territorio.

Territorium eſt terræ ſpacium circa vrbem,vel oppidum,ad ipſum pertinẽs, quod colonis relinquitur.

Fons eſt,vbi aqua è terra ſcaturit.

Fluuius, Flumen, Amnis: aqua eſt continuè decurrens, & perennis, quæ ab aliquo fonte,vel lacu emanat.

Torrens eſt fluuius,qui non à fonte vel lacu fit,ſed à pluuiatili aqua, vel à niuium liquefactione in valles deſcendit hyeme præſertim, æſtate tamen vt plurimum ſiccatur.

Stagnum eſt, quod temporalem ibi aquã ſtagnantem habet, quæ plerunque hyeme colligitur,ſed æſtate ſiccatur.

Palus eſt aquæ quantitas quaſi mortua, quæ non decurrit,ſed ſæpè exſiccatur.

Lacus eſt locus profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, qui nullum habet in mare exitum,niſi mediante aliquo fluuio,& hic quidem quandoque riuos efficit, & fluuios.

Oſtium eſt fluuiorum patens aditus.

Puteus qui perpetuas habet aquas, & de viuo fonte manantes,ein Schepfbrun, dictus quod puteat ex alumine & ſulphure ſæpè,

dum

dum cauatur: huius diminutiuum eſt puteolus. Nunc ad rem ipſam pergamus, ac primùm quidem Orbis terræ, ſeu potius Globi terreſtris compendium, ſicuti eum inſerta tabella (cuius author Mercatoris filius Rumoldus extitit) ob oculos nobis ponit.

(†‡†)

GEO-

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER PRIMVS.

DE MVNDI CREATIONE ac conſtitutione breuis instructio. Caput 1.

STVDIOSVS Geographiæ ante omnia conſideret Mundi creationem hoc modo: Deus conſtituto puncto, quod nũc Mundi centrum eſt, pro ſede & quiete grauium, maſſam liquidam informem creans, quam Chaos vocant, illi eam iniecit, excitatoque vehementi ſpiritu eam agitauit, agitando craſſiora grauioraque diſcreuit, quæ centro ſe ad æquilibrium applicantia, terram & aquam in vnum corpus figuræ ſphæricæ dederunt, cuius centrum punctus ille qui ſedes eſt grauium exiſtit, ſupra hoc corpus vt leuiora & nobiliora quæque ita ſuperiorem locum obtinuerunt, lucidaque materia in globos paulatim collecta, Lunam, Solem, Stellaſque reddidit, quæ ratione primi mobilis, ſupremi inquam Cœli ſuper polis æquinoctialis ſiue Mundi ab Ortu in Occaſum rapiuntur, noctem diemque diuidentes, ac ſuper alijs polis, eclypticæ videlicet, proprio motu ab Occaſu in Ortum, alię citius, aliæ tardius circumuoluuntur. Vt autem terra habitationi animalium accommoda foret,

tus ille quo placuit Deo vndas in altum attollens, alibi montes, & altiorem terræ aream cõgeſſit & ſolidauit, alibi cauaturas & ſinus effecit, in quos fluxilis aqua deſcenderet; & quò in æquilibrio penderet tota machina, noſtræ Continenti quæ Aſiam, Africam, & Europam comprehendit, alteram quam Americam ſiue Nouam Indiam vocant; ex oppoſito obiecit. Et quia hæ duæ Continentes pro maxima parte ſupra Aequinoctialem verſus Polum Arcticum ſunt ſitæ: ideo his ſub Polo Antarctico tertiam continentem oppoſuit, aquis vndique inter ſe communicantibus; vt tota terræ & aquæ machina vndique æquilibris eſſet & conſiſteret, omneſque partes ex quauis regione adnauigabiles redderentur. Hæc ex Gerardi Mercatoris (piæ memoriæ) lucubrationibus deſumta & annotata ſunt, vt naturali Orbis ſpeculatione imbueretur lector ad altiora eius conditi myſteria aditum aſpiraturus. Huius iam ſphærici corporis conuexam ſuperficiem contemplaturus Geographiæ ſtudioſus, aſtris illud ſubijci, & pro illorum ſitu varia ipſi accidentia contingere obſeruet, quæ ratione circulorum, quibus aſtrorum motus, diſtantiæ, & tempora determinãtur, illi obueniunt. Sunt autem circuli ad Geographiam cognitu neceſſarij, Aequinoctialis illique Paralleli ſiue æquidiſtantes, & Meridiani. Porrò quia hi circuli in plano non eodem modo quo in ſphæra exprimi poſſunt, quòd ſphæræ ſuperficies in planum eruata eadem partium ad inuicem habitudine depingi nequeat, ſciet Lector eam complanandæ ſphæræ rationem hac in figura obſeruatam eſſe, quam Gemma Friſius

Circulorum vſus in ſphæra.

ſius

ſius in ſuo planiſphærio adinuenit, quæ omnium longè optima eſt. Etſi enim gradus à Centro verſus circumferentiam creſcant, vti in gradibus Aequinoctialis vides, tamen latitudinis longitudiniſque gradus in eadem à Centro diſtantia eandem ad inuicem proportionem ſeruant quam in ſphæra; & quadranguli inter duos proximos parallelos duoſque Meridianos rectangulam figuram habent, quemadmodum in ſphæra: ita vt regiones vndiquaque omnes natiuam figuram obtineant ſine omni tortuoſa diſtractione, creſcente tamen verſus exteriora magnitudine, propter graduum longitudinis latitudiniſque incrementum, quod dixi. Ex quo etiam fit. vt Paralleli, qui in ſphæra Aequatori ſunt Aequidiſtantes, hîc circulares appareant, cùm Aequator ſit recta linea, per medium hemiſphærij media inter vtrumq; Polum diſtantia ducta, quæ diuiditur in 180. gradus: quippe dimidiũ tantum Aequinoctialis in vno circulo, dimidium alterum in altero continetur, quia dimidium totius ſphæricæ ſuperficiei tantũ in vno circulo cõpręhendi poteſt, nequaquã tota, ita vno circulo totam veteribus cognitam continentẽ compręhendimus, nimirum Europam, Aſiam, & Africam. Nouum autem Orbem ſiuę Indiam nouam altero circulo: Continente interim Auſtrali in vtrumque circulum incidente. Dicitur autem Aequinoctialis circulus ab Aequinoctio, quod ſol in eum perueniens efficit; idque bis quotannis contingit, circa 11. nimirum diem Martij & 14. Septembris. Sol enim ſuper polis Zodiaci proprio motu, anno

Aequinoctialis vnde dictus.

vno eclypticam permeat obliquè Aequinoctialem ſecans & ad 13. cum dimidio gradus ab illo verſus vtrumque polum recedens, vbi tropicus Cancri & Capricorni notantur. Meridiani ſunt circuli per Aequinoctialis ſectionem quamuis & polos Mundi deſcripti. Ideo Meridiani dicti, quod in illo conſtituto Sole meridies ſit omnibus qui ſub eodem in eodem hemiſphærio duobus polis terminato habitant. Nunc quid hi circuli mutationis, queve accidentia in regiones & diuerſas phæræ partes adferãt, audi Meridiani longitudinem locorum, & longitudinis ſiue horarum differentiam duorum quorumlibet locorum indicant. Conſtituerunt autem Geographi initiũ longitudinum in Meridiano qui per occidentaliſſimam inſulam Canariarum ducitur: & inde verſus Orientem longitudinem computant, quia propius aſtrorum motus, per quem longitudines locorum obſeruantur, ab Occaſu in Ortum tendit. Differentia autem longitudinis duorum locorum ex diſtantia Meridianorum vtriuſque, quæ in Aequinoctiali pateſcit, cognoſcitur. Vt ſi Meridiani illorum 30. gradibus in Aequatore à ſe mutuò diſtent, erit differentia longitudinis eorum 30. graduũ & duarum horarum differentia: ita vt cum in Occidentaliore fuerit hora decima, in Orientali erit duodecima: duabus enim horis Sol ab Orientalioris Meridiano peruenit ad Occidentalioris Meridianum: motu diurno enim viginti quatuor horis totum terræ globum ambit.

Præterea diuiduntur Meridiani in 360. gradus,

dus, quolibet nimirum 10. complectente; quemadmodum Aequinoctialis, & numerantur ab Aequinoctiali vtrimque ad Polum nonaginta gradus; qui verſus polum Arcticum deſignant latitudinem Borealem, verſus Antarcticum verò Meridionalem, & quotquot in eodem Meridiano eodemque hemiſphærio polis terminato ſunt, loca diuerſæ latitudinis, eandem ſemper eodem momento horam numerant: vt cùm vnus computat horam octauam cum dimidia, reliqui omnes tantundem numerant. Paralleli item circuli (quos minores vocant, quia eorum planities non per centrum Mundi tranſit) à Meridiani gradibus deſignantur iuxta eorum latitudinem. ſic Tropici duo, Cancri & Capricorni, gradum latitudinis 23. cum dimidio in Meridianis omnibus occupant. Arcticus autem & Antarcticus circuli 66. cum dimidio latitudinis gradum occupant: qui circuli Zonas quinque comprehendunt: inter duos Tropicos ſitam, torridam vocant, quòd Sol perpetuò ſuper ea verſans omnia ibi torreat, & intenſum calorem adferat. duæ inter Tropicos & Arcticum Antarcticumque Temperatæ dicuntur, quòd medio modo inter calidiſſimam & frigidiſſimam ſe habeant. Reliquæ intra Arcticum vna, & intra Antarcticum altera, frigidæ ſunt, vtpotè à Sole remotiſſimæ.

Paralleli. *5. Zonæ.* *Temperatæ Zonæ.*

Rurſum quia in diuerſa latitudine etiam diuerſa ſit quantitas diei cuiuſque, diſtinxerunt vniuerſam latitudinem ab Aequinoctiali ad Polum vſq; per certos aliquot Parallelos,

Horarum ratio.

in quibus primus latitudinem notat, in quâ maxima dies maximaque nox ſuper perpetuā æqualitatem, quæ eſt in æquinoctiali quadrante vnius horæ creſcit, ſecundus illam in qua dimidia hora, tertius in qua tribus quadrantibus, & ſic deinceps: donec Parallelorum vicinitas per ſemihoras tantum differentias conſiderat, tandem etiam per horas integras, dies, hebdomedas, menſes: ita vt ſub Polo vnus dies atque vna tantummodo nox annum integrum emetiantur. Inter hos Parallelos conſtituerunt veteres quinque ſpacia quæ climata appellarunt, primum à tertio Parallelo ad quintum vſque, ſecundum hinc ad ſeptimum, tertium ad 9. quartum ad 11. quintum ad 13. Hucuſque putabant Orbem habitari, vlterius non, propter intenſius frigus. Ab Aequinoctiali etiam vſque ad tertium vtrimque Parallelum (quod eſt medium torridæ Zonæ) propter nimium æſtum inhabitabilem credebant. Poſteriores tria climata verſus Polum addiderunt. Ac tandem inuentum eſt totam vndique Terram habitabilem eſſe, & ſub Aequinoctiali temperaſiorem (opinione multorum) calorem eſſe, propter breuiorem Solis pręſentiam, vt qui perpetuò duodecim tantùm horis ſupra Horizontem manet. In frigidiſſima autem Zona propter longiſſimos dies æſtate calidiorem opinione aërem eſſe, noctuque propter ventorum raritatem ac debilitatem minus infrigidari. Ipſe tamen in Noruegiæ finibus comperi etiam in ipſo Solſtitio æſtiuo, aërem ob continuam ſolis pręſentiam eò calidiorem nequaquam fuiſſe: licet enim perpetuò videri

potue-

potuerit, & quaſi nunquam occiderit, eò tamen propior Terræ minimè fuit.

DIVISIO GLOBI TERRESTRIS in partes ſuas. Cap. 2.

NVnc vniuerſi Orbis diuiſionem in pręcipuas eius partes afferamus. Olim maiores noſtri totius Orbis habitabilis portionem in tres diſtinctas præcipuaſque partes diuiſerunt, Europam ſcilicet, Africam, & Aſiam: quibus poſteri quartam partem adiunxerunt, quæ nunc America dicitur, intra centum annos adinuenta, ipſiſque antiquis prorſus ignota. Quę tamen ſi magnitudinem ſpectes, duabus aliarum portionibus æquari poteſt. Ex recentioribus quidam vniuerſum Orbem in partes duas ſecant, in Veterem ſeu Antiquum Orbem, quem Terram Ptolemaicam vocant, & in Nouum Orbem, quem Terram Athlanticam vocant. Antiquus Orbis eſt, qui Ptolemęo, Straboni, Plinio, Melę, & alijs priſcis temporibus à naucleris Regum Portugalliæ, Hiſpaniæ, & Gallię detectus eſt. Congruentiore tamen forma vniuerſus Orbis tam cognitus quàm incognitus in ſeptem principales partes diuidi poteſt, quarum primę tres ſunt Europa, Africa, Aſia, antiquę ſcilicet Orbis partes: quarta eſt America Septentrionalis (cui Orbis parti Americę nuncupationem hoc in libello relinquemus) & Sanuto Athlantica Septentrionalis, quę potius Continens eſt in qua ſunt prouinciæ Eſtotilant, Terra Laboratoris, Terra de Baccalaos, Noua Francia, No- *Europa. Africa. Aſia. America*

America. Norumberga, Florida, Noua Hiſpania, & aliæ. Quinta eſt America Auſtralis ſeu Meridionalis, & Sanuto Athlantica Meridionalis, quæ peninſula eſt, atque à ſuperiore Iſthmo quodam diſcreta, regiones Breſiliam, Tiſnadam, Garibanam, Paguanam, Peruuiam, ac alias continens. hanc tamẽ Noui Orbis partem breuitati ſtudentes Peruuiam vbique vocabimus, à nobiliori in ea prouincia, ſicut & Aſia à nobiliori ſui parte (quam alio nomine Natoliam hodie vocant) Aſiæ nomen generaliter retinet. Borealem verò eius partem vbique Americam vocabimus. Sexta pars eſt Terra Auſtralis, ſeu Continens Auſtrális recenter detecta, cuius quidem littora penitus circumluſtrata iam aliquoties fuêre, interius tamen nondum cognita eſt. in hac Regio eſt Pſittacorum, Terra del Fuego è regione Freti Magellanici, Beac prouincia aurifera cum Lucach & Maleſur regnis, inter maiorem & minorem Iauam poſita, & aliæ incognitæ regiones. Vltima verò pars eſt Terra Borealis, quæ omnium minima eſt, ac penè incognita, & in quatuor Inſulas diſtributa, quæ diſpoſitæ ſunt circa Polum ipſum Arcticum. nam ſub ipſo tradunt ſcriptores eſſe rupem nigram & altiſſimam 33. circiter Leucarum ambitu, & circum hanc illas eſſe Inſulas, inter quas Oceanus 19. oſtijs erumpens, quatuor Euripos facit, quibus indeſinenter ſub Septentrionem fertur, atque ibi in viſcera terræ abſorbetur. Ex his Euripis vnus, quem facit Oceanus Scythicus quinque habet oſtia, nec vnquam propter celerem fluxum, ſuique anguſtiam congelatur: alter verò

Peruuia.

Terra Auſtralis.

Terra Borealis.

Euri-

Euripus è regione Inſulæ Groenlandiæ, quæ tribus ingreditur oſtijs, & quotannis ad tres menſes congelatus manet, latitudo eius eſt 37. leucarum. Inter hos autem duos Euripos iacet Inſula ſupra Lappiã & Biarmiã, quam Pygmæi inhabitant, quatuor ad ſummum pedes longi. Refert autem Anglus quidam Oxonienſis hos quatuor Euripos tanto impetu ad interiorem voraginem rapi, vt naues eos ſemel ingreſſæ nullo vento retroagi poſſint, neque ibi vnquã tantum eſſe ventum vt molam frumentariam circumuoluere ſufficiat: quæ etiam Giraldus Cambrenſis in ſuo de mirabilibus Hiberniæ libello affirmat. Atque hæc de globi terreſtris partibus, quæ licet Continua vbique appellentur, reuera tamen nihil aliud quam immenſæ ſunt inſulæ, ſiquidem omnes vndiqu aq; aquis Oceani circumdantur: Continua tamen ſeu Continentes eos appellamus reſpectu reliquarum inſularum, quæ vt quantitate Continuis hiſce æquipari minimè poſſunt, ita innumerabiles penè ſunt, varijs & formis & quantitatibus: nunc ad ſingulas partes pergamus, eaſque cum ſuis regnis, prouincijs, vrbibus, alijſque notatu dignis percurramus. *Pygmæi.*

AFRICA, VNA CVM INSVLIS ad ipſam pertinentibus. Cap. 3.

PArs terræ habitatæ in Meridiem vergẽs, quam nos Africam, Græci Libyam vocant, vna eſt ex tribus Orbis partibus veteribus cognitis, quæ ſanè ex toto ipſis explorata nequaquam fuit; tum quia in Mediterraneis ob vaſtiſſimas ſolitudines impermeabilis videbatur, in quibus arenoſa ſunt inuolucra, quibus à vento agitatis gentes periclitantur; tum quia immenſæ ac periculoſæ fuit nauigationis, ac proinde à paucis olim circumnauigata, multoque minus perſpecta aut propius cognita, inter quos præcipuè fuêre, Hanno Carthaginenſium dux à ſuis ad eam explorandam miſſus, & Eudoxus quidam Ptolemæum Latyrum Regem Alexandriæ profugiens. His tamen proximè elapſis temporibus pluries à Luſitanis circumnauigata eſt, ac ſatis diligenter cognita, præſertim iuxta littus ab Herculeo freto, ad fauces fermè Arabici ſinus. Primus verò qui promontorium Bonæ ſpei prætergreſſus, Africam à Meridie incognitam præternauigauit, fuit Vaſco de Gama anno 1497. qui hinc ad Calecutum Indiæ peruenit, & viam ad Orientales Indias aperuit, non ſine immenſo Luſitanorum quæſtu. Dicta autem fuit lingua Arabica IERIECHIA, à verbo Faruca, idem apud hos ſignificante quod apud nos diuido; cùm hæc pars ſit à reliquis terræ partibus ſeparata: ab Europa quidem Mediterraneo Mari, & ab Aſia Mari rubro, ſeu vt quibuſdam placet ſinu Perſico, vt hac ratione triangularis reddatur.

Vaſco de Gama.

Africæ ἔτυμον.

datur. Sunt tamen qui velint ſic dici ab Ifrico Arabiæ Felicis Rege, quem primum omnium hanc terram incoluiſſe aiunt. Sed Feſtus eam à Græco vocabulo Φρίκη appellatã vult, quod horror ſeu frigus ſignificat, quaſi Africa, id eſt, ſine horrore aut frigoris rigiditate dicatur, quod ſit aperta Cœlo, & arenoſa, arida, ac ſabuloſa. Ioſephus verò ab Afro quodam ex Abrahæ poſteris alij verò ab Afro Herculis Libyci filio dictam volunt. Sed Libya à Græcis vocata fuit, quia à Libe Rege Mauritaniæ olim fuit perdomita, apud quos Heſperia etiam nũcupatur. In ſacris Literis CHAMESIA ab Arabibus, & Aethiopibus Alkebulam, & ab Indis Beſecath vocatur. Eſt autem huius forma ſeu figura ad Peninſulæ inſtar, quæ Iſthmo, qui eſt inter mare Mediterraneum & mare Rubrum, Aſiæ coniungitur, ac duplo fermè Europam excedit: tametſi habitatorum illius vix partem habeat mediam, licet itaque ſecundùm longitudinem ab Occaſu in Ortum Africa breuior ſit quàm Europa aliquibus in locis: attamen in Meridiem plurimum recedit, vt ei nullo pacto Europa conferri poſſit: hæc enim ſecundũ latitudinem prope gradus 70. complectitur: Europa verò gradus tantummodo 35 huc accedit quòd vniformis magis ſit Africa & capacior; Europa verò multiformis, & Mari alicubi diſperſa & inuoluta. Tametſi autem Africa longè capacius habeat ſolum quàm Europa, nihilominus non tam frequentis ac commodæ habitationis eſt vt illa. Nam huius tellus inhabitabilis pluribus in locis eſt, cuius rei cauſæ potiſſimum ſunt, aquarum inopia, ſolum pleriſ-

Africæ forma.

Africa ſolũ.

pleriſque in locis incultum, & aut ſterilibus arenis, & inani puluere ſeu cinere obductum, aut Solis ardoribus cuncta exurentia obnoxiũ: deinde moles arenarum periculoſæ, quæ dum ventis agitantur, perinde atque in Pelago procellæ fluctuant: denique venefici generis animalium & beſtiarum tantus prouentus, vt alicubi ægrà, alicubi nullo pacto præ illis infeſtiſſimis ager, tametſi fertilis, coli aut habitari queat. Vnde vniuerſa hæc regio magis vaſta eſt quàm frequens; ſed vbi colitur, eximiè fertilis eſt, ac frequentior eſt illi cultus, præſertim Borealior pars quæ Europam ſpectat, vbi olim inhabitata prorſus fuit, vt permulti aſſerunt Coſmographi & Hiſtoriographi, ſic quoque vniuerſa ora maritima inter Caput Bonæ ſpei & Caput Nigrum multas continet planities, colles, valles, ac frugifera loca & amœna, vnde iſthic perpetuò ver apparet, & alibi etiam ſatis fertilis eſt, vt paſſim infra in particularium eius regionum tractatione dicetur.

DE SITV COELESTI AFRICAE, & cur deſerta ac inculta.

Cap. 4.

AEquinoctialis circulus mediam penè Africam ſecat, quæ non tam vtrunque Tropicum attingit, ſed vltra eos gradibus penè decem expanditur. vnde maiori ex parte intra Tropicos iam dictos ſub Zona torrida iam clauditur: qua vel ſola cauſa

ſqual-

ſquallere tot locis & deſertam eſſe priſci crediderunt; licet hoc vaſtis potius ſolitudinibus, ſabuloſo ſolo, ac ſterilibus arenis, nec non etiam inopiæ aquarum & fontium tribuendum rectè ſit. Quare poſſidet tria integra priora climata Borealia, & totidem Auſtralia: nam locatur inter vndecimum parallelum Borealem & inter vndecimum antiparallelum, ſiue Auſtralem, qui æquè ambo ab Aequatore in diuerſas partes dimouentur. Circa verò vtrumque extremum maior dies eſt horarum 14. cum quadrante, & circa medium eſt horarum præcisè duodecim. At verò iuxta longitudinem occupat Cęli tractum inter Meridianum per gradum 4. ductum, & inter Meridianum 82. gradus longitudinis, vbi ſcilicet eſt eius maxima latitudo à Capite rubeo ad Caput Guardafu, quod eſt Aromata promontorium Ptolem. Africæ fines Leo Africanus nimis anguſtè aſſignauit, quippè Aegyptum & Aethiopiam ab hac terræ portione excludens. Sed Ptolemæum ex parte & moderniores ſequi, terminantes ipſam à Septentrione Mari mediterraneo, ac freto Herculeo: ab Ortu Mari rubro, ac Iſthmo Aſiæ inter Mediterraneum & Rubrum Maria coniuncto: à Meridie vbi ad Caput Bonæ ſpei in acutiem finit, immenſo Oceano abluitur quem Aethiopicum ex parte nominant à vicina regione is nominis: ab Occaſu vero ſupra lineam Aequinoctialem Oceano Atlantico pulſatur, quem Ptolemæus Occiduum, & Dionyſius Heſperium vocat, cuius etiam pars vulgo Mar del Nort dicitur, ſed infra lineam Aequinoctialem ab hac etiã *Africa fines*

parte

parte Oceano Aethiopico exponitur. Habet Africa montes plurimos & maximos, inter quos principem tenet locum Atlas, qui immanibus & ſupra quàm credi facilè poſſit altis iugis, è media Arenarum vaſtitate conſurgẽs

Atlas mons.

extollitur; vtpotè ſupra nubes: ſuum autem ab Occaſu exortum habet, vbi & Atlantico Oceano nomen imponit, inde perpetuo dorſo variè flexus extendit ſeſe Orientem verſus ad confinia Aegypti loca, eſt autem rotundus, arduus, inciſis vndique rupibus præceps, ac inuius, frigidiſſimus, ſterilis, opacus, omnique ex parte nemoroſus, ſcatebris fontium riguus, verticem nubibus ſemper tectum habens, ſqualidus item qua parte Oceanum ſpectat; qua verò Africam minorem proſpicit opimus eſt naſcentibus ſponte frugibus, arboribus opaciſſimis, quæ veſtiuntur lanugine ſericis velleribus nihilo viliore. Montis huius vertex altis etiam æſtate niuibus operitur: quin etiam & eius dorſum incrudeſcente Borea nonnunquam alta niue arbores ſuperante tegitur, qua non tam pecudes quàm homines interimuntur. Præterea fontes qui iſthic reperiuntur ſummo Aeſtu frigidiſſimi ſunt, adeò, vt ſi quis manum in eis aliquamdiu immerſam teneret, eam facilè exanimaret ac perderet. Præter Atlantem mon-

Fontes frigidiſſimi.

tes celebres ſunt illi qui à Portugallenſibus dicuntur Pici fongoſi, in Meridionali parte. namque ob eorum altitudinem & aſperitatem inacceſſibiles ferè ſunt, qui etiam nudi, deſerti, ac omni bono carentes ſunt. Præterea mons altiſſimus efformat promontorium illud quod vulgò Cabo de ſierra leona dicitur, quod ad maxi-

maximam diſtantiam viſu percipitur: huiuſce montis vertex ſemper nubibus obumbratur, ex quibus ſæpè tonitrua ac fulgura emanant: vnde ipſum Ptolemæo, & Hannoni Carthagi-nenſi Currum Deorum fuiſſe vocatum, non-nulli cenſent. Montes Lunæ veteribus etiam cogniti ſub Tropico Capricorni locantur, aſ-perrimi ſanè ac incredibili altitudine, à genti-bus feris ac inhoſpitalibus inhabitati, propè quos ſunt valles immenſæ profunditatis, adeò vt illic cētrum Terræ eſſe videatur. Sunt etiam Cantaberes montes in Angolæ regno mineris argenti opulentiſſimi, & alij etiam, de quibus ſuo loco. *Lunæ montes.*

DE PRAECIPVIS AFRICAE fluuijs & lacubus. Cap. 5.

LAcus aliquot immenſi iſthic ſunt, qui maria potiùs eſſe viderentur, quorum præcipuus eſt Zembre à nonnullis vo-catus, inter altiſſimos montes ſitus, diſtans ab Aequatore verſus Meridiem gradibus vnde-cim, cuius ambitus ad quinquaginta millia pa-tet, ex quo ortum ſuum ducunt Nilus, Zaire, & Cuama amnes: atque in eo monſtra mari-na eſſe nonnulli affirmant. Continet Africa immenſos fluuios, Nilum, Nigrum, Senagam, Gambram, Zaire, Cuamam, & Spiritus ſancti, qui omnes eiuſdem naturæ ferè ſunt. namque irrigatione ſua terram mirificè irrigant ac fer-tilem reddunt. Nilus quidem omnium totius Orbis amnium nobiliſſimus Aegyptum diui-dit, & fœcundiſſimam reddit ſua inundatione *Nilus fluuius.*

quæ

quæ quadraginta diebus creſcit,& totidem decreſcit,à die circiter 17.Iunij vſque ad 6. Octobris.& hic fluuius poſt longiſſimum tractum per Aethiopiam & Aegyptum in Mediterraneum mare exoneratur.

Niger fluu. Niger fluuius regionis Nigritarum ab indigenis Aſtabus vocatur, vt Solino placet, Arabicè Hued Nyar dicitur Marmolio teſte; Gambram hodiè eſſe Iouio videtur, & Senagam Cadamuſto. Sed vtrumque decipi ex deſcriptione Sarueti cõſtat, qui duos illos fluuios ſeparatim notat, hunc que putat illum eſſe, qui nunc vulgò Rio grande vocatur.Initium habet ſecundum aliquos ex quodam deſerto ad Ortum expoſito, cui nomen Seu eſt, vel à lacu quodam potius ſcaturit, & in Oceanum Occidentalem longo tractu fertur. Non deſunt etiam,referente Ioanne Leone,qui velint ipſum è Nilo deriuari,quem ſub terra ſeſe condere dicunt; vnde tandem huiuſmodi lacus naſci videtur. Amnis hic creſcit ad Nili inſtar per 40. dies, & totidem decreſcit circa idem tempus, atque ſua hac inundatione tantam fertilitatem Nigritarum ſolo adfert (quibuſdam tantùm montibus exceptis) vt nihil illis fructuoſius excogitari poſſit.

Senaga fluu. SENAGA, ſeu Ganaga notabiliſſimus fluuius, Baratis Ptolemæo(vt quibuſdam placet)vocatur, qui Nilo fluuio ob eius longiſſimum curſum, animaliumque multiplicitatem in eo conſpectorum, æquiparandus eſt, ſuo tamen alueo territorium ſterile ac nudum à fertili virentique ſegregat, quinetiam homines ipſos coloris varietate diuidit: nam qui citra ipſum

inha-

inhabitant,colore ſunt cineritio,macri, & exiguæ ſtaturæ: qui verò vltra ipſum degunt, nigerrimo colore infecti ſunt, proceram ſtaturam habent corpulentiamque,ac eleganti corporatura præditi ſunt; ſed circa eius ripam inhabitantes,medium quodammodo ſtatum inter hos ſeruant:duobus inſignibus oſtijs in Oceano Atlantico ſeſe expandit, quorum præcipuum ad miliare dilatatur. Oceanus autem in ipſum ingreditur ſexaginta penè miliarium interuallo: ſuos verò habet fontes,teſte Ioanne Barrio,tum à duobus lacubus,quorum maior dicitur nunc lacus Goagæ,& Ptol. ſunt Chelonidæ paludes; alter verò minor Ptolemæo eſt Nubæpalus: tum etiam à fluuio qui Ptolemęo Chir dicitur. Mittit autem fluuius Senaga magnam piſcium varietatem,& æquatilium animalium,vt ſunt Hippotami, id eſt, Equifluuiales,Crocodili,ſerpentes alati,& alia huiuſmodi. Elephantium greges circa ipſum reperiuntur,ſic etiā apri,leones,& leopardi. GAMBRA ſeu Gambea maximus etiam fluuius inter Senagam & Nigrum iacet, quem quidem Ptolemæi Stachit eſſe Sanutus cenſet: exoritur autem à Lybia palude,& à fontibus quos Ptol. Nigro amni aſſignat. Fluuius hic magnitudine ac profunditate ſua ſuperat Senagam, multiſque fluuijs barbaris augetur: profertque omnia animalium genera quæ etiam Senaga. In medio huius fluuij curſu iacet inſula Elephantum,ſic ab eorum maxima copia vocitata. ZAIRE prouenit ab eodē lacu à quo Nilus emanat; hic maximus eſt inter Africæ

Gambra fl.

Zaire fluu.

anti-

antiquis prorſus incognitus, cuius oſtia 28. propemodum miliaribus panduntur, vbi tutus fit portus, efficit ſuo curſu plures, magnaſque inſulas, ac multos recipiens fluuios, inter quos præcipui ſunt Vamba, Barbala, Coanza, & Lelunda, per regnum Maniaconghi diſcurrens tandem in Oceanum Aethiopicum ſeſe præcipitat. Ab eodem lacu qui eſt verus Nili fons, ortum etiam ducit inſignis ac memorabilis Fluuius, qui poſt longum tractum verſus Meridiem & Ortum in duos ramos diducitur, quorum Borealior dicitur propriè Cuama, atque maximus eſt, cùm ſex magnos Fluuios in ſe recipiat, ac nauigetur ad 70. miliaria. Alter verò Meridionalior dicitur Fluuius Spiritus ſancti, qui & ipſe maximus eſt.

DE CAPITIBVS AC PROMONtorijs, deq́; præcipuis animalibus Africæ. Cap. 6.

SVnt verò Africæ promontoria innumera, inter ea tamen famoſiſſima hæc ſunt: Caput Bonæ ſpei, Caput Viride, Caput Currentium, & alia. Caput Bonæ ſpei eſt vltimum terræ Africæ ad Meridiem, vt famoſiſſimum, ita & periculoſiſſimum, quod primum anno 1498. à Vaſco Gama, regnante Ioanne Portugalliæ Rege fuit eius iuſſu delectum. Hoc Caput nautæ Leonem Oceani cognominarũt, ob ventorum ibidem ferè ſemper ſæuientium rugitum: ſiquidem Oceanus circa ipſum mirè procelloſus eſt, ſæuientibus ibi perpetuò ventis,

AFRICA



Mare Mediterraneum
Sicilia
Candia
Cipro
Sardegna
Corsica
Hyspania
Strecho
P. Santo
Madera
Canaria
Maroco
Fessa
Algier
Tunis
BARBARIA
Tripoli
Alexandria
Cairo
Aegiptus
Bile dul
Siheca
Barcha
Sinai
Soria
Damasco
Ierusalem
Babilon
Arabia
Medina
Iambut
Salta deserta
Rabon
Ormus
REGNI PERSIAE PARS
TROPICVS CANCRI
Libyae deserta
Nigritani
Tombutu
Niger fl.
Nubia
Borno
Gago
Guber
MELLI
GUINEA
Melegete
Benin
Biafar
Mapan
Sinus Arabicus
Mecha
Sida
AYMAN
Magora
Arabia Felix
Zerzen
Cubit
Aden
Coro damu prom
Abbadalcuria
Dioscuria
Aromata prō
Barnagaso
Dangala
Bello
Dafila
Agaba
Dolas
Fatigar
Magadaso
Lamon
S. Croce
Aguate
Pato
Mare Rubrum
Insule de Capo Viridis olim Gorgades siue Hesperides
C. Verde
C. Rosso
MAR DEL NORT
San Paulo
C. de las palmas
C. de Verga
C. de trepontes
Isola del Principe
Maceira
Borca
AEQVINOCTIALIS CIRCVLVS
Santa Croce
S. Thome
y. de Nobo
S. Matheo
La Ascention
C. Primiero
y de Fernando de Lorona
C. Spichel
C. de S. Augustino
Golfo d'agua Santi
R. real
Bresilia
R. de S. Elena
La Trinite
Pars
R. del Brasil
y del poso
S. Maria
OCEANVS AETHIOPICVS
TROPICVS
CAPRICORNI.
Porto de Camboas
C. de Arcas
C. Negro
Plaia
C. de Conerida
Manicongo
S. Elena
Zaire
Zembre
Camus
Cefala
Melinde
Cemen
Quiloa
Penda
Morabique
Amazonum
Madagascar olim S. Laurentij
Y. de S. Lorenzo
S. Michel
Galera
Baixos
C. del Ambar
Bauagul
Manuch
Turmibaia
Capo Frio
y. de S. Catalina
y. de Minuaes
P. de don Rodrigo
Rio de la Plata idest Argenteus fluuius
C. Blanco
Plaia de Lagunas
G. de S. Antonio
G. d. S. Thoma
P. Grande
Punta de caineca
Y. de Tristan de Acuña
Y. de Goncalo Aluares
C. da buona Speranza
Baia hermosa
C. de las vacas
Ponta de S. Maria
Ponta primiera
R. de lago
y. de Iuan de Lisboa
Los Romeros Insule
330
340
350
360
10
20
30
40
50
60
70
80
90
100
110
G

nimal Arabicè dictum,& Afris Iesef,abiectum ac ſimplex eſt, magnitudine ac forma lupo ſimile,ſed pedes & crura hominis refert:hoc autem humana corpora ſepulchris euellit ac deuorat,at generi reliquo beſtiarum eſt innoxiū. Conſpiciuntur hîc quoque ſimiæ diuerſæ ſpeciei. Cuniculi ſylueſtres. Piſces & animalia aquatilia iſthic innumera ſunt in Nilo, Nigro, alijſque fluuijs principalibus,inter quæ eſt Ambara prodigioſæ formæ & magnitudinis,quippe qui interdum 25. cubitorum longitudinem attingunt: & hunc piſcem ambram emittere aiunt. Hippotamus bellua ad equiformam & aſini magnitudinem, in aquis pariter ac in terra degens, quæ interdum cymbas mercibus onuſtas frequentibus dorſi gyris agitando demergit Bos marinus, terreſtri omninò ſimilis, licet ſtatura ſit inferior. Tartaruca,teſtudo in deſertis vitam degens, quæ ad dolij magnitudinem interdum accedit. Crocodilus lacertæ ſimilis, longitudine 12. cubitorum circiter, & totidem cauda. Dracones craſſiſſimi & virulenti admodum hîc conſpiciuntur, multique ſerpentes, præſertim ceraſtræ,hydræ,& aſpides. Dub ſtellionis formam referens, brachij longitudine,& quatuor digitorum latitudine. creat quoque baſiliſcum malum ſingulare: atque etiam locuſtæ per vniuerſam Africam ſunt infeſtiſſimæ.

Aquatilia.

DE

DE ALIIS QVIBVSDAM Africæ proprietatibus. Cap.7.

MOrbis porrò permultis afficiuntur Africæ gentes, quos longum eſſet enarrare; ſufficiat autem hoc, morbum Gallicum aliquibus in locis valdè ſæuire, vt in Barbariæ tractu, vbi rarò aut nunquam priſtinæ ſanitati hoc morbo laborantes reſtituuntur. contrà verò in Numidia, ac in Nigritarum regione, & circa Atlantem paucis notum eſt hoc contagium: imò ſi quis hoc morbo affectus ad has regiones profectus fuerit, optimi aëris beneficio ſanitati abſque vllo medicamento reſtituitur. Peſtis barbariæ gentes quolibet annò decimo, decimoquinto, aut vigeſimoquintò infeſtat, quæ tamen in Numidia vix anno centeſimo accidit, & apud Nigritas nunquam accidiſſe ferunt. Quinque autem nationes ſeu gentes hanc Orbis partem inhabitant, nempè populi Caferes, id eſt abſque lege, Mauri, Abyſſini, Aegyptij, Arabes, & Africani propriè, qui ſunt duorum generum, albi & Nigritæ. Inter quas nationes alij ſunt gentiles, qui idola colunt: alij ſcholæ Mahumetanæ, alij Chriſtiani, alij Iudæi, quas gentes omnes ortum duxiſſe à Chamo Nohæ filio volunt, præterquam nonnullos Arabes ſtirpis Sem, qui Africam poſtea ingreſſi ſunt. Arabes autem Africam inhabitantes, in plures diſtribuuntur populos, qui varias habent manſiones, atque innumeras poſſident regiones. nam quidam ex eis circa Maritimam oram degunt, & hi Arabum nomen retinent: quidam

verò in mediterraneis permanent,& hi vocantur Baduini. Solent autem innumeri, Arabes cum vxoribus ac filijs vitam in deſertis agere vagam,tentoria pro domibus habentes,qui ſanè inſignes ſunt prædones, & incolis pariter atque negotiatoribus maximè infeſti. qua de cauſa viatores ac mercatores per Africæ deſerta ſoli permeare non audent, niſi carauana parata, quæ eſt ingens caterua mercatorum camelis & aſinis inſidentium, qui coniunctim iter agunt Arabum prædonum metu. Gentes præterea Africæ vario diuerſoque prorſus idiomate loquuntur,quorum vnum Aquel amarig vocatur,id eſt,lingua nobilis,quæ ab Arabibus Africam incolentibus Lingua nobilis dicitur.& hæc vera eſt & genuina Afrorum lingua, à reliquis omninò aliena,tametſi nonnulla habeat vocabula cum Arabibus communia. Eſt lingua Sungai qua vtuntur gentes Guabatæ, Zombati,Ghineæ,Mellidi,& Gagonti.Idiomate Guber vocato loquuntur Gubari, Canontes, Cheſonæ,& alij Nigritæ. Abyſſini ſuum habent ſermonem proprium. præterea iſthic in vſu eſt lingua Chaldaica, Aegyptiaca, Arabica, & ex his tribus alia quædam permixta. quin etiam ſermo Maurorum,Turcicus, Hiſpanicus, & Italicus aliquibus in locis, paucis abhinc annis, introductus eſt ab externis gentibus,quæ ibi commercij gratia commigrarunt, ſuaſque colonias fundarunt. Omnes verò Africæ ciuitates maritimæ à mari Mediterraneo ad Atlantem montem vſque, Arabico vtũtur ſermone corrupto, excepto tamen Maroci regno, & Marocco oppido quod barbara admodum vtitur lingua.

Idioma Afrorum.

AFRI-

AFRICAE ANTIQVA diuiſio. Cap. 8.

AFrica olim Romanorum ſæculo partita fuit in ſex prouincias, quæ ſunt Proconſularis, in qua eſt Carthago: Numidia Conſularis: Bizaccium: Tripolitana Conſularis: *M*auritania Cæſarienſis, & *M*auritania Sitiphenſis, ambæ præſidiales. quæ ſanè diuiſio intelligenda eſt de ea tantum parte quæ Romanis ipſis paruit. Ptolemæus diſtribuit ipſam in duodecim regiones, quatenus ſuis temporibus cognita erat; tunc enim vltra Lunæ montes meridiem verſus incognita fuit, quæ tamen noſtris temporibus in exteriori hac Auſtrali parte perſpecta eſt & cognita: licet etiamnum introrſum parum luſtrata ſit, nam incolæ huius partis feroces & inhumani ſunt, atq; vt in Chriſtianos ſic omnes exterāeos perfidi ſunt; quippe qui eos tantùm commerciorum gratia ad littora vſque admittunt. Sunt autem regiones Africæ quas Ptol. lib. 4. enumerat, hæ; *M*auritania Tingitana, *M*auritania Cæſarienſis, Numidia, Africa propria, Cyreniaca, Marmanica, Libya propria, Aegyptus ſuperior, Aegyptus inferior, Libya inferior, Aethiopia ſub Aegypto, Aethiopia interior. *M*auritania Tingitana ditior & pulchrior eſt Africæ pars, ſic ab vrbe Tingi (hodie Tanger vocata. Hæc Plinio teſte Borgundiana aliquando cognominata fuit. Sitiphenſis præterea, & Hiſpania Transfretana olim dicebatur, atque etiam Hiſpania Tingitana: Solino inferior *M*auritania dicitur. Incolæ verò ipſi *M*auruſij à Græcis, & *M*auri à Romanis

appellabantur olim, & hodiè ab Hiſpanis Ala-rabes dicti ſunt. Continentur autem in hac Africæ parte duo notabilia regna, nempè Marocci regnum inter Atlantem & Oceanum Atlanticum poſitum,& Feſſæ regnum. Mauritania Cæſarienſis ab vrbe Cæſaria, quæ à Claudio Cæſare nomen adepta eſt, nuncupabatur: hodiè hæc vrbs Tiguident, id eſt, ciuitas vetus, dicitur. hæc etiam Mauritania à Victore Vticenſi Maior cognominatur:Strabo verò Maſſiliam & Maſſæſyliam vocatam ſcribit,& incolę Maſſeſuli Plinio dicuntur. hodiè regnum Tremiſſenum continet, & Girauæ & Nigro placet. Numidia antiqua,quæ Ptol.ſæculo dicebatur noua,Græcis Plinio teſte Metagonitis dicebatur,& incolæ Numidæ, & Nomides: eſtque ea regio,quæ inter fluuium Maiorem,& Megeradam fluuium iacet,vbi Maſiniſſa Rex imperauit. Hodie autem Numidiam intelligunt illam partem quæ inter Lybiam & Atlantem ſita eſt,quæ etiam Biledulgerid,& Datylifera regio vocatur, quòd hæc ſola Africæ regio dactylos proferat. Africa propria regio eſt ad mare Mediterraneum inter Mauritaniam & Cyrenem regiones; Plinio autem Zeugitania dicitur,qui eandem in veterem & nouam partitur.hodie Tunetanum regnum eſt; occupat enim Byzatium, qui Straboni tractus eſt Africæ propriæ. huius caput Carthago olim erat, cuius nihil hodie præter ruinas extat. Cyrene ſeu Cyrenaica à Plinio Pentapolis dicta fuit,& Lebahim Hebræis dicitur, Corene noſtro tem pore vocari putat Giraua, & Aſſadib Theuetus:ſed Meſrata Leoni & Marmolio dicitur.

Mar-

Marmarica Plinio Mareotis, Libya dicitur, hodie verò Barcha, tam Cyrenaicam quàm Marmaricam complectitur Libya propria, Arabica lingua Sarra, id eſt, deſertum nuncupatur. Vtramque Aethiopiam nunc tenent Abiſſini & eſt imperium magni iſtius Regis Dauid, quem vulgò Presbyterum Ioannem vocant. De Aegypto infra dicemus. Poſtremis temporibus diſtincta eſt Africa in partes quatuor: Barbaria, Numidia, Libya, & Nigritarum terra. & hi quidem Occidentalem tantum Africam accipiunt, excludentes Orientalem partem, quæ Aegyptum & Aethiopiam continet. vnde rectius alij partiuntur ipſam in ſeptem principales partes, quæ ſunt quatuor iam dictæ, & reliquæ tres: Aegyptus, Aethiopia ſuperior vel interior, & Aethiopia inferior ſeu exterior, de quibus omnibus nunc ordinatim loquemur.

DE BARBARIA PRIMA Africæ parte. Cap. 9.

Totius Africæ nobiliſſima eſt regio Barbaria, quo nomine inſignitur hodie totus ille tractus maritimus ab Aegypto ad fretum vſque Gaditanum; complectiturque regiones haſce antiquorum, vtramque ſcilicet Mauritaniam, Africam propriam, Cyrenaicam, Marmaricam, & Libiæ partem. Eſt autem Barbariæ longitudo ab Oceano Atlantico ad Aegypti confinia; & latitudo eius à monte Atlante ad Mediterraneum mare. Vnde fines eius ſunt ab Ortu Meies mons quod eſt extremum

Atlan-

Atlantis punctum, diſtatque ab Alexandria trecentis ferè miliaribus: ad Boream habet mare Mediterraneum, & fretum Herculeum: ab Occaſu terminatur Herculeo etiam freto, & tranſiens mare Mediterraneum finitur poſtremis Atlantis punctis propè oppidum Meſſa: à Meridie verò habet Atlantem ipſum. Incolæ huius partis ſubfuſci ſunt coloris, qui Barbari dicuntur à verbo Barbara, quod Arabicè murmurare ſonat, eò quod Africanus ſermo Arabibus non aliter ſonet quam belluarum vox, quæ nullo accentu ſuas edunt vociferationes. olim tamen [redacted] (ſicut & hodiè apud doctos) barbariæ appellatio latius accipiebatur: barbari enim primùm Græcis, deinde etiam Romanis, dicebantur omnes qui non aut Græcè aut Latinè loquerentur, quòd vox eorum cùm à neutris horum perciperetur, ſemper bar bar &c. ſonare videretur. deinde cùm iam per barbaros omnes intellexiſſent nationes exteras, tandem etiam feri, agreſtres, incultique homines barbari cœperunt dici, etiamſi vel in ipſa Italia vel Græci nati fuiſſent: vt hodiè etiam ruſticos huiuſmodi inciuiles nominamus etiam rura nunquam coluerint. vnde veriſimile mihi magis videtur & hanc Africæ partem quaſi κατ' ἐξοχὴν ſic appellatam eſſe. Porrò hæc prouincia multis ſæculis nuda incolis extitit, ſicut etiam Numidia. vnde tradunt quidam harum terrarum incolas à Paleſtinis ortum ducere, qui ab Aſſyrijs fugati huc venerunt: alij dicunt à Sabæis Arabiæ Felicis populis antequam ab Aſſyrijs aut Aethiopibus in fugam redigerentur: alij verò à quibuſ-

Barbari.

dam

dam Aſiæ incolis deſcendiſſe ferunt, qui primo in Græciam bello à quibuſdam illis immoto aufugerunt, & deinde in ſequentibus hoſtibus huc appulerunt, ſedemque fixerunt remanentibus in Græcia hoſtibus. Ferunt hos Barbaros ab initio idololatras fuiſſe vſque ad annum 250. ante Mahumetem natum, quo fidem Chriſti acceperunt, regnantibus iſthic Apulienſibus, Siculis & Gothis; ſed Arrij dogmata ſequebantur. Cùm verò hi ab Araribus victi ac dominio deſtituti fuiſſent, partim in Italiam & Hiſpaniam aufugerunt, & ſic poſt Mahumetis mortem annis penè 200. tota hæc pars Mahumetanam religionem amplexata eſt. Fuit itaque Barbaria ipſa primùm ſub Græcis Imperatoribus, deinde ſub Vandalis, poſtea ſub Saracenis & Arabibus quorum idioma accepit, nunc autem ſubiacet partim Turcarum Imperatori, partim Seriffo Principi: nonnullas etiã arces iſthic Hiſpaniæ Rex poſſidet.

Regio verſus Mediterraneum mare ab Herculeo freto ad Aegypti fines montibus occupata eſt nemoroſis, & omnium animalium genere refertis, qui etiam fruges & fructus arboreos ad ſatietatem proferunt, licet frumenti paruam mittat copiam; vnde eius incolæ maiori ex parte panem conficiunt hordeacium. Inter hos montes & Atlantem planities ſpatioſa diſtenditur, quibuſdam colliculis intermixtis, quæ feraciſſima eſt omni fructuum genere, valdeque fluuijs irrigua ab Atlante manantibus, & in mare Mediterraneum ſe exonerantibus. Multa enim habet promontoria, quorũ

inſigniora ſunt ad Occaſum Atlanticum, quæ ſunt Caput Non, ad radices Atlantis, quod vndique ſcopulis ac breuibus percingitur: Caput Boiador, Caput Guer, Caput Son, & Cap. Cantia, præter multa alia verſus Mediterraneum mare. Multis quoque fluuijs regio ipſa abluitur. Fontes iſthic multi ſunt, qui riuulos quoſdam perſpicuos procreant & amœniſſimos. præterea regio ipſa frigiditatis potius quam caliditatis particeps eſt, vnde crebrò aura iſthic niuem adfert. Populi verò hi eoſdem habēt mores, quos Arabes, attamen ciuiliores illis ſunt, honoris cupidi, callidi, infideles, iracundi, iactabundi, ſuſpicione pleni, zelotypiæ addictiſſimi: præterea ſunt agiles & equeſtri certamine prompti atque etiam laboris impatiētes. Diuiditur autem Barbaria nunc in quatuor regna: Maroc, Feſſæ, Teleuſinum ſeu Tremiſen, & Tunetum; quibus ceu quintum Barcæ terram Sanutus addit.

Mores barbarorum.

DE MAROCCO BARBARIAE regno. Cap. 10.

Regnum hoc inter Atlantem montem & Oceanum Atlanticum iacet, & ab vrbe inſigni id nominis denominatur. Regio ipſa in vniuerſum abundat frugibus ac leguminibus omnis generis, armentis & gregibus, oleo item, melle, ſaccharo, cæra, & lana caprina, ex qua optimi texuntur panni ſericis valdè ſimiles: paratur hic ingens pellium caprarum copia, quæ in multis Europæ partibus diſtra-

ſtrahuntur, & à nomine vbi parantur vulgò Marocchini dicuntur. Præcipui fluuij huius tractus ſunt Tenſiſt & Omirabih, qui ab Atlanta exoriuntur, & in Oceanum prolabuntur. ſed Tenſiſt exoritur in Marocci territorio, atque plurimis augetur fluuijs, inter quos ſunt Siſelmel, & Niffis. Omirabih verò ſcaturit inter altiſſimos montes, qua Tedles prouincia Feſſano regno confinis eſt. Diuiditur hoc regnum in prouincias haſce: Heam, Suſam, Guzulam, Marocci terram, Ducalam, Haſcoram, & Tedletem.

HEA regio habet ab Occaſu & Septentrione Oceanum, à Meridie Atlantem, ab Ortu verò fluuio Esfiualo clauditur. Eſt autem admodum aſpera, ſaxatis montibus, vmbroſis nemoribus, & riuulis vndique ſcaturientibus plena, inhabitatoribus mirè copioſa & opulenta; iſthic caprarum & aſinorum magna eſt copia, at ouium, boum, & equorum mediocris inopia: equi tamen agiles admodum veloces ſunt, nullique illis adhibentur calces. cerui, capreoli, atque lepores innumeri inueniuntur; ſed incolæ ab eorum venatione alieni ſunt. Farris hîc tanta copia non colligitur ſicut hordei, millij, & panici. Fructuum autem magna eſt inopia, non ex ſoli ſterilitate ſed incolarum ignauia, qui vt plurimùm arborum culturam ignorant. Mellis autem affluētia magna eſt, quo maiori ex parte veſcuntur, cæram tamen abijciunt ignorantes eius vſum. Incolæ penè veſcuntur hordeaceo non fermentato, nec in furnis excocto. interdum verò cibum

ſibi

ſibi ex farina hordeacea lacte & oleo vel butyro parant. Apud hos nullus menſarum & mapparum vſus: veſtiuntur pannis ex lana ad ſtraguli modum confectis; caput verò pannicello quodam ornant, remanente tamen ſuperiore parte nuda. pileum non niſi ſenes aut docti viri geſtant: ſubuculas non habent, lecti vice culcitra piloſa vtuntur, in quam ſeſe inuoluunt. Barbam radere ſolent antequam matrimonium contrahant; ſed vxorati prolixiorem geſtant. Præterea artibus & literis parum vacant, & vix aliqua virtutis vmbra apud eos reperitur: nullos habent medicos aut chirurgos, niſi eos qui pueros circumcidunt; perpetuo autem bello, ſed inteſtino, vexantur. Iuſtitiæ planè inter eos cultus; ciuitates apud ipſos paucę, ſed pagi, vici, & caſtra muniti ſſima magno numero reperiuntur. quæ tamen omnia ferè calamitates paſſa ſunt, ob bella eum Portugallenſibus præteritis temporibus geſta. Suſa regio terminatur ab Occidente Mediterraneo mari, à Meridie deſerto arenoſo, à Septentrione Atlante & extremo Heæ oppido, ab Ortu verò fluuio Sus, à quo nomen accepit regio, clauditur. Terra ipſa frumento, hordeo, omnibuſque leguminibus feraciſſima eſt, & quibuſdam in locis ſaccharum ſatis copioſè profert, licet incolæ illud neque coquere, neque parare probè ſciant. Fructus etiam alicubi proueniunt, vt ſunt ficus, vuæ, mala Perſica, & dactyli ad neceſſitatem. nam multa ſunt loca palmis refertiſſima, licet ipſos dactylos magni valoris non proferant. oleo carent, quod tamen aliundè adiectũ huc defertur. Aurifodinæ iſthic in Ilalemo

Suſa regio.

monte

monte ſunt, propter quas incolæ inter ſe perpetuum gerunt bellum. In littore quoque Oceani magna electri copia inuenitur, quæ inde à Luſitanis alijſque exterraneis in alias exportatur regiones; quod quidem electrum viliſſimo pretio coëmunt. Præcipuum huius regionis oppidum eſt Tarodantum, ſatis amplum, & ab antiquis Africanis conditum. Iacet autem in valle ſexdecim miliaribus tam in longitudine quàm in latitudine extenſa, ſaccharo & alijs rebus ditiſſima. eſt autē oppidum hoc admodum hodie celebre; namque in eo Angli & Galli metalla in ſaccharum commutant.

Tarodantum oppidum.

MAROCCI terra, ſeu regio particularis, figuram refert triangularem, cuius fines ſunt ab Occaſu mons Niſiſa, ab Ortu mons Hadimeus, à Septentrione autem in eum vſque locum extenditur, vbi notiſſimi fluuij Tenſiſtum & Aſiſinual coniunguntur. Eſt autem terra amœniſſima, multijugis armentorum pecudū, atque ferarum generibus abundans: vbique herbida, rerum omnium quæ ad victum conueniunt, quæ naribus adblandiuntur, quæ oculos paſcunt feraciſſima. perpetua penè planicies, Longobardiæ non admodum diſſimilis; montes, ſi quos habet, frigidiſſimi, hordeum maximè producentes. Plura continet oppida ſatis munita, quę tamen præteritis temporibus à Luſitanis, qui hanc regionem quotidianis incurſionibus diuexarant, multas calamitates paſſa ſunt. ſed inter cætera Marocum olim ampliſſima ac famoſiſſima fuit vrbs, & inter maximas totius vniuerſi cōnumerata, quæ 10000. fami-

Maroccum vrbs.

familiâs numerabat: hæc autem in ſpacioſiſſima & amœniſſima extructa eſt planitie, & ab Atlante miliaribus 14. diſtat. Hanc Bocanum Hemerum Ptolemæi fuiſſe plerique tenent. Fuerunt olim hic innumera ac miranda templa, collegia, hypocauſta, hoſpitia, & ædificia omnis generis ſumptuoſiſſima: & inter cætera rerum naturalium ſtudia hîc maximè florebāt: ſed vrbs ipſa ad ſummam deuenit calamitatem ob frequentes Arabum diuexationes, vt vix tertia vrbis pars incolas habeat. Guzzula regio ad Occaſum Ildam habet montem ad Suſam attinentem, à Septentrione Atlanti adhæret, ad Ortum Heæ regioni iungitur. Mittit hæc regio hordeum copioſiſſimè, vt pecudes innumeras, habetque æris & ferri fodinas: vnde hîc conficiuntur ænea vaſa, quæ inde exportata in varias res commutantur. Oppida & caſtra hîc muro carent, & pagi ſunt latiſſimi atque ditiſſimi, incoliſque vniuerſa referta eſt regio. feri tamen ij ſunt, pecuniæque planè inopes, perpetuumque inter eos exardet bellum, nullum habentes vel Regem vel Ducem. ſemel quotannis apud eos ſunt nundinæ, quæ duobus durant menſibus: quo tempore omnes illius regionis mercatores ad mercatum confluere ſolent, nec non etiam ex Nigritarum regione: & tum omnibus victum gratis præbent, atque inter eos fiunt induciæ. Duccala regio ſuum ex Occidente à Tenſifto fluuio principium ſumit, terminaturque ad Septentrionem Oceano, à Meridie flumine Habiel clauditur, atque ad Occidentem Solem fluuio Hammirabili

Guzzula regio.

Duccala regio.

tabili finitur. huius longitudo iter eſt trium dierum, latitudo verò plus minus duorum. Incolis eſt frequentiſſima, qui rudes ſunt & ciuilitatis humanitatiſque plus ſatis ignari. Paucas habet ciuitates muris cinctas. In hac autem regione nonnullas olim tenuerunt arces Portugallenſes in ora maritima, nempè Azafi, Azaamurum, & Elmedina, quæ huius regionis propemodum caput eſt, atque in mediterraneis aliquot pagos, ex quorum prouentu magnam equitum copiam alebant, quibus perpetuò Marocci regnum infeſtabant. Haſcora regio ad Septentrionem Duccalæ confinis eſt, ad Occaſum finitur Fenſiſto fluuio, & ad Ortum fluuio Quadelhabit à regione Teledetes diſcriminatur. Affluit mirum in modum oleo, & caprarum gregibus quam plurimis, è quarum pilis panni conficiuntur, qui vulgò dicuntur Cambellotti. ex illarum verò pellibus parantur coria illa quæ dicuntur Maroceeni, quorum hic maxima paratur copia. agri fœcundiſſimi vtplurimum ſunt, & multi ſparſim reperiuntur horti amœniſſimi, omni fructuum genere repletiſſimi. Mala item aurea ad immenſam altitudinem excreſcunt, & vineæ vuas proferunt ſub rubras, quarum grana oua gallinacea æquant. mellis item iſthic magna eſt copia, ficus hîc vbique copioſa, & iuglandes ſpectatæ altitudinis reperiuntur: quibuſdam etiam in locis ſunt ferrifodinæ. Incolæ verò multò ciuiliores ſunt incolis Duccalæ. Multa ad regionē hanc pertinent oppida incolis opibuſq; præſtantia. Tedles regio non

Haſcora regio.

Tedles regio

non admodum ampla eſt, quæ ab Occaſu terminatur fluminibus Serui & Ommirabih, ad Meridiem Atlanti contigua eſt, ad Septentrionem verò ibi terminatur. vbi Serui flu. in Ommirabih prolabitur. vnde regio ipſa triangulari forma clauditur. ſunt in ea nonnulla oppida ditiſſimis mercatoribus referta, ciuibuſque liberaliſſimis ac humaniſſimis: fœminæ lanificio excellentes, quæ alicubi albiſſimæ ſunt, multoque argento ornatæ incedunt. Ager omnis generis frugibus, & colles hordeo atque capellis abundant.

DE BARBARIAE REGNO Feſſa. Cap. 11.

REgnum hoc ditiſſimum & potentiſſimum, terminaturque ab Occaſu Oceano Atlantico, vbi à fluuio Ommirabih & vrbe Azamor ad oppidum Zanger extenditur: à Septentrione freto Herculeo ac Mediterraneo partim mari, partim etiam Atlantico clauditur: ab Ortu Maluia fluuio finitur, qui Ptol. Malua vocatur: à Meridie autem Marocci regnum contiguum habet. regnum ipſum multi fluuij irrigant, quorum aliquot nauigabiles ſunt, inter quos præcipui ſunt Subu & Luccus.

Subu fluu. Subu, antiquis Subur vocatus, originem ducit ex maximo fonte in horrida ſylua Selilgi montis Cheuz prouinciæ, atque multos recipiens fluuios per longum tractum diſcurrit, & lato ſimul ac profundo oſtio in Oceanum ſeſe exonerat, vbi naues etiam magnas recipit. Luccus

Luccus fluu. fluu. Ptolemæo Liſſus dicitur, & ex Gumuræ monti-

montibus originem ducens in Oceanum labitur. in huius oſtio ſita eſt ciuitas Haraidos, cuius portus ingreſſu difficillimus eſt. Diuiditur verò regnũ hoc in ſeptem regiones, quæ ſunt: Temeſna, Territorium Feſſæ, Aſgara, Elhabata, Errifa, Garetum, & Elchauſum ſeu Chauz, quas omnes particulariter deſcribemus.

Temeſna regio. Temeſna regio incipit à fluuio Ommirabih verſus Occaſum; & extenditur ad Ortum verſus Buragragum fluuium, à Meridie finitur Atlante monte, & à Septentrione Oceano. Perpetua eius eſt planities, patetque in longum ex Occidente Orientem verſus 80. ferè paſſuum mill. ab Atlante autem ad Oceanum vſque 70. circiter numerantur miliaria. Fuit ſemper hęc regio totius Africæ caput, in qua olim numerabantur oppida plus minus 40. Caſtella 300. quæ incolas omnis generis habuit, ſed ob bella quæ ibi magnoperè ſęuierunt, ciuitates omnes & oppida deleta ſunt, & tota prouincia depopulata. Reuiuiſcere tamen cœpit poſtremis his temporibus, vt Regem Feſſæ parùm timeat: equites enim 60000. circiter numerat, & oppida propè 200. continet.

Feſſæ territorium. Feſſæ territorium à fluuio Buragrago verſus Orientem extenditur vſque ad fluuium Inauem, quod ſpacium centum ferè miliaria comprahendit: à Septentrione fluuio Suba, à Meridie Atlantis indicibus clauditur. Ager tã frugibus, fructibus atque armentis abundat, vt nulli planè cedere videatur. & pagi hîc vbique adeò magni ſunt, vt oppida potius referant, præſertim in collibus: nam planities parum habitata eſt ob bellorum calamitates quæ præ-

teritis temporibus acciderunt;vbi tamen vites, oleæ,& fruges optimè proueniunt. Numerantur nonnulla oppida in hoc agro Feſſano, ſed ipſa vrbs Feſſa, quæ & regioni & regno nomen dedit,totius Mauritaniæ metropolis eſt. Hanc putat Niger fuiſſe Tamuſigam Ptolemæo; ſed longè decipitur, ac potius Volobitim Ptolemæo eſſe cum Peucero credi fas eſt. Hæc autem vrbs pulcherrima omnium totius Barbariç eſt, ac populo frequentiſſima, muriſque egregiè percincta, cuius maximam partem montes atque colles occupant, nec in eius meditullio planities reperitur. Interluit ipſam Fez fluuius, qui vrbi nomen dat. ſunt autem in ea ædificia innumera mirandæ magnitudinis ac pulchritudinis, vt ſunt templa, collegia, hoſpitia, Xenodochia,& alia huiuſmodi. nam domus vt plurimum elegantiſſimæ ſunt, & ex lateribus depictoque lapide confectæ. Templa & Oratoria ſunt hîc 700. ferè, inter quæ ſunt propè 50. magnifica atque ſumptuoſiſſimè extructa. Summum verò templum Cerraunen appellatur, cuius circuitus ſequimiliare complet, & 31. viſendæ magnitudinis portas habet. In hoc templo ſingulis noctibus 900. lucernæ accendi ſolent: ſuntque ibi luminaria ex ære conflata, quç 1500. capiunt lucernas; atque alia mirabilia. recipit autem hoc templum quotidiè 200. aur. prouentum. Sunt prætere a in hac vrbe duo celeberrima ſtudioſorum collegia, præter alia multa; pro quorum vno extruendo tantum ferunt regem Habu Henon 480000. aur. conſumpſiſſe: namque iſthic diſciplinæ humanæ magnoperè florent. Multa quoque reperiuntur in

Cerraune templum.

hac

hac vrbe Xenodochia & balnea, quæ ſtructura & elegantia prædictis collegijs vix cedere velint. hoſpitia ducenta ferè ſunt, & molarum multa millia: artifices item, omniumque generum officinæ innumerabiles penè. Mercatorũ porrò ſtatio muris percincta eſt, 12. in ambitu habens portas, & in vicos 15. partita. Non longè ab hac vrbe quæ Feſſa vetus dicitur vtpote ad miliaris ſpacium, iacet alia vrbs quæ Feſſa noua vocatur, duplici eoque altiſſimo percincta muro. Azgara regio à Sept. Oceano abluitur, ab Occaſu ad fluuium vſque Buragragum extẽditur, Orientale latus claudunt montes Gumaræ, Zaronij, & radices montis Zalagæ: à Meridie verò fluuio Bunaza finitur. longitudo eius eſt 80. mil. & latitudo 60. ferè. Mediam præterfluit fluuius Subu: eſtq; tota plana, optimæ aëris temperiei, equorum fertiliſſima, pecorumque adeò abundans vt non Feſſæ modò, ſed & omnibus Gumaræ montibus prouideat. rara iſthic ſunt nemora; capreolorum tamen leporumque magna copia, nec minor goſſypij affluentia. Fuerunt hîc olim oppida & arces quã plurimæ, hodiè tamen bellorum iniuria maiori ex parte deletæ. Incolæ ſunt Arabes, diuites, circa veſtitum curioſi, & bello præſtantes, Feſſæque regi parentes. Oppida eius præcipua ſunt Lariſſa, & Caſar Elcabir, hoc eſt regium palatium. Habat, ſeu Elabat regio terminatur à Septentrione Mediterraneo mari, ab Occaſu Algaræ paludibus, à Meridie Suarga fluuio, ab Ortu verò montibus Herculeo freto vicinis. Huius latitudo eſt 80. longitudo 100. milarium, Regio hæc fœcundiſſima, ac frugum om-

Azgara regio.

 nium

nium affluentia beata eſt, licet olim multò celebrior ac felicior fuerit, propter antiquiſſimas ciuitates tum à Romanis, tum à Gothis extructas: multis autem fluuijs ipſa regio irrigatur, atque in ea præſtantiores vrbes ſunt: Arzilla ſeu Azella, ſpatioſa ſatis; & ab Herculeo freto 70. circiter miliaribus diſtans. Tingis ſeu Tanger, ampla & antiqua ad Oceani littus poſita, & ab Herculeo freto 70. circiter miliaribus diſtans. Septa ſiue Seuta, ciuitas maxima ad fauces Herculei freti, quæ olim totius Mauritaniæ metropolis fuit, ac Hiſpaniæ æmula: quæ quidem tres ciuitates ſub regno Portugalliæ ſunt. Habet regio hæc montes fertiliſſimos & incolis numeroſiſſimos, quorum nonnulli ſunt viſendæ altitudinis & acceſſu difficilimi.

Arzilla, Tanger oppida.

Errifa regio.

Errifa regio incipit non procul ab Herculeo freto, & ad fluuium vſque Nocor ſeu Hoccore ad Ortum extenditur: ad Septentrionem prima ſui parte terminatur Mediterraneo mari, vergitque in Meridiem ad eos vſque montes qui Feſſæ territorium reſpiciunt. Eſt autem huius longitudo circiter 140. mil. & latitudo 40. Regio ipſa prorſus aſpera eſt, frigidiſſimis montibus plena, in quibus vetuſtiſſimæ ſunt ſolitudines, arboribus elegantiſſimis ac rectiſſimis refertiſſimæ. frumentum non producit, tametſi vinearum, ficuum, oliuarum, & amygdalorum magnam habeant copiam. rara præterea ſunt hîc armenta: bona tamen caprarum, aſinorum, atque ſimiarum multitudo in ijs mōtibus reperitur. Oppida iſthic rariſſima ſunt, pagi verò frequentiſſimi. incolæ validiſſimi ſunt, inculti tamen & rudes, potationibus plus

ſatis

ſatis deditis. Gareti regio incipit ab Occaſu à Medulo flumine,& ad fluuium Muluia ad Ortum terminatur: à Meridie montes ipſam à deſertis Numidiæ ſeparant;à Septentrione autem ad Mediterraneum mare extenditur. Huius autem longitudo eſt 50. latitudo autem 40. miliarium. Ager fragoſus,incultus,atque aridus, Numidiæ deſerto non admodum natura diſſimilis. ipſa autem regio maxima ſui parte incolis nuda ferè eſt, poſtquam Hiſpani duas eius vrbes præcipuas ſibi occuparunt,quę ſunt Medela & Cheſaſa Ad regionem hanc pertinent deſerta quædam, quæ à Mediterraneo mari incipientia ad deſertum Chaus extendũtur,& inter Muluia fluuium & montes (quorũ quidem deſertorum longitudo eſt 60. & latitudo 30. miliarium) deſerta hæc arida ſunt & aſpera, penituſque aquis deſtituta, in quibus multa ſunt animalium genera ſicut in Libyæ deſertis. *Gareti regio.*

Chaus regni Feſſani regio vltima continet tertiam ferè ipſius partem, longitudine enim 190. miliaribus patet, nempè à fluuio Zha ad Ortum, ad fluuium Gurguigara ad Occaſum: latitudinem verò miliarium 170. habet. nam omnis ea Atlantis pars quæ Mauritaniam reſpicit, huius regionis latitudinem præbet, bonamque planitiei partem complectitur ſicut & montium qui Libyæ confines ſunt. Regio maiori ex parte aſpera eſt ac indigens, quam tamẽ bellicoſæ gentes inhabitant. Præcipua loca huius tractus ſunt Dubdu oppidum antiquum,& Teza vrbs ampla, nobilis atque opulenta, ciuiũ frequentia opumque potentia locum ſibi tertium iſta in regione vendicans. *Chaus regio.*

DE

DE REGNO TELEVSINO, ſiue Tremiſeno Barbariæ. Cap. 12.

HOC regnum ab Occaſu fluminibus Za & Maluia terminatur: à Meridie deſerto Numidiæ: ab Ortu fluuio Maiori vocato: à Septentrione autem Mediterraneo mari pulſatur. Hæc regio Mauritania Cæſaria olim nuncupata fuit; cuius longitudo ab Oriente in Occidentem patet 380. millibus: latitudo verò anguſta eſt, quippe quæ 25. miliaria nō excedit, à Mediterraneo ſcilicet ad deſerta Numidię: vnde maximè Arabum illa deſerta incolentium vexationibus expoſita eſt. Quo fit vt ſemper hi Reges muneribus & tributis Numidarum amicitiam quærere conati ſint, licet nunquam inſatiabilem illorum cupiditatem explere potuerint. Huius porrò regionis pars maxima inculta eſt, arida, atque aſpera, ea præſertim parte quæ Meridiem reſpicit. Maritimi autem agri aliquantulo fertiliores ac fœcundiores ſunt. Qui oppido Teleuſino circumiacet tractus, nemoroſus eſt; niſi quòd in ea parte quæ ad Occidentem mare reſpicit, montibus eſt refertiſſimus. Tenez quoque & Alger regiones montes habent omnium rerum affluentia fæcundiſſimos. Raræ in hac parte vrbes, raræque caſtella, fertilitate tamen feliciſſima eſt. Metropolis huius regni eſt Telenſina, vrbs ampliſſima, vt quæ olim 16000. familiâs numerarit, licet hodie ad maximam redacta ſit tenuitatem. Duos nobiliſſimos ac frequentiſſimos

Tenez Alger

regnum hoc portus marinos habet,& totidem oppida:Garami ſeu Oraniæ cum arce munitiſſima,& Marſæ Eltabiri; ad quos maxima ſolet confluere mercatorum copia,pręſertim ex Italia:qui ambo ab Hiſpaniæ Rege præteritis temporibus occupati fuerunt,non ſine illius Regni maximo incommodo.Ad hoc regnum Tremiſenum pertinebat olim Gezair vrbs,ſeu Algira, quæ vulgò Algier dicitur, ſpatioſiſſima quidem, & muris elegantiſſimis atque munitiſſimis percincta, quæ à Teleuſino Rege defecit,& Bugiæ Regi primùm, deinde Ferdinando Hiſpaniæ regi tributa perſoluebat: poſteaque à Barbaroſſa pro Imperio Ottomannico armis vſurpata fuit, ipſeque Prorex iſtius ciuitatis vocabatur; atque etiamnum ſub Turca manet, qui Proregem eò locat. Vnde his poſtremis temporibus valdè celebris, maximè verò diues facta eſt per piratarum receptaculum, qui perpetuò mare iſtud infeſtant.atque inter cætera numerantur nunc in ea 25000. Chriſtianorum mancipatorum. Eſt autem ab ipſis Turcis adeò nunc muris, arcibus & bombardis munita,vt ſit penè inexpugnabilis. Hãc Caſtaldus probè conijcit Salden Ptolemæi eſſe;licet Mercator & Ortelius putent Salden illam nunc eſſe Tadelis. Iouius cenſet eſſe Iuliam Cæſaream, & alij Cirtham.

Algier vrbs.

DE REGNO TVNETARVM Barbariæ. Cap.13.

TVnetarum regnum complectitur totũ terræ tractum à Maiori fluuio, quem Andum Ptol.eſſe putant, vſque ad Meſſatæ regionis amnem. Continet autem totam illam regionem, quæ antiquis Africa propria ſeu minor vocabatur, atque etiam Numidiani antiquam. Hic autem terræ tractus ſatis fertilis eſt, ac frugibus pecoribns aptiſſimus, arboribus fœcundiſſimus, præſertim ad Occaſum; nã ad Ortum ſterilis potius eſt & aquis inops. Incolæ ſani ſunt corporis, laborum patientes, & qui plurimum ad perfectam ſenectutem perueniunt, niſi morte violenta pereant; ſiquidem rarò morbis naturalibus vexantur, eoſque parum timent.

Huius nonnulli partes faciunt quinque: Bugiæque earum regio prima eſt, hinc Conſtantinæ, territorium Tunetanum, Tripolitana, & Elzab.

Regiones tractus Tunetani. Bugiæ regio incipit à fluuio Maiori, & extenditur ad montes vſque Conſtantinæ, iuxta Mediterraneum mare, quod ſpatium eſt propè 150. miliarium: ſecundùm verò latitudinem occupat 40. ferè miliaria. Regio ipſa alicubi amœna, & ferax tam fructuum quàm ſegetum; alicubi verò inops: oppida habet nonnulla ſatis populo frequentia, inter quæ ſunt Necaus in Numidiæ confinio, & Chollo ad Mediterraneum mare: ſed Bugia principalis vrbs eſt quæ regioni nomen dat. Eſt autem antiquiſſima, & à Romanis in coſta excelſiſſimi montis iuxta mare

mare condita, quam Thobuacam Ptolemæi Fazalus eſſe putat, Sabellicus Vzicar, Sanutus Salde, ſed veriſimilius Caſtaldus propter ſitum Igilgile. Fuerunt hîc olim ædificia, templa, Collegia, & ſumptuoſiſſima hoſpitia. præterea Xenodochia atque Monaſteria ad illorum ritũ compoſita, & arx munitiſſima. ciues olim fuerunt ditiſſimi, delicijs dediti, & Hiſpanis moleſtiſſimi, qui triremibus ad hoc inſtructiſſimis vtebantur: ſed vrbs ipſa à Petro Nauarræo expilata fuit anno 1508. vnde & ipſi incolæ ad miſeriam ferè redacti. Territorium huius vrbis frugibus non eſt idoneum, fructus tamen perfectiſſimos profert. Sunt in hac regione montes aſperi ac eminentes, nemoribus ac fontibus abundantes, cuius incolæ diuites, nobiles, ac liberales ſunt; apud quos ſunt innumeri hirci, boues, & equi. Antiquus eſt illis mos ſupra maxillas crucem nigram.

Conſtantina regio. Conſtantina regio iacet inter Conſtantinæ montem, in confinio Bugiæ ſitum, & inter territorium Tunetanum iuxta fluuium Guadilbarbar. Vrbs præcipua eſt Conſtantina, quam Marmolius putat fuiſſe Culcuam Coloniam in Numidia noua Ptolemæi, Iouius tamen, Oliuarius, & alij cenſent fuiſſe potius Cirtam regiam Maſſiniſſæ, quam Ptol. Iuliam cognominat. Habet ipſa vrbs muros firmiſſimos, altiſſimos, antiquiſſimos, & elaboratiſſimis lapidibus compoſitos; rupibus etiam altiſſimis maiori ex parte percingitur. Familias habet nunc circiter octo millia, ædificijs exornatur ſumptuoſiſſimis, & mercatoribus affluit, qui pannos & lanam vendunt, oleum item, ſericũ, & te-

& telam, aliaque quam plurima, quorum maiorem partem dactylis & mancipijs commutant: ante alios tamen cum Numidiæ populis negociantur. Agrum habet benignum, frugũque feracem. extra ipſam vrbem egregia viſuntur ædificia, eaque antiquiſſima, inter quæ eſt arcus quidam triumphalis Romano more. ſunt etiam non longè ab ipſa vrbe fontes aquæ calidæ. Eſt quoque in hac regione vrbs Bona, à Romanis condita, miliaribus centum à mari Mediterraneo diſtans, quam celebrem reddidit D. Auguſtinus, qui iſtius vrbis Epiſcopatum tenuit. ad hanc Tunetani, Gerbenſes, & Genuenſes commercij cauſa quotannis confluunt, vbi maximam frugum ac butyri copiã emunt. ad hanc vrbem pertinet planities ſpacioſiſſima, & frugibus gerendis feliciſſima, cuius longitudo 40. latitudo 25. mill. complectitur.

Bona vrbs. hod: Hyppona

Tunetanum territorium.

Tunetanum territorium iacet inter fluuium Guadilbarbar, antiquis Hipponitis fortaſsè ſtagnum, vbi Conſtantina regio extenditur, & inter fluuium Capes, qui lacus efformat nonnullos aquarum calidarum, & antiquitus Tritonis erat palus. Eſt autem hæc regio nunc valdè celebris ac illuſtris ob vrbem Tunetanam, quæ olim toti regno præerat, ſicut etiam antiquorum tempore fuit ob famoſiſſimas vrbes iſthic exiſtentes. Hodie hæ præcipuæ ſunt: Tunetũ vulgò Tunes & Tuniſi, quæ Themiſa ſeu Thuniſa Ptolemæo eſt. hæc autem initio anguſtiſſimum fuit oppidulum; ſed poſteaquã Carthago fuit deleta, mirum in modum ædificijs & incolis augeri cæpit ac locupletari, adeò vt hoc tempore principem obtineat locum in toto hoc tractu: numerat enim circiter 10000, fami-

familias, & habet in circuitu 5. mill. Ad hanc vrbem Genuenſes, Veneti, innumeríque alij mercatores negotiandi cauſa ſeſe conferunt. Incolæ enim non adeò diuites ſunt, præſertim nobiles, propter frumenti omniumque frugũ caritatem. nam agrum circa vrbem colere vt plurimùm nequeunt, ob crebras Arabum incurſiones: quò fit vt illis frumentum ex alijs regionibus aduehatur. ſunt tamen hi campi circa vrbem ab omni parte ad quatuor vel quinq; miliaria oliuis copioſiſſimi, ex quibus oleum abundantiſſimè colligunt, cuius bonam partẽ ad Aegyptios tranſmittunt. Non longè à Tuneto ad fretum cuiuſdam ſtagni longitudinis decem miliarium, per quem iter eſt Tunetum, ſita erat arx Golettæ, quæ olim à Carolo V. Imp. capta fuit. Carthago vrbs huius tractus antiquiſſima, atque olim totius Africæ caput 72. annis ante Romam à Phœnicibus condita fuit. huius ambitus extitiſſe fertur 22. mill. & tota ferè mari cingebatur: in huius medio extabat arx, cui Byrſa nomen erat, quæ paulò amplius quàm duo millia paſſuum tenebat. Hæc habuit principes potentiſſimos, qui non ſolũ maiori Africæ parti imperitabant, ſed & Hiſpanicæ oræ à freto ad Pyrenæum vſque: quæ poſtea vrbs à Scipione capta & incenſa 7. continuis diebus arſit, anno ſcilicet 602 poſt Romã conditam; ſed à Cæſare iterum eſt reſtituta (colonia ſc. eò deducta) atq; ita refloruit. ex eo tamen etiam tempore multas calamitates perpeſſa eſt à Vandalis, Gothis, & Saracenis; adeò vt hodiè tantum vigeſima eius pars habitatores teneat: neque ſuperſunt niſi muri reliquiæ, aquæ ductus aliquot, & antiquiſſima

Carthago vrbs.

nonnul-

nonnulla ædificia. Dicunt quidam hic reperiri circiter 25. mercatorum officinas, & circiter 500. domos, quæ tamen ſunt viliſſimæ. Incolæ miſerrimi ſunt, multa nihilominus ſuperbia inflati.

Biſerta vrbs. Biſerta quoque ſeu Beerſart, ciuitas antiquiſſima eſt ad Mediterraneum mare, cui vicinus eſt fluuiolus, qui etſi arctiſſimus in principio ſit, attamen paulatim fluendo mirum in modum augetur. mittit hic fluuius magnam piſcium copiam: & hîc eſt Maris portus magnarum nauium capax. Volunt quidam hanc vrbem fuiſſe Vticam Ptolemæi, quæ ſecundum locum olim poſt Carthaginem tenebat; fuitque illuſtris ob Catonis mortem, à Romanis tamen poſtea deſtructa fuit. Eſt etiam hîc Cairoan ſeu Caroen ampliſſimum oppidum in arenoſa ac deſerta planitie extructum, quod celebre ſanè eſt ob ſtudia præſertim Iuriſprudentiæ, & ob ſuperſtitiones Arabum quæ ibi obſeruantur.

Tripolitana regio. Tripolitana regio initium ſumit à fluuio & ſinu Capes, vſque ad vicinia Meſratæ regionis, vltra Tripolim vrbem. volunt multi hanc regionem olim produci à Septentrione antequam à Mari ſubmergeretur, vnde incolæ calamitatem Maris fugientes, continuò receſſerunt verſus Meridiem. Regio hæc multis in locis dactylorum pleniſſima eſt, omniſque fructuum generis; at frugibus omnibus infelix, hordei aliquam ſaltem copiam profert. Sunt iſthic vrbes & oppida multa, inter quæ Tripolis noua principem obtinet locum, quæ propriè Tripolis Barbariæ dicitur. extructa autem eſt poſt exci-

dium.

dium antiquæ Tripolis in arenoſo campo, in quo dactylorum bona ſatis peruenit copia, licet frumenti maximè inops ſit. Vrbs hæc poſtremis his temporibus celebris exiſtit ob piratas ibi degentes, qui perpetuò Italiæ oram vexant, cùm prius negotijs maximè afflueret: namque iſthic Veneti, Genuenſes, Siculi, & aliæ gentes nauibus appellebant.

Ezzaba vltima Tunetani regni pars iacet vltra Tripolitanam regionem verſus Orientem. Complectitur autem nonnulla oppida, prouincias atque campos, in quibus omnibus fruges perpaucæ, oliuæ tamen, dactyli, pluresque alij fructus ad neceſſitatem proueniunt. Præcipua huius tractus prouinciola eſt Meſrata, iuxta Mediterraneum mare, 100. ferè miliaribus à Tripoli Barbariæ diſtans, quæ pagos complures tum in planitie tum in montibus continet, quorum habitatores ditiſſimi vt plurimũ ſunt, neque vllum perſoluunt tributum. *Ezzaba regio*

DE BARCAE TERRITORIO quinta Barbariæ parte. Cap. 14.

BArcæ ſeu Barchæ territorium ſiue deſertum à finibus Meſratæ vſque ad confinia Aegypti producitur, continetque tum Cyrenaicam regionem antiquam, quæ Pentapolis quondam dicta ob quinque vrbes quas continebat, vtpote Cyrenen, Berenicen, Arſinoën, Ptolemaida, & Apolloniam, quarum ne veſtigia quidem hodiè patent. tum etiam Mari-

mari-

maricam regionem vetuſtam, quæ Ammoniaca etiam dicebatur, à templo Iouis Ammonij oraculis clari. Huius regionis longitudo patet miliaribus 130 o. latitudo verò ducentis. Eſt autem in vniuerſum ſatis aſpera, adeoque deſerta; aquis etiam frugibuſque infeliciſſima, maximè tamen vlterior plaga in Meridiem, quæ arenis & ſolitudinibus ſquallet, inter quas ſparſim inhabitant gentes aliquot miſerrimæ planeque famelicæ, ceu in inſulis quibuſdam longiſsima intercapedine inter ſe remotis: maritima autem magis culta eſt & frugifera, præſertim intra quindecim miliarium latitudinem. Incolæ inſignes ſunt prædones, atque cæteris atrociores. Frumentum & alia ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ex Sicilia nauigijs huc deferuntur, pro quorum aliqua portione deſumenda multi illorum proprios filios Siculis mercatoribus oppignorant, donec furtis & rapinis eos redimere poſſint.

DE NVMIDIA SECVNDA *Africæ parte. Cap. 15.*

NVmidia vna eſt ex ſeptem principalibus totius Africæ partibus, quæ Biledulgerid hodiè dicitur, hoc eſt, dactylorum regio; quòd hæc ſola Africę terra dactylos abundè largiatur. Eſt autem cæteris ignobilior, vnde nulla eius pars Regni titulo decoratur. Fines eius ab Occidente ſunt Atlanticum pelagus, à Septentrione Atlas mons, ad Ortum confinijs Aegypti iungitur, à Meridiè verò Li-

bya

byæ deſerta arenoſa habet. Fuit autem olim hæc terræ pars inhabitata, quemadmodum & Barbaria, quæ etiamnum malè habitatur, exigua enim habet oppida ac rara: ea ſiquidem & maximo interuallo ab iuuicem diſtant. Habet autem loca calida ſimul atque arida vltra Atlantem, quæ quibuſdam ex Atlante manantibus fluuijs irrigantur. pauci ſunt in ea frugibus ferendis apti agri, etſi dactylorum maximam habeant copiam; nullam enim ferè fructiferã aliam habent arborem præter palmam. Ea vero loca quæ Libyæ confinia ſunt, aſperos quoſdam habent montes arboribus nudos, ad cuius radices ſpinoſa quædam atque infrugifera proueniunt arbuſcula, qui quidem montes riuulis ac fontibus deſtituuntur. Scribit Plinius hanc regionem marmor habere electum, & animalia ferè pernicioſa: nam iſthic infinita ſcorpionum atque ſerpentum inuenitur copia, quorum morſibus venenoſis multi quotannis interfecti inueniuntur. Incolæ ſtellas olim adorabant, eiſque ſacrificabant: hodiè vero inculti ſunt, ignari, viles, proditores, homicidæ, ac fures, neque vllam rerum naturalium cognitionem habent, ſed operam tantùm quidam ex eis legum ſtudijs nauant. Arabes autem qui iſthic inhabitant, poëſim amant, & liberales ſunt, licet inopia premantur. longam omnes ferè ducunt vitam, licet dentes ante tempus amittant ob dactylorum vſum. ſic quoque viſus defectum patiuntur per arenas vento agitatas. à morbo Gallico tuti ſunt, atque adeo, vt ſi qui tali morbo laborantes eo venerint, abſque alio medicamento liberentur.

Incolarum religio & mores.

Veſcun-

Veſcuntur autem hordeo, dactylis, alijſque viliſſimis cibis; ſed panem non niſi feſtis diebus comedunt. afferunt huc exteri mercatores frumenta, quæ cum dactylis commutant. Sunt autem huius tractus regiones multæ, nempè Teſſet, Segelmeſſa, Zeb, Biledulgerit, quæ principaliores ſunt: deinde Dara, Fezzen, ac aliæ minus principales. inter has verò regiones omnes Dara cultior eſt ob fluuium, qui à regione nomen habet, iuxta quem incolæ per vicos, pagos, atque caſtra inhabitant; is enim amnis regionem ſua irrigatione fœcundat: creſcit autem hyberno tempore, & adeò expanditur vt mare videatur, ſed æſtate vado tranſiri poteſt. *Bidulgerid.* Biledulgerida regio ciuitatibus frequens eſt, & dactylorum maximam producit copiam, licet ob eius ariditatem nihil prorſus frumenti ferat. *Tegorarin.* Tegorarin etiam regio ampliſſima eſt: caſtella namque circiter 50. & plus quàm 100. pagos continet, atque in ea dactylorum vberrimus eſt prouentus; fruges quoque in ea ſatis prouenniunt, aſſidua tamen ob ariditatem irrigatione & ſtercoratione indiget. Incolæ ditiſſimi ſunt, & apud Nigritas negotiantur.

DE LIBYA AFRICAE PARTE tertia. Cap.16.

ANtiquum Lybiæ nomen Sarra eſt, quæ vox idem quod deſertum ſonat, nam Libiæ regio deſerta planè, arida atque arenoſa eſt, omnibus riuis ac fontibus carens. Habet autem initium ſuum ab Ortu propè Nilum fluuium, vbi eſt Goagæ regnum, & extendit

dit ſeſe Occidentem verſus ad regnum vſque Gualatæ, quod Atlantico pelago adiacet; à Septentrione verò Numidiæ adhæret. Sunt itaq; hæc deſerta Libyæ ſeu ſolitudines aridæ, arenoſæ, aquis deſtitutæ, & valdè infrugiferæ. nullam enim habent aquam, præterquam in puteis quibuſdam rarioribus, quæ tamen ſalſa eſt. vnde mercatoribus per regionem hanc proficiſcentibus, opus eſt aquam vtribus Camelis impoſitis ſecum deferre: nam interdum ſex aut ſeptem dierum itinere ne gutta quidem aquæ inuenitur. Solent autem hæc deſerta pertranſire qui à regno Feſſæ ad Tombutum regnum Nigrorũ proficiſcuntur, & à Telenſino ad Agades regnum Nigrorum vicinum locis Libyæ. Conſueuerunt etiam centum abhinc annis à Feſſa ad Cairum iter facientes per Libyæ deſerta pertranſire: quę profectio periculoſa ſatis eſt. Sunt in his deſertis nonnulli putei camelorum pellibus vel oſſibus circumſepti, qui interdum æſtate, incrudeſcente Auſtro, arenà cooperiuntur, vnde mercatores eorum veſtigia non agnoſcentes, extrema ſiti pereunt. Iſthic multa animalium genera adinueniuntur. Fluuij verò ab Atlante emanantes in his arenarum vaſtitatibus diſperduntur: aliqui etiam nonnullos lacus efficiunt, qui incolis & mercatoribus maximè ſunt ſalutares, vt ſunt lacus Gir, & Ighidi Gheogan.

Incolæ abſque vllis legibus aut rationis vſu viuunt more belluarum, miſerrimam ducentes vitam, literas parum agnoſcentes, & virtutum omnium deſpectores, venationi maximè incumbunt, & prædones ſunt inſignes, ac mer- *Incolarum mores & conditio.*

catoribus admodū infeſti, quòd ſanè verum eſt de paſtoribus, qui continuò per deſerta hæc vagantur. attamen quamplures reperiuntur iſthic Africani & Arabes, qui liberales, mites ac humani ſunt, exteriorum hoſpitales, ac veritatem colentes. Breuem præ cæteris Africanis ducunt vitam: nam robuſtiores ad annum vſque 60. accedunt; vtplurimum tamen ſano ſunt corpore, graciles, & macilenti, ſuper camelis tantùm equitare ſolētes, parcè admodum viuentes, & famis inediæque patientiſſimi, panem non agnoſcunt, ſed lacte & camelorum carnibus ac butyro veſcuntur. Veſtitus eorum eſt panniculus anguſtus atque rudis, quo vix eorum pars dimidia tegi poteſt. nonnulli caput tela nigra in modum Dulipani tegunt; magnates verò ſubuculam ex goſſipio cæruleo confectam latis manicis geſtant. lecti vice ſtipadijs ſeu ſtoreis ex iunco conſitis vtuntur. Tentoria ex vndulato, aut ex aſpera quadam lana conficiuntur, quam intra dactylorum racemos adinueniunt. Hæc Libyæ deſerta noſtro æuo in quinque partiuntur regiones, iuxta númerum populorum qui iſthic inhabitant quæ ſunt: Zanaga, Zuenziga, Targa, Lempta, Bordoa, ad quæ alia minus principalia referuntur.

Quinque deſerta Libyæ.

Zanagæ deſertum, ſeu regio, vbi populus id nominis inhabitat, exorditur ab Oceano ad Occaſum, extendens ſeſe verſus Ortum ad Salinas vſque Tegazæ: à Septentrione ad confinia Numidiæ pertingit, & ad Meridiem vſque ad Gualatam & Tombutum Nigrorum regna extenditur. Eſt autem hoc deſertum aridum & fragoſum, vbi aqua ſolùm ſingulis 100. reperitur miliaribus, profundiſſimis in puteis, quæ ſalſa maximeque inſipida

ſipida eſt. Maxima hîc ferarum reptiliumque copia eſt.

In hac regione eſt deſertum Azaoad, ſeu Aſanad, aſperum adeò, vt ducenteſimo miliario aquam vix in eo reperias, ſcilicet à puteo Aſanad vſque ad puteum Azaoan. iſthic autem propter aquæ penuriam, & caloris nimiam exurentiam homines quamplures & armenta pereunt. In confinio huius deſerti verſus Numidiam eſt Tegaza regio, vbi maxima effoditur ſalis copia, quod marmor candore ſuperat, quod camelis ad Tombuti regnum deuehitur, diſtans itinere 20. dierum circiter. *Azaoad deſertum.*

Zuenziga deſertum inhabitatur à populo id nominis, quod quidem à Tegaza in Occidente incipit, & perducitur ad deſertum vſque Hair, quod Targa populus incolit: à Septentrione Legelmeſſæ, Tebelbeti, & Benigorai deſertis clauditur: à Meridie deſerto Ghir è regione Guber regni Nigritarum. Hoc verò deſertum aridiſſimum maximè horrendum eſt, & illud pertranſire ſolent mercatores à Telenſino ad Tombutum proficiſcentes: vnde eorum complures extrema ſiti in hoc deſerto pereunt. Continet hoc deſertum aliud intra ſe, quod Gogden ſeu Goeſen appellant, vbi 9. dierum ſpatio ne guttula quidem aquæ reperitur, niſi quam mercatores camelis circumferunt. *Zuenziga deſertum.*

Targa deſertum multò clementius, minuſque aſperum duobus illis prædictis eſt. iſthic enim aqua copioſè ſatis adinuenitur, atque mira ibi aëris eſt temperies. patet autem hoc deſertum à Septentrione verſus Meridiem tre- *Targa deſertum.*

diem trecentis quoque miliaribus. incipit autem ab Occaſu à deſerto Hair, & vſque ad Ighidi deſertum verſus Ortum extenditur: ad Septentrionem deſerta habet Tuath, Tegorarin, atque Meſabe: à Meridiè verò deſertum Agades attingit. Iſthic nullum herbæ genus deſiderari poteſt. in locis Agades vicinis Manna colligũt copioſiſſimum, quod aqua vel iuri commixtũ valdè refrigerat, atque pro delicijs epotatur.

Manna Lybiæ. *Lempta deſertum.*

Lempta deſertum quartum Libyæ incipit ab Ighidi deſerto vſque ad Berdoa deſertum, & ad Meridiem ad Canum regnum Nigrorum tendit. Eſt autem aridiſſimum & mercatoribus periculoſiſſimum, qui à Conſtantina ad Nigritarum terras iter ſuſcipiunt.

Berdoa deſertum.

Berdoa ad Occaſum Templæ iungitur, & ad Ortum ad Augellæ vſque deſertum producitur: à Septentrione confinia habet deſerta Fezzen & Barcæ: à Meridie deſertum Bornon. Eſt & illud deſertum aridiſſimum & periculoſiſſimum. Ab Augelâ autem deſerto ad Nilũ ſunt deſerta nonnulla quæ ab Arabibus & Africanis occupata fuêre quæ vulgò Leuata vocant. Reperiuntur in extremitatibus horum deſertorum oppida aliquot quæ veluti portus ſunt, ad quæ gentes cõfugiunt, inter quæ ſunt Hoden viatoribus frequentiſſimum, vt Agades optimè extructum ſupra fluuium qui Sanagæ fluuio iungitur.

DE

DE TERRA NIGRITARVM, quæ quarta Africæ pars eſt. Cap.17.

REgio hæc nomen ſumit vel ab incolis, qui nigro colore afficiuntur, vel potius à flumine Nigro qui hanc regionem lambit: licet aliqui dicant fluuium hunc à regione ipſa nomen ſortiri. Habet autem à Septentrione Libyæ deſerta: ab Occidente Oceanum Occiduum: à Meridie partim Oceanum Aethiopicum, & partim Manicongi regnum: ab Ortu verò ad Nili vſque confinia porrigitur. Ferunt quidam ſcriptores hanc Africę partem primam omnium inhabitatam fuiſſe, Aegypto tamen excepta, licet hoc tempore parum cognita ſit. latitudo autem eius ab Occidua parte miliarium propè 400. patet. Eſt verò calidiſſima obſitum eius ſub zona torrida, ſed nō adeò vt inhabitabilis propterea maneat: eſt enim frequentiſſimæ habitationis, & aliquibus in locis ſemper virens. Citra fluuium Canaga, qui terminus eſt Nigredinis populorum, aridiſſima eſt, totaque arenoſa ac deſerta: vltra verò ipſum fertiliſſima vtplurimum eſt, ac humiditatis non minimam portionem habet, id que propter Nigri fluuij continuam irrigationem, qui mediam penè regionem præterfluit. vnde agri omnes qui huic amni vicini ſunt, & qui aliquo fluuio abluuntur, feracitate mira gaudent tum frugum tum pecorum: ibi etiam cocci, cucumeris, cœpæ, & id genus olerum maxima copia prouenit. nullæ tamen iſthic

Qualitas regionis Nigritarum.

ſunt arbores, præter aliquas quæ fructum caſtaneæ perſimilem producunt, licet aliquanto amariorem. Nulli ſunt montes aut colles circa Nigri ripas; ſunt tamen nemora permulta elephantibus cæteriſque animalibus repletiſſima. crebræ etiam iſthic paludes ſunt & lacus qui ex Nigri inundationibus remanſiſſe dicuntur. Pluuiæ huic ſolo nec proſunt quicquam. nec damnum adferunt; ſed ab vno Nigro flu. regionis fertilitas pendet, quemadmodum à Nilo Aegyptus fœcundatur. Creſcit autem Niger, ſicut Nilus, à decimoquinto Iunij per 40. dies, ac per totidem decreſcit; & tunc cymbis aut ſcaphis per totam Nigritarum regionem nauigatur.

Incolæ hi ab origine Chuſi dependent, qui patrem habuit Chamum filium Noë, qui quidem ab initio cœlorum Dominum adorabant, quem ſua lingua Guighimo vocabant; poſtmodum Iudaicam ſuſceperunt legem, in qua permultis annis perſeuerabant, donec aliquot regna Chriſtianam religionem amplexata fuerunt, quam conſeruarunt vſque ad Mahumetis pſeudoprophetæ aduentum, quo tempore Mahumetani facti fuere omnes Libyæ confines, remanentibus tantùm nonnullis regionibus paucis, quæ fidem Chriſti adhuc ſeruant. Veruntamen qui iuxta Oceanum degunt, idola omnes colunt, ac gentiles ſunt.

Nigritarum mores.

In vniuerſum autem belluino viuunt more, à rationis vſu, ab ingenij dexteritate, atque ab omni artificio alieniſſimi ſunt; ad luxuriã procliues, vnde meretricum numeroſus apud eos grex eſt: ſed qui famoſiores vrbes inhabitãt, nõ

nihil

nihil humãiores & cultiores ſunt cęteris Africanis omnibus. breuiorem agũt vitam, at maximus illis ſemper vigor, maximaq; dentium firmitas ad extremum vſque vitæ diem. incantatores anguium ſunt eximij. Qui morbo Gallico infecti ſunt, ſi in in hanc regionem proficiſcantur, optimè ſanitati reſtituuntur, ob temperiem aëris optimam, nullo adhibito pharmaco. Peſtis hîc nunquam ſæuiſſe dicitur. Habent autem Nigritæ diuerſa inter ſe idiomata: nam in regionibus Gualatæ, Tombuti, Ginæ, Mellidi, & Gagonti ſeruant idioma ab ipſis Sungai vocatum. Eſt & alia lingua, quæ Guber ab illis appellatur, quæ apud Guberos, Canontes, Cheſenas, Perzegregos, & Gangrates in vſu eſt. habet & regnum Borni ſuum loquendi modum illi omninò conſimilem qui apud Goagam eſt. In Nube regno eſt ſermo qui cum Arabico, Chaldaico, & Aegyptiaco magnam habet affinitatem. *Varia ipſorũ idiomata.*

DIVISIO REGNI NIGRITArum. Cap. 18.

TRaduntur à Scriptoribus 25. horum Nigritarum regna, quæ olim proprium agnoſcebant Regem, quorum nonnulla ſunt citra Canagam, alia verò vltra; ſunt autem hæc: Gualata, Ginea, Melli, Tombutum, Gago, Guber, Agades, Cano, Çaſena, Zegzeg, Zanfara, Guangara, Bornum, Gaoga, Nubia, Bito, Temiamo, Dauma, Medra, Goran, Territorium Anteroten-ſe, Territorium Gialofæ, Ora Ghineæ, Territoriũ Meleghefe, & Regnum Benin.

Sed regna hæc hodiè ſub tribus tantùm Regibus gubernantur: nam Tombuti Rex maiorẽ ex eis partem poſſidet; Rex Borni minorem; reliquum habet Rex Goagæ, vno tantùm Gualatæ regno excepto, quod proprium Regem habet.

Gualata regnum. Gualata regnum ab Oceano centum miliaribus diſtans, anguſtiſſimum eſt: non enim continet niſi pagos tantùm tres cum aliquot vicis, campiſque dactyliferis, in quo minima millij & cuiuſdam leguminis rotundi copia prouenit. Incolæ nigerrimi ſunt, exterorum amantiſſimi, ſed miſerrimam ducũt vitam: nulla enim apud ipſos adminiſtratio eſt, neque vlli nobiles, aut iudices.

Ora Anteroſæ. Ora Anteroſæ eſt magnus terræ tractus, humilis, arenoſus, ac ſterilis; ad Oceanum expoſitus, à Capite ſcilicet Albo ad fluuium Canaga, quem populi Azanaghi inhabitant, qui olim inciuiles erant antequam cum Portugallenſibus negotiarentur. parci ſunt, inediæ patientiſſimi, pauperes, mendaces, proditores, mediæ ſtaturæ, & colore medio inter Nigrum & ſubcineritium. Sunt in hoc tractu Portus Dei, & Portus commutationis, vulgò Riſcatto.

Agadez regnum. Agadez regnum ponitur circa fluuium Canaga, & vnicam continet vrbem huius nominis muris percinctam, cuius incolæ inter omnes Nigritas ſunt candidiſſimi. Domus elegantiſſimæ, ad Barbarorum ritum ædificatæ. Incolæ vt plurimum exteri mercatores ſunt. Reliquum huius regni ad Meridiem paſtores & bubulcos habet, qui in tuguriolis ex frondibus compoſitis habitant, quæ circumferũtur quoties

ties aliquo migrandum eſt. Soluit hic Rex Tributum regi Tombuti quotannis 150. aureorum millia.

Cano regnum ampliſſimum citra Canagam plura deſerta loca continet, monteſque valdè nemoroſos, ac multis fontibus irriguos, in quibus mala citera atque millunes ſatis copiosè proueniunt, non multum ſaporem à ſatiuis differentes. In huius regni meditullio iacet oppidum id nominis, quod regia ſedes eſt, muros habens atque domos ex creta ferè fabricatas, & incolas mercatores ditiſsimos, & ciuilitatis amantiſsimos. Reliquum regni ſunt pagi, quos agricolæ & paſtores incolunt. Mittit hoc regnum bonam frumenti, oryzæ, & goſsipij copiam. Rex tributum Regi Tombuti perſoluit. *Cano regnū.*

Caſena regnum citra Sanagam Regno Cano ad Ortum iungitur est autem montibus frequentiſsimis repletum, agrum habet aſperum; hordei tamen atque milij feraciſsimum. Incolæ nigerrimi ſunt, maximè naſuti, & prominentibus labris: horum tugiriola viliſsima ſunt, neque vllus apud hos eſt pagus qui plus quàm 300. numeret familias. *Caſena regnum.*

Sanaga vel Canaga regnum vltra fluuium Canagam ad Oceanum expoſitum eſt. Terra humilis eſt eſque ad Caput Viride, quod Ptol. Arſinarium dicitur. producit milium, fabas, & faſeolos ſatis copiosè: frumentum verò, ſi ligi-nem, hordeum, nec vuas vllo modo fert ob maximum aëris ardorem. fructus iſthic ſatis abundant, paſcua ſunt optima, arbores celſiſſimæ & pulcherrimæ. Lacus permulti aqua- *Sanaga regnum.*

rum dulcium: animantia verò domeſtica iſthic, præter boues & capras, non ſunt; ſylueſtria verò complura, vt ſunt leones, lupi, leopardi, elephantes ſyluatici, & feles zibettum emittentes. Incolæ nigerrimi ſunt, mendaces, proditores, loquaces, luxuriæ addictiſsimi, & zelotypiæ morbo laborantes; aduenas liberaliter excipiunt, vxores quotquot volunt ducunt: Horum Rex ex ſtirpe nobili à populo eligitur, qui nullos certos habet reditus, niſi tantùm nobilium numera.

Gambra regnum. Gambra ſeu Gambea regnum iacet ad fluuium Gambea, eſtque anguſtiſsimum, & habet oram maritimam ſatis amœnam arboribuſque continuo virentibus repletiſsimam, quæ tamen humilis eſt: hîc autem calor maximè feruet. In reliquis ſatis cum regno ſanagæ conuenit, præterquam quòd iſthic oryzæ maior colligitur copia. Incolæ canes ſolent comedere, quod quidem alibi in vſu non eſt.

Gineæ regnum. Gineæ regnum 50. mil. extenditur ad Nigrum flu. iacetque inter fluuium Gualatam, Tombutum, & Melli regnum. eſt autem hordei, oryzæ, pecudum, piſcium, atque goſsipij opulenſiſsimum. Fructus præter dactylos iſthic non ſunt, qui tamen ex Gualata & Numidia huc afferuntur. nullum omnino habet oppidum, aut caſtrum, ſed pagum vnum ampliſſimum, quem Princeps, Sacerdotes, Doctores, mercatores, cæterique regionis nobiles inhabitant. domus cretaceæ ſunt, tectis ſtramineis. Incolę goſsipio nigro, aut cęruleo ſe veſtinun, quo etiam caput tegunt; ſed Sacerdotes & Legiſdoctores candidum, geſtant goſsipium. Horum

rum nummi aurei ſunt, nulla inſcriptione inſignìti. vtuntur etiam nummis ferreis pro rebus minutioribus emendis.

Tombutum regnum ab oppido id nominis vocatur, iacetque vltra fluuium Ianagam. eſt autem frumenti, pecudum, lactis atque butyri abundantiſſimum, ſed ſalis magnam habet penuriam, quod alibi aduectum caro emitur pretio: equorum etiam pauca quantitas hîc eſt. Tombuti Rex complura alia poſsidet regna, vnde opulentiſsimus eſt. habet enim bracteas aliquot atque ſceptra, quorum nonnulla mille & trecentarum ſunt librarum. aulam ait magnificam, in qua ſunt ſemper equitum 3000. & peditum infinitus numerus, qui ſagittis veneno infectis vtuntur. Eſt verò hic Rex atrociſſimus Iudæorum hoſtis, qui non ſolùm eos in regnum ſuum non recipit, ſed etiam illorum bona proſcribit quos cum Iudæis commercia habere intelligit. Magnam inſuper doctiſſimorum virorum copiam alit. vrbs autem regia domus omnes ex creta habet & ſtramine compactas, præter vnum templum elegantiſſimum, & Regium palatium, quę ex lapidibus & ex calce conſtant. Frequentiſſimi ſunt hic putei, quorum aqua dulciſsima eſt. Incolæ mites ſunt, placidi, & qui cantando & ſaltando maiorem diei partem conſumunt: ditiſſimi etiam ſunt, præſertim exteri. Infiniti libri manuſcripti ex Barbaria huc adferuntur, qui magnoperè æſtimantur. Eſt etiam in hoc regno Cabra oppidum ſatis amplum, abſque muris in pagi formam extructum, cuius ædificia atque incolæ nihil penè ab illis Tombuti differunt.

Tombutum regnum.

DE RELIQVIS NIGRITArum regnis. Cap. 19.

Melli regnū. MElli regnum habet ad Septentrionem Gineæ regnum; ad Occidentem vaſtiſſimas ſyluas ad Oceanum extenſas; ad Orientem Gagum territorium; ad Meridiem verò deſerta ac montes aridiſsimos. adiacet autem fluuio cuidam ex Nigro effluenti, atque per 300. ferè paſſuum millia extenditur. Eſt autem hoc regnum frumentibus, carnibus, & goſsipio opulentiſsimum. incolæ ditiſsimi ſunt, ac mercibus copioſiſsimi, cæteróſque Nigritis ingenio, ciuilitate, & induſtria præpollentes. Exteri apud Regem in precio habentur. Oppidum regium in formam pagi conſtructum eſt, quod Melli dicitur, continetque plus 6000. familiarum. Sunt autem in eo frequentia templa, ſacerdotes, atque prælectores, qui in templis prælegunt, cùm apud eos collegia non ſunt.

Gago regnū. Gago regnum oppidum huius nominis præcipuum habet, vbi Rex commoratur, quod ampliſsimum eſt, nulliſque præcinctum muris, atque à Tombuto verſus Meridiem diſtat 400 miliaribus. huius domus viliſsimæ ſunt, præter regiam & nobilium domos: putei hîc frequentiſsimi ſunt dulcium aquarum; frumenti, oryzæ, & carnium hîc abundantia, fructuum tamen (præterquam millunum & citronum) magna eſt inopia. Mercatores ditiſsimi hîc reperiuntur, quorum merces ſumptuoſæ ac pretioſæ ſunt, caroque venundantur precio.

Præ-

Præter hoc oppidum in hoc regno nihil aliud inuenitur quàm pagi atque vici, quorum incolæ ſunt agricolæ, & paſtores ignari atque rudes.

Guber regnum diſtat à Gago verſus Orientem 300. miliaribus, atque ab altiſsimis montibus percingitur. In hoc ſunt innumeri pagi, agricolis & paſtoribus repletiſsimi, qui magnam alunt pecudum & armentorum copiam. Mittit hoc regnum orizæ & aliorum quorundam leguminum miram quantitatem. ſuntque hic innumeri artifices, & telarum textores Præcipuus huius regni pagus, in quo aula Regis eſt, familiarum ſex ferè millia complectitur, inter quas omnis generis mercatores ſunt. *Guber regnum.*

Bito regnum ab Occidente Regno Guber iungitur; à Septentrione regnis Cano & Zegreg; ab Ortu Temiano regno. Eſt autem opulentiſsimum, vt quidam tradunt, ſed de eo particularia non habentur, ſicut nec de Temiano regno. *Bito regnum.*

Zegreg regnum inter Cano, Guber, & Zanfara ponitur. eſtque partim in planitie calidiſſima, partim in montibus ſitum frigidiſsimis. ager maximè irriguus eſt, & frugibus omnibus feliciſsimus. Incolæ ditiſsimi ſunt, & apud alias nationes maximè negotiantur. *Zegreg regnum.*

Zanfara regnum, quo ad Orientem ſuperiori coniungitur, agrum habet frumento, oryza, millio, atque goſsipio copioſiſsimum. Incolæ viliſsimi ſunt & ruſticitatem referentes, ſtaturà proceri & colore nigerrimi, læta facie, & ingenio belluino. *Zanfara regnum.*

Guan-

Guangara regnum. Guangara regnum inter deſertum Geogam, & Zāfaram regnum poſitum. huius Rex 7000 ſagittariorum, & quingentorum equitum alit, ampliſſimoſque ſibi quotannis recipit prouentus. Incolas autem innumeros habet. non ſunt tamen in eo niſi viliſsimi pagi, vno tamē excepto, in quo Rex reſidet, cuius incolæ ditiſſimi ſunt, & cum exteris negotiantur. Huic regno vicina eſt à Meridie Aurifera regio.

Bornum regnum. Bornum regnum ampliſsimum eſt, habetque ab Occaſu Guangaram, & verſus Ortum ad quingenta ferè miliaria producitur. Eſt autem alicubi planum, alicubi montoſum. planities eius plurimis pagis mercatoribus repletiſsimis ornatur, vbi frumenti magna prouenit copia. Montes à publicorum paſtorumque innumera multitudine habitantur, ibique millium, & alia frugum genera nobis incognita proueniunt. Incolæ nullam habent religionem, ſed belluarum more viuunt: neque propriam vxorem aut prolem agnoſcunt: quinimo nec propria nomina ipſis imponuntur, ſed ab aliquo accidente diſtinguuntur. Rex potentiſſimus eſt, & equitum circiter tria millia, peditum verò infinitum alit numerum. ac nullum alium habet Rex prouentum, quàm quod ſuis incurſionibus & prædationibus adimere hoſtibus ſolet.

Gaoga regnum. Gaoga regnum iacet inter Borni & Nubiæ regna ac deſerta nonnulla, quod quidem tam in longum quàm in latum 500. miliaribus patet. Incolæ nulla vtuntur humanitate, literarumue cognitione, ſed agreſtiſſimi ſunt, præſertim ij qui montana colunt. nudi incedunt,

puden-

pudenda tantùm cooperiendo: horum domus ex ramulis ac frondibus ſunt compoſitę, & apud eos copioſiſſimus eſt grex, cuius etiam maximam gerunt curam.

Nubiæ regnum ab Occaſu habet Gaoga regnum, ab Ortu Nilum, à Septentrione Aegyptum, & à Meridie deſertum Goraniæ. Incolæ vocantur Nubæ, qui miſeram ducunt vitam, agriculturam vt plurimum exercentes. Leo tamen Africanus ait ciues eſſe ditiſsimos, ciuilitatiſque amantiſsimos: atque eos maximè cum Cairi ac Aegypti mercatoribus negotiari. Chriſtianam olim habuerunt fidem; ſed nunc corrupti ſunt ab Hebræis & Mahumetanis. Præcipuum oppidum eſt Dangala, commercijs ſatis affluens, in quo ſunt circiter decies mille familiæ; ſed domus cretaceæ ſunt ſtramineis tectis. In reliqua Regni parte reperiuntur tantùm pagi ac vici prope Nilum fluuium ſiti. Regio ipſa abundat oryza, ſaccharo rubeo, ſandalo, & ebore multo, ziberto inſuper, ac auro. Eſt autem arenoſa, & lacubus copioſa, qui eam abluunt & irrigant. Reperitur hîc venenum præſentiſsimum, cuius decima grani pars homini illata, antè horæ quadrantem ipſum enecat. ſingula autem huius veneni vetia centum aureis emitur: ſed ſolùm exteris hoc venenum venditur. *Nubia.* *Dangala vrbs.*

Gothan, Medra, & Dauma regna ponit etiam Sanutus inter Gaogam, Bornum, & Iudæorum terram, quæ maiori ex parte incognita ſunt: aſſerit tamen Reges habere opulentiſsimos, ſed populum viliſsimum, qui per deſerta ſparſim inhabitat. *Gothan.* *Medra.* *Dauma regna.*

Præter hæc regna ſunt alij etiam populi ſparſim per hanc Nigritarum terram, de quibus pauca habetur cognitio.

SVPERIOR SEV INTERIOR Aethiopia, vbi Abyſsinorum, ſiue magni Regis Dauidis eſt Imperium, quem vulgo Presbyterum Ioannem vocant. quinta Africæ pars. Cap. 20.

SVperiorem hanc, ſeu Interiorem Aethiopiam poſsidet magnus ille Abyſsinorum Princeps quem vulgo Presbyterum Ioannem vocant. quamuis impropriè id fiat: verus enim ille Presbyter Ioannes potentiſsimus patrum noſtrorum memoria in Aſia Princeps fuit, confeſsione quidem Chriſtianus, Neſtorij tamen dogmatibus addictus: cuius quidem Regnum à Tartaris deletum eſt; atque ita nomen illud magnificum ad hunc noſtrum Dauidem Regem errore translatum, propter Imperandi forſan aut ceremoniarum ſimilitudinem. Italis Prete Gianni, Mauris Aſiclabaſsi, & ſuis, hoc eſt Abyſsinis, Accgue id eſt Imperator; & Neguz, id eſt Rex, cognominatur. Eſt autem hic princeps inter potentiſsimos totius Orbis connumerandus, cuius Imperij limites attingunt ferè vtrumque Tropicum, mare Rubrum, & Oceanum Aethiopicum, atque in ambitu 672. leucas plus minus complectitur. Habet igitur à Septentrione Nubiæ & Bugiæ populos Aegypti regioni confines: ab Ortu ad ma-

Termini Abyſsinorũ regni.

ad mare Rubrum & ſinum Barbaricum extenditur, atque ad terram vſque Aianam & Dancali regnum, quæ ad exteriorem Aethiopiam attinent: à Meridie Lunæ montes attingit: ab Occaſu regnum habet Manicongi, Nigrum amnem, Nubiæ regnum, & Nilum fluuium.

In hoc autē terræ tractu volunt quidā regiones haſce antiquorum comprehendi, nempe Aethiopiam ſub Aegypto, Trogloditicam, Cinnamomiferam regionem, & Libyæ interiorem partem. De hac autem Orbis parte multa miranda ab antiquis prædicantur, quæ tamen noſtris temporibus fabuloſa penitus eſſe comperta ſunt. Aethiopiam porrò ipſam Aetheriam primò, deinde Atlantiam fuiſſe appellatam Plinius teſtatur: poſtremò verò Aethiopia ab Aethiope Vulcani filio, qui ei regioni præfuit; ſeu potius à verbo Græco, quod apud nos eremo ſonat; quandoquidem ipſa regio ſub Torrida iacet Zona, ardoribuſque ſolis maximè expoſita eſt: ex qua quidem aduſtione incolæ omnes nigri ſunt. Olim quidem Chuſæi vocabantur terræ huius incolæ, à Chus filio Chami, vt Ioſepho placet: atque etiam adhuc Cuſſios ipſos à Luſitanis dici nonnulli tradunt. Abyſſini verò dicuntur lingua Aegyptiaca ab habitationibus quas colunt, namque ſparſim inhabitant. Eſt autem ipſa regio in vniuerſum (vt ex recentibus ſcriptoribus qui eam luſtrarunt, conſtat) fertiliſſima. Nam etſi frumentum parcè mittat, nihilominus hordeum, milium, Zaburrum, ciceres, fabam, aliaque legumina abundantiſſimè profert, quorum nonnulla nobis ignota ſunt: Saccharum *Fertilitas Abyſſinæ.*

etiam in arundinibus copioſè producit,ſed co quere illud ac depurare neſciunt. Vites iſthic multæ ſunt;at vinum confici non licet, niſi in Regia domo,atque etiam in domo Patriarchæ totius regionis,qui ſolet appellari Abuna.Mala medica,citria, & limones ad abundantiam hîc ſponte proueniunt: melones autem,rapas, & oleas non fert regio. oleum tamen conficitur hîc ex fructu quodam Geua incolis vocato. Mellis porrò immenſa eſt copia: nam apes in ipſis etiam hominum domibus nutriuntur. vnde cæræ tantam conficiunt copiam, vt toti regioni ad candelas conficiendas ſufficiat abſque ſeui vſu. Linum habet etiam regio hæc,ſed incolæ artem ex ipſo telas conficiendi ignorant, atque vtplurimum pannos ſuos ex goſſipio conficiunt, cuius hîc magnus eſt prouentus. Habet præterea regio hæc omnis ferè generis animalia, & aues: vtpote boues, pecora, capras,aſinos,camelos,equos:deinde elephantes,leones,tygrides,linces,taxos,& ceruos: vrſi tamen, cuniculi, & carduelis iſthic non videntur. Hoc autem inſigni incommodo regio hæc laborat, quod locuſtas numeroſiſſimas producit, quæ ſua multitudine aërem ipſum obfuſcantes, nunc hanc nunc illam prouinciam vaſtant:omnem enim ſegetem, meſſem, & arborum folia,imò cortices deuorant ac depaſcuntur. Metalla etiam omnia,ac mineralia abundè producit; ſed gentes hæ artificia omnia,quę ad mineras expurgandas requiruntur, prorſus ignorant. Fiunt iſthic duæ æſtates, ac duæ hyemes, quæ non à frigore aut caliditate percipiuntur,ſed à pluuiarum copia, & à ſerenitate.

Locuſtæ huic regioni noxiæ.

nitate. Duo autem memorabiles amnes per Aethiopiam diſcurrunt, nempe Abanhi, qui eſt Aſtapus Ptol.& Taccaſij, qui Ptol.eſt Aſtaboras, in quem complures alij amnes confluunt. Fons Abanhi eſt Barcenæ lacus ampliſsimus ſub Aequinoctiali iacens, in quo plures ſunt inſulæ Monachorum monaſteria continentes. hic lacus eſt Coloë palus Ptolomæi. *Fluuij Aethiopiæ.*

Incolæ nigri ſunt, viles, atque omni doctrinarum genere deſtituti, ne medicinæ quidem vſum habentes. horum veſtitus ex animalium pellibus, & pannis præſertim goſſipinis conſtat: domus habent humiles ac viles, ſub rotunda forma, ex creta & ſtramine confectas, quarum inferiorem tantùm partem inhabitant, apertis ſemper ianuis, ſed nemo alterius domum ingredi valet, nullis vel mappis vel menſis vtuntur: quando verò comedunt, humi ſedent, vel ſuper tapetos aut alios pannos. Nullus apud hos eſt æris monetalis vſus, ſed eius loco aurum purum infectumque penditur: rerum commutationibus vtplurimum vtuntur, in quibus ſal & piper maximo ſunt vſui. Apud hos venatio & piſcatio in vſu parum ſunt, ac inter eos pauci ſunt artifices. Europæos omnes Francos appellare ſolent, ſed alias gentes albas Ghibetes vocant. Chriſti cultum obſeruant, ſed diuerſè ab Europæis: nam circumciduntur omnes etiam fœminæ, atque etiam baptizantur in nomine, Patris, Filij, & Spiritus ſancti poſt 40. dies ab eorũ natali: quin etiam ſingulis annis rebaptizantur in die Epiphaniæ *Incolarum mores & conditio.*

Domini; & omnibus baptizatis eodem momento ſacram Euchariſtiam miniſtrant. In templis ſuis more noſtro campanas habent, ſed plerunque ſaxeas. Miſſam celebrant; ſed Sacerdotes omnes ac Presbyteri matrimonium contrahunt: quod tamen Monachi non faciunt, quorum ingens eſt numerus vtriuſque ſexus, & innumerabilia ferè apud eos horum ſunt monaſteria. Sed in virorum monaſteria neque mulier, neque animal vllum fœminei ſexus intrat. Monachi ieiunium ſtrictiſſimè obſeruant ad 50. dies: alij aqua & pane tantum, alij ſolis herbis ſuſtentantur: alij verò toto hoc tempore ſub aqua permanent vſque ad mentum. Hi monachi comam nutriunt ſicut & laici, barbam tamen abradunt, ac crucem collo ſuſpenſam geſtant. Presbyteri verò abradunt caput, & barbam nutriunt, crucemque in manibus ad laicorum differentiam ferunt.

Ordo ſacerdotalis.

Plebei duas, interdum verò plures vxores ducunt, abſque vlla pœna; ijs tamen Eccleſiam ingredi non licet: diuortia tamen facere poſſunt. In ſumma Abyſſinis eſt veneratione D. Thomas cognomento Didymus.

Cæterum hunc Abyſſinorum Imperatorem ex antiquiſſimo ſtemmate ortum ducere credunt, hoc eſt, à Dauide procreatum eſſe, ſtirpe vnius gentis in tot ætates propagata: atque ipſemet in ſuis titulis hoc affirmat. ſolet autem inſcribi ſic: N. ſupremus meorum Regnorum à Deo vnice dilectus, columna fidei, ortus ex ſtirpe Iuda, filius Dauid, filius Salamonis, filius columnæ Sionis, filius ex ſemine Iacob, filius manus Mariæ, filius Nahu ſecundum

Abyßini Imp. titulus.

dum carnem, filius ſanctorum Petri & Pauli ſecundum gratiam, Imperator ſuperioris & minoris Aethiopiæ, & ampliſſimorum regnorum, iuriſdictionum, & terrarum, Rex Goæ, Caffares, Fatigar, Angolæ, Barn, Baliguazæ, Adeæ, Vanguæ, Goyame, vbi Nili fontes, Amaræ, Baguamodri, Ambeæ, Vanguci, Tigremahon, Sabaim patriæ Reginæ Sabæ, Barnagaſſi, & dominus vſque in Nubiam quæ in Aegyptum extenditur.

Hic verò Princeps veteri inſtituto nullam habet determinatam ſtationem, vbi continuò reſideat: ſed modò ad hanc modò ad illam partem proficiſcitur, ſub tentorijs degendo, quorum circiter 6000. ſecum defert: vnde tota eius aula occupat ferè 10. aut 12 miliaria. Immenſam habet auri & argenti copiam, ſupellectilia innumera, atque alias diuitias incomparabiles, quas vt plurimum in montium cauernis conſeruat. Aiunt ipſum non atro colore eſſe vt reliqui ferè Aethiopes, ſed candido; ac decies centum millia hominum ad bellum inſtruere; quingentos inſuper elephantos, & equorum ac camelorum ingentem numerum. *Vaga Imp. ſedes.* Non ſunt in toto hoc Imperio vrbes aut oppida celebria, aut multitudine habitantium, aut ædificijs muriſque; ſed maiores habitationes plus quam 2000. familiarum non habent, eorumque domus ex creta & ſtramine ſunt compactæ, non autem ex lapidibus & calce, ex quibus templa ſolummodo, ac Regiæ domus ædificantur. Præcipua Regna ad altam Aethiopiam pertinentia quæ vt plurimum Abyſſinorum Imperatori ſubiacent, ſunt hæc quæ ſequuntur. *Oppidorum conditio.*

DE REGNIS ABYSSINOrum ad altam Aethiopiam pertinentibus. Cap.21.

BArnagnes,ſeu Barnagaſſum regnum vicinum eſt Aegypto: clauditur enim inter Abanhi amnem,& mare Rubrum, vbi portum habet Ercoccum. Regio eſt villis & pagis frequens, fluuijs & aquis copioſa, vnde fertiliſſima. Prorex huius regionis qui ſolet nuncupari Barnagaſſus, ſuam habet ſedem in vrbe Beroæ ſeu Baruæ,quæ Ptol. Coloue dicitur vt Sanuto placet. Iacet autem ad fluuium amœnum ac piſcoſum,tributum Regi ſuo Dauid 150.equorum optimorum perſoluit, ſericum item,pannos ſericos & bombicinos,aliaque huiuſmodi,quæ ex Iudæa habet. Præterea etiam Baſſæ Turcico, qui Suaquem vrbem inhabitat,1000.auri vncias quotannis perſoluit. Turca enim præteritis temporibus vi cepit vrbem & portum Ercoccum, ſicut etiam Suaquem vrbem cum portu,qui Ptol. Sebaſticum oſtium eſt, quæ ambo ad hoc regnum pertinent.

Tigremaon regnum. Tigremaon regnum ampliſſimum iacet inter Marobo fluuium,Nilum,mare Rubrum, & regnum Angore. Huius Rex ſoluit Abyſſinorum Imperatori cui ſubeſt, quotannis ducentos equos, ex Arabia aduectos, innumeram pannorum ſericorum, & goſſipij copiam, aurum etiam permultum.

Tigrai regn. Regnum Tigrai, in quo eſt vrbs Caxumo, ſeu Caſſumo, ſedes olim Reginæ Sabæ, quam Maquedam nuncupatam ferunt, ex qua filium ſuſce-

ſuſcepit Salomon nomine Meilec. Hæc ipſa vrbs fuit etiam ſedes Candacis Reginæ. Ad hoc etiam regnum Tigremaon, Sabain, Torrates, Balgada regiones, & alia loca pertinent.

Angote regn. Angote regnum ponitur inter Tigremaon & Amaran regna, eſt autem montibus ac vallibus refertiſſimum, & vbique fruges omnis generis ad abundantiam producit: animalia etiam innumera habet. incolæ ſemel tantùm quotidie cibum ſumunt, & hoc quidem nocturno tempore: veſcuntur autem vtplurimum carne cruda, & ſalſamentis ex felle vaccino confectis. Monetæ loco ſalem, & ferrum in globulos habent. Subſunt huic regno Abugana, Giannamora, & aliæ nonnullæ regiones & loca. *Amara reg.* Amara regnũ habet à Septentrione regnum Antogenſe, ab Ortu regnum Xoæ, à Meridie Damutum regnum, & ab Occaſu ad Nilum ferè amnem extenditur. Eſt autem regio hæc vtplurimum campeſtris, paucos habens montes, ſatis frugifera, & animalium repletiſſima. In hac eſt mons Amaræ, immenſæ latitudinis & altitudinis, aſcenſuque difficilimus, in quo Imperatoris filij in cuſtodia à præſidijs detinentur, quo defuncto Imperij ſucceſſor deducitur. *Xoa regnũ.* Xoa regnum inter Amaram, Damur, & Fatigar regna iacet. ſunt in hoc regno permulta profunda loca: mittit autem fruges & animalia omnis generis ad abundantiam.

Goyami regnum. Goyami regnum duos immenſos continet lacus, è quibus Nilus fluuius emanat: eſtque auri abundantiſſimum, quod tamen impurum eſt. in Septentrionali ſui parte loca habet deſerta, ac montibus aſpera.

Bagamedrum. Bagamedrum regnum cæteris huius altæ Athiopiæ ampliſſimum eſt: iuxta Nilum enim fluuium à Goyamo regno vltra Gueguere inſulam producitur; quod quidem ſpatium ſexcentis pene miliaribus patet. Sunt autem in hoc regno præter cætera argenti mineræ ditiſſimę.

Gueguere inſula. Gueguere verò inſulam, quæ antiquis ab vrbe eius nominis Meroes vocabatur, Nilus amnis efficit, quæ longitudine 350. mil. latitudine circiter 125. patet. Eſt hæc auro, argento, ære, ferro, ebore, lapillis precioſis, & ſale minerali diues: producit quoque leones, elephantes, rhinocerotes, pardos, & dracones. Incolæ Mahumetani ſunt, qui contra Abyſſinos cum Turcis & Mauris confœderati ſunt. Habet inſula hæc, vt ſcribit Plinius, bis in anno ſolem in vertice, & tunc nullæ iaciuntur vmbræ: hoc tantùm euenit cum gr. 16. Tauri, & gr. 14. Leonis perluſtrat.

Fatigar regnum. Fatigar regnum, Adel & Xoæ regnis interiacet. huius loca campeſtria ſunt, ac frumenti, hordei, aliorumque frugum feracia. Iſthic animalia multa domeſtica ſunt. Eſt etiam hîc celſiſsimus mons, in cuius vertice lacus 12. miliarium ambitu patet, & piſcibus abundat: ab eodem etiam monte permulti emanant fluuij piſcibus repletiſsimi.

Damut regnum. Damut regnum, vt ſcribit Sanutus, vicinum eſt regno Xoæ, atque inter Barcenæ lacum, & terram Zanguebaram clauditur. Alij ponunt Damut regnum vltra regna Vangue & Goyami verſus Occaſum, quod magis conſentaneum. Abundat autem hoc regnum auro, zinzibere, vuis, frugibus, omnique animalium genere.

nere. Mancipia huius regni plurimi æſtimantur, quæ diſtrahi ſolent per totam Arabiam, Perſiam, & Aegyptum, vbi ad bellum valdè idonei fiunt. Incolæ maiori ex parte gentiles ſunt, reliqui verò Chriſtiani, qui monaſteria aliquot habent. Iſthic eſt mortis mons altiſsimus, cuius aſcenſſus ex vna tantùm parte patet, in quem nobiles viri nutu Imperatoris damnati proijciuntur vt intereant. Inter Nili fontes circa montes Lunæ, dicunt nonnulli eſſe tum Amazones mulieres bellicoſas & fortes quæ arcubus vtuntur & reginam habent: tum etiam Cafates populos, qui nigerrimi ſunt, & corpore pergrandi, à Iudæorum ſtirpe prognati: ſed nunc idololatræ ſunt, & Chriſtianis infeſtiſsimi, quippè qui continuo Abyſsinos adoriuntur, præſertim noctu, eoſque interficiunt & deprædantur: die verò in montibus, & vallibus profundiſsimis permanent. Ad hanc interiorem Aethiopiam pertinet etiam Dancali regnum, & Dobas prouincia, quę regiones mari rubro vicinæ ſunt, & à Mauris coluntur, nec ſub Imperio Abyſsinorum manent.

Amazones mulieres.

Cafates populi.

Dancali regnum iacet inter mare Rubrum, & Dobas regionem, & ab Ortu ad fretum vſque maris Rubri extenditur. Mauri huius regni incolæ continua cum Abyſsinis bella gerunt, ſuntque Chriſtianis infeſtiſsimi. Ad hoc regnum pertinet Vella vrbs, & portus ſupra mare Rubrum. Dobas prouincia ſeu regnum, iacet à Meridie regni Dancali, Maurorumque Imperio ſubeſt, ac in 12. ſeu vt alij ſcribunt, in 24. præfecturas diuiditur. Tributa perſoluunt

Dancali regnum.

magno Dauidi regi. Eſt apud hos Mauros lex qua cauetur vt nemo matrimonium cõtrahere poſſit, niſi prius 12. Chriſtianos occiderit. Sunt in hac regione innumeræ vaccæ, ſtatura & magnitudine reliquas excedentes.

AETHIOPIA INFERIOR, SEV EXterior, ſexta Africæ pars. Cap. 22.

AEthiopia inferior ſeu exterior, ea Meridionalior eſt totius Africæ pars, quæ Ptol. & antiquis prorſus incognita fuit, & à Portugallenſibus proximè elapſo ſæculo inuenta & perluſtrata. Hæc autem incipit Occaſum verſus ſupra Zaire flu. nõ longè ab Aequatore, & totam complectens littoralẽ Africæ partem vltra ipſum Aequatorem, Abyſſinorum regnum ab hac parte circumabit vſque ad fretum Arabicum. Sunt autẽ in hac terræ parte multa memorabilia, vt ſunt regna aliquot inſignia, Lunæ montes celeberrimi, amnes notabiles à Zembre lacu emanantes, qui dicuntur Cuama, & Spiritus ſancti fluuius, famoſiſſimum illud Bonæ ſpei caput, & alia. Diuiditur verò hic terræ tractus in quinq; præcipuas partes, quæ ſunt terra Aiana, terra Zanguebara, Bonomotapæ regnum, Cafrorum regio, & Manicongi regnum. *Aiana terra.* Aiana terra vocatur ab Arabibus regio illa quæ inter Ianuas maris Rubri & fluu. Quilmancis iacet. Quæ maiori ex parte circa maris littus ab ipſis incolitur: at mediterranea tenent etiam Nigræ gentes idololatræ. continet autem duo regna, nẽpè Adel & Adea. Adel regnum amplum eſt, & ab Arabiæ freto ad Caput Gardafunium quod Ptol. Aromata promontorium eſt, extenditur. habetq; à Meridie & Occaſu Imperij Abyſſinorum fines, vbi

vbi ſcilicet eſt regnũ Fatigar. Rex Maurus eſt, qui Chriſtianis continua gerit bella, multos Abyſſinos in captiuitatem ducendo, quos Turcę & principibus Arabiæ dono mittit, atque ab eis haud parua equorum auxilia ſicut & militum pro bello ſuſcipit. Incolæ oliuaſtro ſunt colore, bellicoſi, licet inermes. Metropolitana vrbs eſt Anar, vt nonnulli ſcribunt. Subeſt huic regno Zeila vrbs *Zeila vrbs.* Maurorum, in arenoſo ac humili ſolo, quæ ibi condita eſſe creditur, vbi olim fuit Analites Ptolemæi, extra fretum maris Rubri. Vrbs hæc maximè commercijs viget; ibi enim ex India panni, elephantum dentes, thus, piper, aurum, atque aliæ merces deferuntur. Eius ager mittit ſatis copioſè, mel cæram, olei maximam quantitatem, quam non ex oliuis, ſed ex zerzelino colligunt. abundat præterea frugibus, animalibus, ac fructibus à noſtris differentibus, adeò vt etiam ad alias nationes per vndas mittantur. Barbora etiam vrbs Maurorum ſub hoc regno cadit, quæ portũ habet ad quẽ *Barbora vrbs.* permultæ naues mercibus onuſtæ ex Aden & Cãbaia appellunt. Gentis color niger eſt, & opes eorum ſunt carnes. putant quidam hîc eſſe locum qui Ptol. Malao vocatur. Adea regnum alterum *Adea regnũ.* Aianæ terræ ad Ocean. vſque Orient. pertingit, & habet à Sept. regnum Adel, & ab Occaſu Abyſſ. Imp. Eſt autem frugiferum valdè, & quadam ſui parte nemoribus abundantiſſimum, vbi armenta & fruges copioſiſſimè proueniunt. Habitatur autem à Mauris qui pacifici ſunt, ac tributa Regi Abyſſinorum perſoluunt. Subeſt huic regno Magadazzum regnum, quod nomẽ ab vrbe huius regni ſumit, ad mare expoſita, valdè tuta, munita, pulchra, ac opulenta, cui Rex Maurus præeſt.

Territorium habet fertile, carnibus, equis, tritico, hordeo, & frugibus abundans. portum inſuper habet commercijs frequentiſſimum, vbi naues ex Aden & Cambaia concurrunt, varijs pannis, aromatibus, & alijs mercibus onuſtæ. ex hac verò vrbe trahunt elephantium dentes, aurum, mancipia, mel, cæram. Incolæ oliuaſtri ſunt & nigri, ſicut cęteri circumuicini, & nudi à ſuperiori parte incedunt: Arabicè verò loquuntur, & pauca habent arma; vnde ſagittis tantùm veneno infectis vtuntur. Fuit olim hæc vrbs caput Maurorum totius huius oræ maritimæ per longum tractum.

ZANZIBAR, SEV ZANGVEbara terra, quæ ſecunda eſt inferioris Aethiopiæ pars.
Cap. 23.

ZAnzibar ſeu Zanguebar dicitur ab Arabibus & Perſis regio ſeu terra à fluuio Quilimāci, qui Raptus fluuius Ptolemæi eſt ad Benomotapæ regni fines vſque producta. Sunt etiam qui totam Meridionalem Africæ partem ſub nomine Zanzibar intelligant vſque ad Caput Nigrum ad Occiduum vſque Oceanum; vnde iſti complectuntur ſimul Benomotapæ regnum & Cafrariam. Sanutus tamen mauult hunc terræ tractum Zanzibar vocatum eſſe humilem, paludoſum, & nemoribus ac ſaltibus occupatum, fluuijſque repletiſſimum: vnde aërem peſtilentem habet. Incolæ nigri ſunt, capillis criſpis, idololatriæ dediti, & ad veneficia & auguria propenſiſſimi. nudi in ſuperiori parte ſunt, ſed inferiorem par

tem

tem pannis diuerſi coloris, & belluarum pellibus tegunt. Hic totus terræ tractus aſper eſt & inops, & Maritima loca inhabitant Mauri. Continet autem hæc terra Melindæ, Mombazzæ, Quiloæ, Mozambique, & alia regna ac loca.

Melinda.

Melindæ regnum ad terram Zanguebaram pertinet, eſtque vrbs muro cincta, amœna admodum, quæ diſtat à Mombazza 70. miliaribus. habet autem oryzæ abundantiam, millium item, carnes, limones, citria, omniſque generis fructus: ſed frumentum ex Cambaia huc affertur. Incolæ Mauri ſunt, quarum domus ex muro conſtant, ſuntque manificæ extructæ Maurorum more. Incolæ colore ſunt oliuaſtri, quidã etiam nigro. horũ alij sũt idololatræ, alij Mahumetanæ ſectæ; ſed omnes ciuilitatem quandam præ ſe ferunt tum veſtitu, tum in domorum apparatu. ſunt autem Portugallenſium amici.

Mombazza.

Mombazza vrbs & regnum iacet in inſula quadam cuius ambitus eſt 12. miliarium. hæc autem eiuſdem qualitatis eſt cum vrbe Melindæ: eius tamen Rex Chriſtianis infeſtiſſimus eſt. Fuit olim hæc vrbs à Portugallenſibus capta, qui ex ea multas opes & multa abduxerunt mancipia: eam tamen poſtea reliquerunt ob cœlum ipſis inclemens.

Quiloa.

Quiloa vrbs ad terram Zanguebar ſpectat, tametſi à continenti in modum inſulæ ſit paruo pelagi freto diſcreta. poſita autem hæc inſula eſt ad oſtium Coaui fluuij, quem alij Quiloa, alij Tahiua vocant, & valdè amena eſt, ac fertilis omnium rerum quæ ad victum requiruntur, ſicut de vrbe Melindæ quoque dictum eſt. Vrbs porrò ipſa magnificis ac ſumptuoſis domibus Arabum more orna-

ornatur, & incolæ Mauri ſunt Mahumetanæ ſe-ctę, & opulentiſſimi, quorum Imperium olim per magnum terræ tractum extendebatur; ſed paucis abhinc annis Portugallenſes capta inſula & vrbe omnia deprædati ſunt, & gentes plurimas in ſeruitutem abduxerunt: vnde Quiloę Rex quotannis 1500. marcarum auri tributum Portugalliæ Regi perſoluit.

Mozambique. Mozambique regnum ad terram Zanguebaram attinet, & ſic vocatur ab vna trium inſularū, quæ vicinæ ſunt continenti, vbi promontorium iacet Ptol. Praſſum vocatum. Quæ quidem inſula etſi ſterilis ſit, populo tamen frequens eſt, & commercijs viget magis quàm vlla alia huius Oceani vrbs. In ea Portugallenſes arcem habent munitiſſimem, eſtque ibi tutiſſimus & capaciſſimus portus, vbi naues Portugallenſium, quæ ad Indos nauigant, quæ ab ijs redeunt, appellunt, optimè ſibi de rebus ad victum neceſſarijs prouidendo.

Monoemugi. Monoemugi regnum in mediterraneis ponitur, & habet ab Occaſu Nilum, & partim Presbyterum Ioannem: ab Ortu regna Mombazę & Quiloæ: à Meridie Mozambique: à Septentrione Abyſſinos. Hic Rex confœderatus eſt cum Regibus Mombazæ & Quiloæ ob negotiationem. Habet minæras auri opulentiſſimas, & populi veſtibus amiciuntur ſericis & bombycinis in inferiori tantùm parte, quas à mercatoribus exteris habent. Monetæ vſus apud hos non eſt, ſed eius loco globulos rubeos vitro perſimiles habent. Subſunt huic Regi quidam populi Agog vocati, crudeles ac feri, qui inter ſiniſtram Nili ripam & Zembræ lacum per diuerſos campos in tuguriolis habitãt, colore nigro, aſpectu horribili, ac hominiuoræ.

Ceſalæ

Ceſalæ regnum maritimum eſt, ac inter Cuama fluuium & Manicam montem clauditur. ſumit autem nomen à parua inſula, ad oſtium fluuij cuiuſdam ſita. in quo quidem regno pauca ſunt oppida, quæ potius vicos aut pagos referunt. Iſthic Portugallenſes arcem habent egregiè munitam commerciorum gratia, quæ ibi magnoperè vigent. huc enim aurum & elephantium dentes ex mediterraneis regnis deferuntur, ac cum mercibus Cambaiæ & aliorum locorum commutantur. *Ceſalæ regnum.*

BENOMOTANAE REGNVM, quæ tertia eſt inferioris Aethiopiæ pars. Cap. 24.

BEnomotanæ aut Benomotaxæ ſeu Menopotapæ regnum ampliſſimum eſt, Principiq; magno ac potenti huius nominis ſubeſt, qui gentilis eſt. Hoc autem nomen eorum lingua idem ſonat quod apud nos Imperatorem. Iacet hoc regnum ad modum inſulæ inter duos ramos fluuij maximi, qui à lacu Zembre verſus Meridiem emanat: à quo quidem lacu Nilus quoque verſus Ortum & Boream; & Zaire verſus Occidentem originem ducunt. Ramus prædicti Cuama vocatus, Boreale latus huius inſulæ claudit: alter verò qui vocatur Spiritus ſancti, Auſtralem & Occiduam inſulæ partem terminat: atque ipſam ab Ortu mare abluit, cuius ſanè inſulæ regnum à multis amnibus, quorum limus & arena abundè aurum deferunt. Regio temperata eſt, amœna, fertilis, ac bona, licet non vndique ſit populo frequens ob nemorum impedimenta. iſthic magna reperitur elephantum copia, qui gregatim

gregatim incedunt, vt ex hac regione magna trahatur dentium eorum ſumma: auri mineræ ſunt hîc optimæ frequentiſſimæque, non tam in ſubterraneis quam in fluuijs ac lapidibus: gens tamen hæc parui illud facit. Incolæ veſcuntur carnibus, oryza, piſcibus, millio, & oleo ſuſimanorum: colore ſunt nigerrimo, capillis hirſutis, mediocri ſtatura, bellicoſi, inſidioſa feritate terribiles, curſu vel incitatos equos præuertentes; nonnulli tamen mercaturam exercent. Idola non habent, ſed vnicum colunt Deum ab ipſis Mozimo vocatum. inferiorem corporis partem goſſipinis & ſericis pannis auro intertextis cooperiunt, & caput varijs modis tegunt. Idololatræ, venefici, adulteri, & fures hîc vltimo ſupplicio puniuntur. Vxores quotquot volunt ducunt, ſed earum prima cęteris pręeſt, eiuſque filij hæredes fiunt; reliquæ vxores huic obediunt ac ſeruiunt. Tempore Sebaſtiani Portugalliæ regis ſuſcepit hic Benemotapa ſacroſanctum baptiſma, vna cum multis regni proceribus: ſed poſtea à Mauris ſeductus occidit Conſaluum Siluam Ieſuitam, cuius ſtudio ad Chriſtianam religionem venit. Sunt autem oppida huius regni diſperſa & exigua, quæ domus ex lignis & ſtraminibus habent. Præcipua eius vrbs eſt Benomotapa, vbi Rex maiori ex parte moratur. vltra hanc inſulam Rex hic longè lateque ſuum extendit Imperium, tàm verſus mediterranea, quàm ad caput vſque Mozambique & caput Bonæ ſpei: ſiquidem complures vicini Reges huic tributa pendent. Sũt etiam in hoc regno mulieres Amazones, ad bellum aptiores quàm viri. Inter reliqua regna huic ſubiecta, Torræ etiam ſeu Butuæ regnũ eſt, quod à fluuio Spiritus ſancti ad Currentium vſque caput

Incolarum victus.

Mores.

Regni amplitudo.

Torra ſeu Butua.

put expanditur, & verſus mediterranea maximè dilatatur. In hoc autem loco ſunt mineræ ditiſſimæ; & famoſiſſimum illud ædificium Simbaoë vocatum, quadrata forma ex lapidibus duriſſimis miræ magnitudinis antiquitus extructum, quo in loco Agyſſimbam fuiſſe Aethiopum regionem à Ptol. poſitam credibile eſt, tum ob poſitionem, tum ob nominis affinitatem. Maxima hîc & optima ſunt armentorum paſcua, & prata vbique cãpeſtria; ſed lignorum & arborum inopia hîc eſt maxima: vnde animalium ſtercor ad ignem nutriendum gentes vtuntur. namque hic frigus maximè ſæuit ob ventos qui à polo Antarctico proueniunt.

CAFRARIAE ET MANIcongi regna, Aethiopiæ inferioris partes quarta & quinta:

Cap. 25.

CAfraria ſeu Cafrorum terra, ea intelligitur pars à fluuio Spiritus ſancti vſque ad Caput Nigrum, vltra Bonæ ſpei promontorium. Regio eſt aſpera & inops; incolæ ſunt inuiles & barbari qui oppida non habent, ſed ſylis ſparſim habitant, ac per montes belluarũ mo- viuunt. Dicuntur verò Caferes, id eſt, ſine lege: udeles ſunt inimici omnium nationum, ac vene- ijs augurijſque plurimum operam nauant. De rum autem mediterraneis locis non habetur tincta cognitio. Cæterum in hac parte famoſimum illud Bonæ ſpei caput extat, vltimũ ſcili- terræ Africæ ad Meridiem, & periculoſiſſimũ od fuit detectum anno 1498. à Vaſco Gama,

tempore Ioannis Portugalliæ Regis. tres autem format angulos, qui vulgò dicuntur Cabo della Guglia, Cabo falſo, & Cabo di Bona ſperanza. Iſthic perpetuò ſæuiunt maximè vēti & procellæ. ſupra hoc promontorium iacet plánities miræ amœnitatis in montis vertice, quæ tabula Capitis vocabitur. perpetuo hæc abſque humano auxilio vireſcit ac floreſcit. Manicongi ſeu Congi regnum habet ab Occaſu Oceanum Aethiopicum, à Meridie Lunæ montes, & Cafares populos, ab Ortu montes à quibus fluuij emanant qui fontes Nili prolabuntur: & à Septentrione Territorium regni Benin. Extenditur autem à Meridie in Boream, à Capite Vaccarum ad Caput regni Benin, ſeu vt alij dicunt, à pelago vſque ad lacum Aquelunda; quod quidem ſpatium complectitur circiter 600. miliaria. Eſt autem hæc regio mirificè abundans herbis, plantis, frugibus, & animalibus innumeris, vt ſunt capræ, pecora, cerui, damæ, capri, cuniculi, lepores, feles, tami, zebrę, bufali, aſini ſylueſtres dantes, & elephantes innumeri miræque magnitudinis, quorum dentes 200. libras pendunt. Serpentes verò quidam adeò magni ſunt, vt integrū vorent ceruum. volucres item & aues hìc ſunt cōplures. Multis præterea aquis regio irrigatur, interque cæteros præcipuus amnis eſt Zaire, ingens mediamque regionem interluens. exoritur autē amnis hic à lacu Zembre, qui vnus eſt ex Nili fontibus. Incolæ ſanguinei ſunt, fortes, ac longæui; capillos in capite paucos habent eoſque criſpos; reliqua corporis pars abſq; pilis eſt, & quater aut ſæpius in dies comedunt, bibentes aquam, aut palmæ liquorem. monetam non habent, ſed eorum loco conchilijs vtuntur, ſicut etiam in vicinis regioni-

Qualitas regionis.

gionibus. Chriſti autem fidem præteritis annis o-
pera ac diligentia Portugallenſium ſuſceperunt.
Diuiditur autem in prouincias ſex nimirum Sun-
de, Pango, Songo, Bamba, Batta, & Pemba: quarũ
Bamba cæteris nobilior eſt. Vrbs regia eſt D. Sal-
uator diſtans 150. mil ab Oceano, ſupra altum
montem & ſaxoſum ſita, in cuius ſummitate extat
planities amœna, fertilis, & aquis copioſa, habi-
tatores continens 10000. penè: & hanc Portugal-
lenſes ſeparatim inhabitant. Angolæ regnum po- *Angolæ regnum.*
pulo numeroſiſſimum eſt, atque olim ſub Rege
Congi erat, à quo poſtea defecit. Rex ſuam habet
ſedem in oppido Cambazza, quod 150. miliaribus
ab Oceano diſtat, & olim cum Portugallenſibus
commercia tenuit; ſed poſtea bellum ſæpe inter
eos exortum eſt. Regio eſt metallis diues, omniq;
animalium genere; carnes tamen canum magis e-
ſtimant quam reliquorum animalium, vnde fit vt
magnus eorum numerus ab incolis alatur pro
macellis. Iſthic ſunt montes Cantaberes mineris
argenti opulentiſſimi, quæ etiamnũ intactæ ſunt,
propter continuũ inter vicinos harum cauſa bel-
lum. Loanghi regnum eſt vltra Manicongi, elephan *Loanghi.*
tibus refertum, cuius populi circumciduntur He-
bræorum more. Anzichi populi ſunt vltra Loan- *Anzichi populi.*
ghum, nempè à Zaire vſque ad deſerta Nubiæ. ab-
undant mineris æris, & ſandalo rubeo ac griſeo.
Regem præcipuum tenent, cui complures obedi-
unt principes; negociantur in regno Conghi, ex
quo ſalem & lunacas maiores exportant ex inſu-
la D. Thomæ aduectas, quæ cum palmarum telis,
ebore, & cum mancipiis permutant. clypeis in bel
lo ex pelle Dant animalis cõfectis, & arcubus pau
cis vtũtur, quibus ſagittas mira celeritate emittũt:

macellum habent pro humana carne, ſicut apud nos pro vaccina: ſed tamen inimicos ſolùm quos in bello capiunt, comedunt; mancipia autem macellaribus exhibent, quando ea conuenienti pretio vendere nequeunt. Reperiuntur inter eos qui Principum gratia ac dominorum ſeſe ipſos macello exponant. ſunt adeò fideles, vt mortem potiùs eligant, quàm non rectè proprijs dominis ſeruire. vnde Portugallenſes hæc mancipia præ cæteris eligunt.

INSVLAE CIRCA AFRICAM inſigniores, ac primùm de Inſula Portus ſancti, & Madera. Cap. 26.

PErmulti circa Africam ſparſæ ſunt inſulæ, quarũ maior pars nihil notatu dignũ habetur, præter has quas vt prestãtiores enumerabimus. Et primo quidem in Oceano Atlantico ſunt inſulæ Portus ſancti, Madera, inſulæ Canariæ, & inſula Capitis viridis. In Oceano Aethiopico ſunt inſula Principis, & inſula D. Thomæ. Deinde poſt Caput bonæ ſpei in ſinu Barbarico, quod Aſperum mare Ptol. eſt, innumeræ ſunt inſulæ maiori ex parte inhabitatæ, præter inſulam D. Laurentij quam Medagaſcar vocant. tandem è regione Capitis Guardafu, olim Aromata promontorium, iacet Zocotara inſula, olim Dioſcuriada. Portus ſancti inſula olim inhabitata fuit, antequam an. Dom. 1428. primùm à naucleris Portugalliæ Regis detegeretur. Vocata autem fuit inſula Portus ſancti, quia inuenta fuit in feſto Omnium Sanctorum, ipſamque Niger putat eſſe Om-

brio

brio Plinij, inter Canarias numeratam; ſed rectiùs
Cerne eſt Ptol. Iacet è regione regni Marocheni,
& eius circuitus eſt 15. mil. ac diſtat ab Aequatore
verſus Boream gr. 32. cum dimidio, & long. habet
gr. 4. cum dimidio à primo Meridiano. Abundat
autem frumento ac frugibus quantum ſibi ſuffi-
cit. Boues, apri, & cuniculi iſthic ſatis ſunt copio-
ſè. Legitur etiam iſthic gummi illud quem draco-
nis ſanguinem vocamus. in vicino mari bona &
copioſa eſt piſcatio. nullum habet hæc inſula por-
tum, ſed ſtationem ſatis tutam. Madera inſ. diſtat *Madera inſula.*
ab inſ. Portus ſancti mil. 40. verſus Garbinum. e-
ius medium obtinet latit. gr. 32. verſus Boream, &
long. gr. 3. cum dimidio: amplitudo eius eſt gr. 140
vel vt alij tradunt 160. hanc Ortelius putat eſſe Iu-
nonis inſulam Ptolem. quam Autololam quoque
vocat. Fuit autem hæc inſula primùm detecta &
habitata ann. Dom. 1420. cùm prius deſerta ac ne-
moroſa eſſet, & immenſis arboribus repletiſſima.
vnde accenſo in ea igne per aliquot annos nemo-
ra omnia conſumpta fuere, & ager ad culturam i-
doneus redditus eſt. Montoſa, ſicut & Sicilia eſt,
atque etiam fertiliſſima: nam cùm primùm ſemi-
nari cœpit, ex vna ſeminum menſura 60. redde-
bat. hodie tamen non adeò fertilis eſt. Mittit igi-
tur hæc inſula fruges & vinum optimum, ſatis co-
pioſè, atque etiam optimos fructus: mel præterea
& cæram profert, præſertim autem miro ſacchari
arundinum prouentu gaudet, quod ad varias inde
regiones exportatur, nomenque ab inſula reti-
net. animalium greges hîc copioſi ſunt, & apris
montes abundant, pauones ſylueſtres, palumbi,
coturnices, & alij volucres iſthic non deſunt. Lim-
pidiſſimorum fontium plena eſt, & circiter octo
fluuijs

fluuijs irrigatur: aëre gaudens calido ac temperato, frigore parum ſæuiente. Cedri in hac inſula creſcunt celſiſſimi, ex quibus menſæ, capſæ, & alia huiuſmodi fabricantur. Sedet iſthic Archiepiſcopus Primas Indiarum, in vrbe Funcial, quæ caput reliquarum eſt.

CANARIAE INSVLAE, OLIM Fortunatæ. Cap. 27.

INſulas haſce Fortunatas antiqui in Atlantico Oceano ponunt, quas hodiè Canarias vocamus, in quorum nominibus recenſendis parũ conuenitur, in earumque diſpoſitione ac ſitu moderni valde à priſcis diſcrepant. Plinius & Solinus haſce ſex recenſent, Ombrio, Iunonia, Iunonia minor, Capraria, Niuaria, & Canaria. Ptol. autem numerat eas, Aproſitum, Heran vel Autolalam, Pluitaliam, Caſperiam, Canariam, & Centuriam. eodem Meridiano cadunt, qui quidem Meridianus initium eſt computationis longitudinis Terræ. Moderni qui eas anno 1402. detexerunt (cùm antea poſt Rom. Imperij interitum latuiſſent) recenſent ſeptem, eaſque alio ordine diſponunt, & hæc ſunt: Lanzarotta, Forteuentura, Magna Canaria, Tenariffa, Ferrum, & Gomera ſunt particularium dominorum: reliquæ ad Regem Portugalliæ ſpectant. In vniuerſum autem hæ inſulæ abundant hordeo, melle, cæra, ſacchari arundinibus, caſeo, pecoribus, capris, camelis, & animaliũ pellibus: imprimis verò mittunt herbam Oricelo vocatam magna copia, ex qua panni colore puniceo inficiuntur, cuius maxima quantitas in alias

Euro-

Europæ regiones defertur. Incolæ olim rudes admodum erant, ſed hodie cultiores & ſagaciores facti ſunt. Harum inſularum maxima eſt Canaria Magna, quæ ampla eſt miliaria 90. & antiquum retinet nomē: incolas autem habet circiter 9000. Tenariffa aliquantò minor eſt, montem habens immenſæ alitudinis, qui procul 90. leucis conſpicitur; altitudo autem eius eſt 15. leucarum: hanc inſulam Niger eſſe putat Niuariam Plinij. *Incolarum mores ac natura.*

Ferri inſula, olim Pluitalia Ptol. vt quibuſdam placet, vel Ombrio Plin. & Aproſitus Ptol. vt alij putant. hæc autem aliam non habet aquam, niſi eam quæ ex arbore quadam ſtillat, quam nubes ei ſubminiſtrat, & hæc ſufficit hominibus & animalibus. Forteuentura inſula, Capraria Plinij eſt, & Caſperia Ptol. vt Niger putat. Comeram inſulam Andreas Baccius putat eſſe Niuariam Plinij.

Palma inſula exigua eſt, ſed amœna, ac vino, caſeo, animalibus & ſaccharo diues. vnde qui ex Hiſpania in Peruuiam ac Breſiliam nauigant, iſthic de rebus ad victum neceſſarijs ſibi prouident.

DE RELIQVIS AD AFRIcam pertinentibus inſulis. Cap. 28.

INſulæ Capitis viridis ſunt nouem, quæ inter Caput viride & Caput album iacent, ac anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, à quodam Genuenſi repertæ ſunt, & has quidem Gorgones ſeu Gorgades aut Heſperides antiquorum putant non- *Inſulæ Capi viridis.*

nonnulli eſſe. Abundant autem capris & ſalinis, ac in eis Hiſpani millium Zaburrum colligunt. Præcipua earum eſt inſula D. Iacobi, cuius longitudo eſt 7. mil. In hac eſt Portugallenſium vrbs & Colonia, quæ vocatur vulgò Ribiera grande, quæ amnem habet, & Portum ſatis tutum. Inſula autẽ vniuerſa aſpera eſt & montoſa, amæniſſimas tamen habet valles & populo refertas. Inſula Principis iacet citra Aequinoctialem grad. pene tribus, quæ quidẽ ſatis culta eſt, ac olim eius reditus Portugalliæ Principi aſſignabatur, vnde inſula ipſa nomen traxit. Diui Thomæ inſula ſub Aequatore præcisè iacet, cuius forma rotunda propemodum eſt, ac diametrum habet 60. mil. Aëre potitur calido, & Aequinoctij tempore, vtpotè mẽſibus Martij & Septembris magnæ iſthic decidunt pluuiæ; alijs autem menſibus ros ſatis copiosè tellurem humectat. quinimò mons eſt inſulæ meditullio nemoroſus valdè, qui continuò nubibus opertus eſt quibus ſyluæ in eo denſiſſimæ adeò humectantur, vt continuò aquam emittant, quæ ſanè ad irrigandos agros ſacchari arundinibus conſitos ſatis ſufficit. Iſthic etiam quantò Sol vertici magis appropinquat, tantò magis Cælum fit nubilum. Solum huius inſulæ tenax eſt, molle, & colore ad rubrum accedente, quod quidem frumentum nõ fert, nec vites, aut vllam fructiferam arborem cuius fructus oſſa habeat; nutrit melones tamen, cucurbitas, ficus, & ſacchari inſignem copiã, ex quo incolæ magnum recipiunt prouentum, quotannis ſiquidem iſthic 40. circiter naues ſaccharo onerantur, quod incolæ in frumentum, vinum, caſeum, coria, vaſa, vitria, & in alia ad victum humanum neceſſaria commutant.

Inſula Principis.

D. Thomæ inſula.

Vrbs

vrbs eſt in hac inſula Pauoaſan vocata, Portugallenſium colonia cum optimo portu, & amne ſaluberrimo, in qua circiter 700. familiæ numerantur.

Diui Laurentij inſula vocatur quia in feſtiuitate D. Laurentij fuit inuenta, incolis Madagaſcar dicitur, & Ptol. eſt Menuthias, Plinio autem Cerne. quæ quidem inter maiores ac ditiores totius Vniuerſi connumeratur. Eius ambitus eſt 400. miliarium, & longitudine ſua Italiam ſuperat, licet non adeò culta ſit. Sita autem eſt vltra Aequatorem à gradibus 17. vſque ad gr. 26. cum dimidio verſus polum Antarcticum, è regione Praſſi promontorij, quod nunc Mozambig vocant; diſtatque à Continenti Africæ prope eius medium mil. 170. Eſt autem omnium rerum ad humanum vſum neceſſarium vber ac beata, mittit enim millium, oryzam, mel, cæram, goſſipium, ſaccharum, limones, medicos, cariophyllum ab Indiano nonnihil diſſimile, & gingiberis aliquantiſper, ſuccinum, crocum, argentum, atque etiam ſandalum rubeum. Iſthic etiam leones ſunt, leopardi, cerui, damæ, capræ, & alia animalia tum domeſtica, tum ſylueſtria. Elephantes mittit inſula hæc innumeros, vnde maxima hinc trahitur eboris copia: ſic quoque camelis abundat, quorum carnes ab incolis ſanitatis cauſa comeduntur. Incolæ ſubfuſco ſunt colore, capillis hirſutis, idololatræ & moribus ferinis ac barbaris, parumque à populis Cafares differentes. pudenda tantùm goſſipinis pannis cooperiunt, & habitant in pagis per nemora ſparſis. Sunt tamen hîc quamplures Mauri, qui oppida ac vrbes incolunt. ſunt etiam hic gentes coloris candidi, quas ex China ortum duxiſſe

Madagaſcar inſula.

Zocotara inſula.

nonnulli cenſent. Zocotara inſula, olim Dioſcoridis Ptol. vocata fuit, vt Ioanni Bario placet, & ſita eſt è conſpectu capitis Guardafu, quod Ptol. eſt Aromata promontorium, eiuſque longitudo eſt miliarium 60. & latitudo 25. quam quidem per medium montes aſperrimi & admirandæ altitudinis diuidunt. Ventis autem magnis vexatur, vnde ſiccitate valdè laborat, ac rebus ad victum neceſſarijs indiget, licet nonnihil millij, dactylorum & fructuum quorundam ferat. Paſcua tamen habet optima pro animalium gregibus. Cinnabaris, ſanguinis draconis, gummi ac ligni aloës magna hinc copia extrahitur. Incolæ rudes ac viles ſunt, colore ſubcinericio, ſtaturæ egregię: Chriſtianam fidem colunt, errores Iacobitarum ſequendo, & crucem magnoperè venerando, eam namq; ſemper collo geſtant. Magicæ vanitati, & incantationibus ſummè dediti ſunt, & habitant in ſpeluncis ac vilibus caſulis.

AEGYPTI, POTENTISSIMI AC nobiliſſimi regni deſcriptio. Cap. 29.

Regio hęc ſcriptoribus tum ſacris, tum prophanis celebratiſſima eſt, multorumque illuſtrium virorum patria. varia autem à diuerſis authoribus ei ſemper nomina indita fuere, vtpotè Aeria, Aetia, Potamia, Ogygia, Melambolos, Hephæſtia, Myara, Aethiopia etiam, propter habitantes illic Aethiopes, vt Stephanus & Euſtachius referunt: ſed Aegypti nomen, quod adhuc apud Europęos ſeruat, acquiſiuiſſe ferunt, vel ab Aegyptio rege Danai fratre, vel à Nilo fluuio me-

mediam regionem irrigante, qui Aegyptus antea vocabatur: vel à populis Merſeis è ſtirpe Chami deſcendentibus, qui Ioſepho aſſerente, Aegyptij dicti fuère. Præter hæc alia etiam obtinuit apud ſcriptores nomina ſeu epitheta, ſiquidem Melampodum regio ob eius fertilitatem, qua cęteras prę ſtat regiones, Apollodoro vocatur; Thebæ quoque Herodoto & Ariſtoteli dicebatur, & in Aegyptiorum ſacris Chemia, teſte Plutarcho in Oſiride nominabatur, pro Chamia ſcilicet (vt Ortelio placet) à Chamo Noës filio. In ſacris Hebræorum literis Meſraim teſte Ioſepho dicitur, & ſic etiam incolæ filij Chus. Aegyptij enim, vt apud Moyſen legitur, à Meſraim filio Chus filij Chami filij Noë originem traxere. Arabes vocant hanc regionem Meſrè, ſed incolas Chibit dicunt, ab illius ſcilicet nomine qui primus in hac parte dominatus eſt. Turcæ verò eoſdem incolas Elchebitz, vt Pineto placet, vel Elquibet, vt Marmolio videtur, nominare ſolent. Hæc porrò prouincia, quæ ab Auſtro in Boream longo tractu porrigitur, terminatur quidem ab Occidente deſertis Barcæ, Libyæ, Numidię, atque Nubię regno: à Meridie agro Bugienſi & Nilo concluditur, vt Leo Africanus tradit, cũ ibi flexuram quandam efficiat, ab Occaſu in Ortum aliquantiſper ſe deuoluens. ſed Plinius quem multi ſequuntur, finit Aegyptum ab hac parte propè Syenem vrbem famoſiſſimam quæ nunc Aſna vocatur. Alij ſcribunt à Meridie cataractas eſſe quæ ſunt præcipites, & aſperas montium anguſtias, per quas Nilus amnis ingenti aquarum mole deuolutus, non fluere inter occurſantes ſcopulos ſed ruere videtur: ab Ortu ſunt deſerta Arabiæ, quæ Aegypto & mari Rubro interiacent,

Varia Aegypti nomina.

Aegypti fines.

qui

qui tractus inuius & aqua carens itinere dierum octo patet; ab Aquilone autem Mediterraneo, quæ maris pars Aegyptiacum à terra pelagus vocatur. Vnde patet id ſolùm Aegyptum cum priſcis vocari, quod habitatur, & à Nilo fluuio irrigatur, nempe tractum eum qui à maximis deſertis circumdatur, incipiens à locis Siene proximis vſque ad Mediterraneum mare. quæ ſanè pars irrigua ad vtramque Nili ripam iacens à Siene ſeu Aſna ad Alcairum vſque, olim Babylon dictum, ſimilis eſt faſciæ in longum explicatæ, ſi excipias diuerticula fluuij, vt ait Strabo, quæ ſunt compluria; quam quidem figuram montes efficiunt, prope quos fluuius ipſe rectà fluens, ac inter ipſos contractus non magis quàm in 300. ſtadiorum, ſeu 37. circiter mil. (licet non vbique) continuam latitudinem diffunditur: recentiores verò quidam tradunt, latitudinem hanc vix eſſe ſeptem aut octo miliarium; ac interdum etiam inter montes ita conſtringi, vt quatuor aut quinque non excedat. ab Alcairo tamen, ſeu prope, is fluuius in duas partes ſciſſus, reliquum Aegypti figura effor-

Duo Nili alui.

mat triangulari, cuius ſanè duo latera ſunt duo ipſius aluei vtrinque ad mare deſcendentes: alter nempe ad dextram vſque ad Peluſiacum oſtium, vbi nunc eſt Damiata vrbs, qui alueus Ptol. Bubaſticus fluuius vocatur: alter ab ſiniſtram ad Canopum vſque proximum Heraclium oſtium, vbi nunc Roſettum extat oppidum; & hic quidem alueus Agathos Dæmon fluuius Ptol. eſt. Baſis autem trianguli huius maritima eſt ora pelagi Aegypti inter Peluſium & Canopicum oſtium ſeu Heraclium, quæ quidem 1300. ferè ſtadijs extenditur, ſeu mil. Italicis 162. ferè, ex Strabonis ſententia;

tia;ſeu vt alij ponunt 170. mil. paſſuum. Eſt itaque hæc Borealior Aegypti portio, quæ inferior dicitur, in modum inſulæ, mari ſcilicet duobuſque illis Nili alueis incluſa, quæ ſub Deltæ nomine à veteribus Geographis ac Poëtis comprehenditur, ob eius ſimilitudinem cum hac Græcorum litera. & hæc quidem 3000. ferè ſtadiorum ſecundum Strabonem ambitu ſuo complectitur; quę faciunt mil. Italica 375. Moderni tamen nonnulli hoc Delta tradunt in ambitu mil. circiter 300. continere. nam à Roſetto oppido prope oſtium Canopicum à Damiata ¶ circa oſtium Peluſiacum ſitam, computant mil. 140. & vtrunque alueum 70. mil. extendunt. Hanc Ptol. magnum Delta appellat, propterea quòd illud poſtea in paruum & tertium Delta ſecat; vocans paruum Delta quod Bubaſtico & Athribitico comprænhenditur.

Aegypti longitudinem omnes ferè ab vrbe Syene ſeu Aſſa ad mare vſque Mediterraneum accipiunt, quam Plinius quingentis octoginta quinque millibus paſſuum menſus eſt: at miliaria circiter 500. continere nonnulli moderni tradunt; Leo tamen Africanus regionis huius longitudinem ſupra Aſnam ad vrbem vſque Aſuam amplam ac vetuſtam extendit, quæ ab Aegypti Nilo 80. circiter miliaribus Orientem & Meridiem verſus diſtat in confinio regni Nubiæ, & populorum Bugiæ, facitque longitudinem 450. miliariorum Italicorum, quæ tamen miliaria cum plus iuſto maiora ipſe Leo accipiat, idcirco quartam partem ſecundum Sanuti opinionem addere oportet, vt ſint miliaria prope 562. communia. Sita eſt autem prouincia hæc non longè à Tropico Cancri verſus circulum Arcticum, inter parallelum ſcilicet *Aegypti menſura.*

ſepti-

Aegypti ſitus cœleſtis. ſeptimum & decimum, ſub ſecundo potiſſimum climate, quo fit vt maximus æſtatis dies horas 13. cum ſemiſſe ſuperet, qui tamen parum ſupra horas 14. ſub Borealioribus partibus producitur. Meridianis verò Alexandrino & Peluſiano incluſa eſt, quorum ille per gr. 60. cum ſemiſſe tranſit, hic verò iuxta gra. 63. cum triente. Peluſianum autem Meridianum intelligimus eſſe ductum per vrbem Teneſſe vocatam, quam cum Ortelio antiquam vrbem Peluſiam fuiſſe credimus.

AEGYPTI DIVISIO IN TRES PARtes, & Nili fluuij deſcriptio. Cap. 30.

REgionis porrò huius diuiſiones varias apud ſcriptores comperimus. Antiquitus diuiſa erat Aegyptus in ſuperiorem & inferiorem. Superior ea intelligitur pars longa & anguſta quæ à catarractis ſupra Sienem in confinio Aethiopum incipit, & ad verticem vſque Deltæ ſeu trianguli propè Alcairum finit: Inferior verò Aegyptus eſt, quæ ab Alcairo ad Mediterraneum mare ſub Deltæ forma à duobus Nili alueis concluditur. Alij ſecant eam in tres partes, ſuperiorem ſcilicet, mediam, & inferiorem. Superiorem accipiunt à finibus Aethiopum iam dictis, ſed terminant eam ſolum ad Antionen ſeu Antioniam vrbem ad Nilum ſitam, quæ hodie Anthius Leoni Africano eſt, & hæc quidem eſt eadem quæ Thebaidis regio, nunc Sahid. Mediam Aegyptum eam portionem intelligunt inter Antinoem vrbem & maioris Deltæ verticem interiacentem quæ Heptapolis & Heptanomia etiam dicitur, & a poſterioribus Archadia ab Archadio Rege appellatur. Inferiorem autem Aegyptũ eandem intelligunt partẽ ſub Deltæ figura contentã,

quæ

quę quidem à Romanis Auguſtamnica ſeu Augu ſtamia vocata fuit;ipſamque Iuſtin.in ſuis Nouellis in primam & ſecundam diuidit;& Ptol.in tres, hoc eſt in magnũ Delta,paruum, & tertiũ Delta. Poſtremò Leo Africanus huius prouincię diuiſionem adfert eo tempore ortam quo Mahumetani illius principatum occuparunt, in tres videlicet regiones,quę ſunt Sahid,id eſt terreſtris,quę à finib. Bugiæ ad Alcairum vſque,& hęc eſt ſuperior Aegyptus:Errifia,quæ eſt ora Occidẽtalis Nili ab Alcairo ad Roſettum:& Bechria ſeu Meremma,quę verſus Orientẽ Nilo flumini adiacet.Nec ignorandum eſt,Aegyptũ olim ab Alexandro Macedone in ſuam ditionẽ redactã,in nomos plures, hoc eſt præfecturas,diuiſam fuiſſe;quod itidem & Romani poſtea fecerunt. Herodotus 18. Nomos ponit, Strabo 19.Ptol.46.num.&Plin.circiter 50.nomorum nominatim meminit:Ortel.verò ex pluribus ſcriptoribus 66.nomorũ nomina colligit,vt apud ipſum videre licet.Regio hæc ſolo fluuio Nilo totius Orbis nobiliſſimo ſecatur,irrigatur,ac proinde fœcũdiſſima redditur,cui varia indita ſunt nomina, & eorũ variæ traduntur rationes. dicitur enim Aetus,id eſt Aquila,Diodoro,propter velocitatem curſus circa catarractas: Aegyptus à Rege Aegypto,qui &prouinciã ſuo de nomine appellari voluit:Melum vocari etiã Feſtus dicit,&Melam Euſtach.&Plutarch.Chryſorras,quaſi auri ferus à Cedrene &Epiphan. appellatur: Syene à Dionyſ. vocatus olim etiã fuit Siris,Tritõ,Dyris, Aſtapus, & Aſtaboras.In ſacris literis Seor,vel Sihor,id eſt turbidus,propter limũ quẽ ſecũ in Aegyptũ fert:in ijſdẽ etiã Gehon&Phiſon nominatur.Nilus autẽ à Nileo Rege nũcupatus fuit, qui flu.illũ vtilẽ colonis

Varia Nili nomina.

nis reddit:Noym ab Aegyptijs; Tacui ab Abyſſinis teſte Barrio, vel Abanhi teſte Marmolio; Nil ab Africanis; Taccaſij & Abanhi ab accolis indigetatur. De huius fluuij origine variæ traduntur à ſcriptoribus opiniones, eæque omnes fere incertæ. hoc tamen nunc certò conſtat, ipſum non à montibus Lunæ, vt Ptol. ponit, ſed à maximo lacu exoriri, qui eſt in ſuperiori Aethiopia inter regnum Manicongi & territorium Benemotapæ ſub gr. circiter 11. altitudinis poli Auſtrici, atque longiſſimo tractu per varias pluresque regiones percurrere magnis retortum fluxibus; ac multas efformans inſulas, quarum omnium maxima & clariſſima eſt Meroës, quam cùm perſtrinxerit (ait Niger) collectus in vnum vires omnes acquirit, & nunc vagus aliquamdiu & extra ripas effluens campos ſtagnat; rurſus multifidas vndas vnum in alueum reſumit, vnde per ſaxa excurrens præcipitem ſe in cataractas emittit, quæ petroſa quædam ſupercilia ſunt in ſuperiori parte plana, vt fluuium recipere poſſint, deſinentia in præcipitium, quo aqua præcipitatur. Aegyptum autem ingreſſus, montes ab vtraque parte protenſi flumen excipiunt, qua conuallibus & anguſtijs interiectis diſperſum, magnos lapſos vſque Deltam fermè efficit; nam quantum ij extenduntur & inter ſe diſtant, tantum diffunditur flumen & contrahitur, ac regionem habitabilem diuerſo modo figurat; rurſus tanquam inde repulſus per campos funditur, naturalem recipiens curſum. hæc ille. Eſt autem Nilus, dum per Aegypti regionem fertur, ſimilis admodum Padò Italiæ fluuiò (vt aſſerit Bellonius) præſertim à Ferraria vſque ad eius oſtium, nam facilè velis expanſis ſicut ille ſubiri poteſt,

Nilus Pado Italiæ ſimilis.

teſt,

ceſt; & ſecundis ac diuerſis vndis nauigari. De oſtiorum Nili numero & nominibus valdè antiqui ſcriptores inter ſe diſcrepant: nam alij ponunt ſeptem, vt Pomponius, Strabo, Diodorus, & Herodotus; alij cum Ptol. nouem; ſed Plinius vndecim. Recentiores tria vel quatuor tantùm hodie eſſe affirmant, vt Guilhelmus Tyrius, Petrus Bellonius, teſtes fide digni & oculati, atque etiam alij. Nam in quatuor ramos ſe diuidit, quatuor ſub Cairo miliaribus, quorum duo ſina primaria & nauigabilia efficiunt oſtia; nempe Peluſiacum, vbi eſt Damiata: & Canopicum ſeu Heracleoticum, vbi eſt Roſettum. Inundationis tamen tempore plures riui in quos amnis diducitur, nauigabiles ſunt; reliquo tempore nauigijs magnis nauigabiles non ſunt propter breuia & paludes, ſed vado tranſiri poſſunt.

Fluuius porrò hic fœcundiſſimus, nam plurimos piſces eóſque celeberrimos alit; præterea & ſtupenda animalium monſtra, vt equos & boues marinos, crocodilos, & alia humano generi noxia. Ab hoc fluuio nullam exhalare auram ſcribunt, ac eius aquam eſſe præ cæteris vniuerſi Orbis ſuauiſſimam, forſan quod tenuiſſima ſit, & à ſole excocta, ſeu ob curſus ſui longinquitatem, in qua nullus ipſi Orbis fluuius comparandus eſt. Scripſit aliquando Melanthon in Chronicis ſuis, Nilum notis ſuis per numeros expreſſis numerũ dierum anni continere hoc modo: N 50. E 5. I 10. Λ 30. O 70. Σ 200. *Nili flu. Natura.*

Inundationis tempus in Aegypto incipit circa . Iunij, quo tempore is amnis 40. diebus continuis creſcit, ac totidem decreſcit: quod ſanè eueniat quando Aethiopia ſupra Aegyptum æſtiuis *Inundatio Nili.*

imbribus abluitur, præſertim in extremis montibus, quibus deſidentibus inundatio iam ceſſat: quod profectò mirabile videtur, hunc ſcilicet fluuium tum creſcere cum decreſcunt cæteri, minui verò quando reliqui augentur. quo temporis interuallo, ab initio ſcilicet incrementi, vſque ad finem decrementi, omnes Aegypti ciuitates & oppida velut inſulæ conſpiciuntur, propterea quod eminentiore in loco ſita ſunt, vt ab inundationibus Nili tuta permaneant: ad quę tamen accedere non licet niſi ſcaphis, aut natando. & tunc animalia ferè omnia ſuffocantur aqua; quæ euadunt, ad altiora cõfugiunt. pecora autem in ſtabulis incluſa tũc nutriuntur à colonis, ad id antea præparato paſtu. Maior autẽ eſt lętitia gentiũ, quo minus terrarum ſuarũ vident. Cæterũ cùm incrementi Nili quantitas alijs ſubinde ſæculis tenuior facta ſit, in futurũ tandem nullã fore, ſed riparũ margines fluminis altitudini adęquaturos à nonnullis conijcitur. Sunt etiã qui velint Aegyptum priſcorum tẽporib. mari ſubmerſam fuiſſe vſq; ad paludes prope Peluſiũ, & ad Caſſium montem, ac Serbonidẽ; ſed Nili beneficio ſua inundatione limũ continuò ſecum deferẽtis fuiſſe opertam: nam paſſim iſthic ſub arena ſalſa conchylia nõnulla adinueniuntur.

DE AEGYPTI QVALITATE. Cap. 31.

EST autem Aegyptus plana & deuexa, ſeu humilis regio, montium expers, vnde procul intuentibus apparere nequit, cuius aër calidus eſt & noxius; quo fit vt ad immenſum & intolerabilem Solis ardorem ęſtate effugiendum, quo ſolum exuritur, ad auramque captandam ſoleant incolæ per ſingula oppida excelſas turres conſtruere, quæ in ſuperiore ac inferiore parte oſtium

ſtium ex aduerſo ædium habeant,per quarum faſtagia dimittitur ad infimam partem ventus. Ipſa tamen regio ab Auſtrinis ventis magno calore accenſis,quemadmodum cętera Africa,non peruagatur; ſed Aquilonaribus præcipuè expoſita eſt, qui iſthic humidi ſunt, tametſi alijs in regionibus deſiccent. terræmotibus verò haudquaquàm eſt ſubiecta,ac inſueta eſt imbribus,quibus tamen ob ſoli fœcunditatem non indiget: quinimo pluuiæ ipſæ,quæ rarò tamen iſthic ſunt, multos adferunt morbos,vt catarrhos,febres, teſticulorum tumores,ac alios. fertiliſſima autem eſt ob Nili imprimis inundationem,quæ cùm eius acceſſu deſtituitur,famē proculdubio & ipſa ſentit,& multis prętetea foſſis interciſa eſt,quod Seſoſtris Regis opera factum fuit, ne ſcilicet oppida quæ longè à Nilo in regionis meditullio ſita ſunt, refluo flumine aquis deſtituerentur. is verò fluuius regionē hanc irrigans,fœcundā adeò ac fertilem reddit,vt nullibi terrarum aut vberior, aut velocior herbarum & frugum maturitas proueniat. Trogus ſanè Aegypti ſolum ita fœcundum aſſerit, vt alimentorū nulla terra feracior ſit. vnde & illud Luciani legitur:Terra ſuis contenta bonis,non indiga mercis; aut Iouis;in ſolo tanta eſt fiducia Nilo. Veteres etiàm plurimi publicum Orbis horreum Aegyptū eſſe prædicauerunt.& aſſerit Plin.Rom.Imp. amplitudinem abſque Aegypti opibus frugibuſque diu perdurare non potuiſſe, cùm in ſolo Nilo populi Rom. abundantia vel fames eſſet. Idem quoque teſtatur ſic abundè herbis ad cibū accōmodis Aegypti agrū affluere,vt vel frugib. carere poſſit. Opes igitur huius regni admirandæ magis quàm ęſtimandę ſunt,ſi quis ad ſplendorē & ſuperbiam

regalium monumentorum, Labyrinthi, Obeliſco-rum, Pyramidum, & Sphingis reſpiciat, quæ inæſtimabili pecuniarum vi abſoluta fuêre. quorum veſtigia etiamnum viſuntur, ad quæ Romanorum fabricę & antiqua opera accedere nequeunt.

Reditus Aegypti. Reditus porrò huius regni immenſus olim fuit, tum ob fertilitatem quam ei Nilus adfert, tum ob incredibilem vecturæ commoditatem, quia ex Aethiopia, Arabia, & India frequentibus olim nauigationibus opes multæ ac res precioſæ huc aduectæ ſunt. Vnde Ptolemæum Auletem hinc annuum tributum duodenum millium & 50. talentorum habuiſſe ferunt. quam ſummam ad ſeptem milliones aur. cum dimidio accedere ex Budæo colligitur; ſed maiorem reditum Romani ex hac prouincia perceperunt. His tamen poſtremis temporibus ſub Turca tenuiores res Aegypti factæ ſunt. Eſt itaque hæc prouincia omni granorum ac leguminum genere fertiliſſima, paſcua vbique lætiſſima habet, & oleaceis ſtirpibus mirificè abundat. Superior autem Aegyptus reliquas partes omnis generis leguminũ, animalium, pullorum, anſerum, limique copia antecellit. Inferioris Aegypti pars ad Orientem expoſita, quæ Erriſia dicitur, fructibus, hordeo, farre, & oryza; Maremma ſeu Orientalis eius ora goſſipio & ſaccharo fœcundior eſt.

Metendi tẽpus in Aegypto. Iſthic autem ſub Aprilis initium ſegetes metuntur, & confeſtim triturantur. vnde circiter 20. Maij neque ſpica ſecanda relicta eſt. Agri circa Nilum plurimis locis (vt dicit Bellonius teſtis oculatus) oryza, papyro, ſacchari arundinibus, & muſcis ſunt conſiti; interdum etiam colocáſia, quæ tamen ſponte iſthic prouenit. hortorum tamen cultura extra Nili ripas difficilis admo-

modum eſt, quoniam perpetuo inſtrumentis à bobus delatis aqua pro eis irrigandis ſubminiſtranda eſt. Pręter fruges & olera, vini etiam optimi diues aliquibus in locis eſt: nam iuxta locum Mareotim optimum colligitur vinum, quod à loco Mareoticum dicitur, ad vetuſtatem perdurans. Oleo tamen vtplurimum caret, neque vllæ ceduæ ſyluæ iſthic conſpiciuntur, raroque ligna iſthic naſcuntur, pręter frequentes palmas, ad ædificandum prorſus inutiles: quæ quidem per totam Aegyptum ad magnam celſitudinem excreſcunt, inter quas nonnullæ reperiuntur, quę ex vnico trunco, eademque origine viginti magnas arbores ab inuicem ſeparatas proferant. Præter palmas horti etiam hîc ſycomorum, caſſiam ſolutiuam, ſebeſtem, punica mala, itemque aurea, acaciam, & tamarices nutriunt; quorum maior pars in ſumma m excreſcit altitudinē: ſed tamarices iſthic ſolùm ſati proueniunt, & indifferenter tam humidis quā ſiccis locis naſcuntur. Sycomori verò adeo exquiſito virore prædití ſunt, vt omnes reliquas arbores ſine controuerſia ſuperent. Iſthic etiam diligenter fruticem Alcanam nuncupatum colunt, atque ex eo egregias ſyluas parant eaſque ceduas, cuius folia exſiccata flauo colore inficiunt, quo mulieres per Turcicum Imperium manus, pedes, & capillorum partem inficiunt, vnde eius diſtributio magnum cenſum prębet. Florum etiam prouentu & odoribus ſatis affluit: nam vnguenta preciosiſſima Aegypto etiam Plinius tribuit, quamuis minimè odoratos in ea flores eſſe affirmet, quia nebuloſus & roſcidus aër Nilo inficiente. Præter beſtias ſæuas ac nociuas, quibus frequens hæc terra eſt, animalia domeſtica copiosè alit, vt *Sycomori.*

Animalia Aegypti. ſunt iubati, boues, cameli, equi, aſini, arietes, & capræ: quæ quidem omnia in magnam excreſcunt molem ab aeris temperiem, pabuli abundantiam, ac ſtirpium à Nilo irrigatarum probum alimentum. inter cætera verò arietes pingues admodum & craſſi ſunt, & amplam ac denſam, atque ad terram vſque propendentem caudam habent, & palearia inſuper è collo dependentia vt in bobus, nigraque lana veſtiuntur. Quia verò hæc regio hyeme lepida admodum eſt ac paluſtris, aquaticas aues plurimas alit, præſertim ciconias, quarum tanta in quibuſdam locis herbidis à Nilo irrigatis conſpicitur copia, vt agri & prata ijs albeſcant. ranę etiam tanta colluuie iſthic generantur, vt niſi ciconiæ eas deuorarent, nihil eſſet illis frequentius. Per vniuerſam verò Aegyptum pulli gallinacei nō à gallinis excludi, ſed mediante fornacum calore. *Gemmæ Aegypti.* Metallis inſuper regio hæc perpetuo abundauit, in partibus præſertim ad Aethiopiam vergentibus. amethyſtus etiam lapis & aliæ plures gemmæ hic leguntur: Aetitis verò lapidis tanta propè Alexandriam inuenitur copia, vt ijs naues onerari poſſint; qui inter reliquas facultatem habent furem depræhendendi, vt notat in ſuis obſeruationibus Bellonius. Hoc etiam prętereundum non eſt, in fœminis Aegypti eximiam eſſe fertilitatem, vt eſt in alijs rebus, neque ſæpe non tam gemini naſcuntur quàm terni & quaterni. quinetiam hoc mirum euenit, nempe partum octauo menſe editum hîc ſalutarem eſſe, qui alibi ſemper ferè lethalis eſt.

DE

DE AEGYPTIORVM VARIO dominio, eorumq́; religione. *Cap. 32.*

IPſa Aegyptus, cuius regnum cum primis ferè hominibus natum eſſe creditur, etſi difficilimi fuerit acceſſus ob loca montana perardua ob deſerta arenoſa aquis deſtituta, ob loca paluſtria, & ob mare importuoſum; quibus ſanè omnibus regio hæc clauditur ac communitur: diu tamen ab exterorum incurſionibus ſe tueri non potuit, quin inſignem mutationem, ac multas ob bella calamitates paſſa fuerit, dum externorum gẽtium iugum ſuſtineret. Nam initio ſub proprijs Regibus, qui Pharaones tunc dicebantur, permanſit. (Pharao autem veteri lingua Aegyptiaca Regem ſonat.) Poſt hos ſub Aethiopes deuenit, quã poſtea Cambyſes Perſarum Rex cepit & Perſis ſubiecit. deinde cùm ſub Dario, qui Nothus dictus fuit, Aegyptij ipſi defeciſſent, ſuis iterum Regibus paruerunt. Sed ab Alexandro Magno iterum ſubacti ſunt; poſt cuius interitum iterum ſuos habuerunt Reges, qui inde Ptolemæi ex æquo dicti fuerunt, à Ptolemæo ſcilicet Lagi filio, vſque ad Ptolemæum Auletem, cui Cleopatra filia in regno ſucceſſit; qua fugata & extincta, Aegyptus omnis ab Octauio Auguſto deuicta; in Romanorum deuenit poteſtatem, qui regnum hoc ampliſſimum in prouinciæ formam redigêre. Sub Romanorum autem iugo Chriſtianam religionem amplexati ſunt. poſt Imperij autem diuiſionem Aegyptus ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis moderabatur. Tandem paulò poſt Mahumetis pſeudoprophetæ aduentum, ſub

Aegyptus in Roman. poteſtatem.

Saracenos ſeu Mauros deuenit. quibus ſucceſſit Sultanorum ſeu Manaluccorum dominium, qui fuerunt ex Circaſſiorum gente. Poſtremò occupata fuit à Selimo Turcarum Imperatore An. 1516. ſub cuius iugo etiamnum degit. toti autem Aegypto hodie quidam Baſſa Turcarum Imperatoris nomine præeſt, qui in Alcairo moratur. Aegyptij olim, vt apud priſcos authores conſtat, ingenioſi ſemper fuerunt; vnde Macrobius Aegyptum artium matrem vocat: fuerunt enim Geometriæ, Arithmeticæ, Medicinæ, ac multarum artium primi inuentores, aſtrorum obſeruationibus ob continuam aëris ſerenitatem primi incubuerunt, ſicut & Magicæ vanitati ac præſtigijs. Præterea & primi fuerunt qui per figuras animalium ſenſum mentis effingebant: qua de re antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & de his ingens volumē edidit Pierius Valerianus. Fuerūt etiam deſidioſi, delicati, mobiles, iactantes, quorum verba inania, nihilque veritatis habentia: erant natura inflati, nouandis potius quàm gerendis rebus aptiores, iniurioſi, imbelles, legum inſcij, magiſtratuum ignari, & imperij præſertim externi impatientiſſimi: ad ſeditiones verò adeò procliues, vt leuiuſculis etiam de cauſis maximos tumultus excitarint. ſupra modum autem ſuperſtitioſi, & falſorum Deorum vaniſſimi cultores, quippe qui non tantum gentilium Deos colebant, ſed animalia etiam ridicula veneratione adorabant, vt non immeritò D. Hiero. Dijs fœcundos eos vocarit. Poſt Chriſti verò aduentū ex hac etiam regione multa Monachorum Eremitarumque agmina primò emerſerunt, quæ poſtmodum per omnes Chriſtianas prouincias diuulgata fue-

Aegyptiorū mores boni & mali.

ſuerunt. quin etiam ex priſca Aegyptiorum religione Romana religio pleraque mutuata eſt, vt ſunt lineæ veſtes, deraſa Sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa Sacerdotalis, Muſicæ modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus complura, vt ex Beroaldo colligi poteſt. Corpora verò humana condire ſoliti erant, vt à vermibus præſeruarentur, quæ quidem corpora hoc modo ſeruata etiamnum inueniuntur, quam Mumiam vulgò appellant. Olim, referente Strabone, Agyptij in tres partes erant diuiſi, quarum prima militiam, ſecunda agriculturam & artes, tertia ſacerdotium coleret, atque hi ſacra, philoſophica, aſtronomica, aliaſque huius generis ſcientias tractabant, filios etiam erudire ſolebant, ac cum Regibus conſeruabantur. Gens porrò hæc, vt ipſi prædicant, vetuſtiſſima eſt, neque cum alijs quàm cũ Schytis de antiquitate certant. Attamen non ſunt hodie in ipſa Aegypto verorum Aegyptiorum, niſi paucæ Chriſtianorum, reliquiæ: reliqui Mahumetano dogmati adhærentes, Arabibus & Africanis ſe miſcuerunt. nobilitas enim priſcorum Aegyptiorum, quæ poſt Dom. Imperij in Græciã translationem maritima in loca ſe receperat, ad Mediterranea loca, Mahumetanis in Aegyptum perrumpentibus, vltimò confugit, in Sahidicam ſcilicet regionem, quę ſuperior dicitur Aegyptus. Nulla tamen eſt natio quæ magis antiquitatis veſtigia retineat, quàm hæc: nam etiamnum in vrbibus ſimilibus vtuntur veſtibus quales deſcripſerunt veteres. Hoc autem tempore Aegypti incolę ſunt partim Chriſtiani, ex illis ſcilicet qui dicuntur Iacobitæ: partim Arabes, Africani, Turcæ, Aſiatici, Iudæi, & alij: quorum quidem maior pars, quæ

Antiquitas Aegyptiorũ.

Mahumetanorum eſt, ſtrictius & diligentius ſuæ religionis ceremonias obſeruant, quam ipſimet Turcæ. Qui vrbes incolunt, candidum referunt colorem: ſed ruſtici potiori ex parte fuſcum. Sunt omnes vt plurimum probi, feſtiui, ac liberales: attamen inferioris Aegypti incolæ reliquos ſuperioris Aegypti vrbanitate ſuperant; nam hæc mediterranea pars ab exteris non frequentatur, niſi à paucis quibuſdam Aethiopibus. ſed altera quæ maritima eſt, ab Europæis, Barbaricis, & Aſſyrijs vtplurimum frequentatur. Hilares præterea ſunt præ cæteris nationibus & faceti, atque ab omni antiquitate innata illis eſt promptitudo quædam agilitaſque ad ſaltationem, ad choreas ducendas, atque ad totum corpus in aëre vibrandum. Anguſtis vtuntur veſtibus ad pectus conſutis, atq; hinc in pedes diffluentibus cum anguſtis manicis: Aeſtate tamen goſſipinam telam varijs coloribus intertextam in vſu habent. hyeme verò pannis goſſipio ſuffultis vtuntur: attamen mercatores & ciues ditiores Enropæis pannis vtplurimum veſtes ſuas oblongas conficiunt. Caput rotundo & faſtigiato pileo omnes operiunt, quod vulgò Dulipanum dicunt; hoc ſiquidem homines diuerſæ ſectæ diſtinguuntur, perinde ac in reliquis Turcici dominij locis. Calceamenti genus antiquum adhuc illis in vſu eſt. Mulieres nunquam in publicum prodeunt quin tectam habeant faciem ex Mahumeti præcepto, quemadmodum in vniuerſa Turcia fit: faciem autem obuelant pro regionum varietate. Frequentiſſimè in cibarijs caſeo recenti & largè ſallito, lacte item acido & certo artificio indurato veſcuntur, quem tametſi in delicijs habeant, exteri guſtare non poſſunt, fereque ſun-

Incolæ huius temporis.

Habitus Aegyptiorum.

Cibaria.

ſingulis ferculis nonnihil acidi lactis commiſcet. Tanta eſt autem apud illos lignorum & lapidum penuria, vt eorum ædificia humiles duntaxat ſint caſæ, etenim ampliores non ſunt quam puſilla tecta recipiendis anſeribus idonea; eam videlicet ob cauſam quòd magna ex parte cubent, bibant, & edant ſub arboribus, præcipuè verò ſub palmis, vt frigidiorem auram excipiant. Aegyptij enim & Arabes ſupra reliquas nationes ſub dio quouis tempore pernoctare delectantur, nullo etiam lecto ſubſtrato, chlamydem tantùm aliquam habentes qua ſe tegant. Aedificia.

DE TENTYRITIS AEGYptiorum populis, ac denique de vrbibus Aegypti.
Cap. 33.

PEritiores ſunt natatores Aegyptij ferè omnes, neceſſitate videlicet quadam ad hoc eos impellente. nam cum regio à Nilo inundetur, opus eſt eis ad negotia ſua exequenda ex vno pago in alium tranare, niſi tamen ſcaphis vti velint, quod permulti faciunt. omnium tamen peritiſſimi fuerunt Tentyridæ antiqui Aegyptiorũ populi, de quibus Plinius cap. 25. lib. 8. Quin & genus (inquit) hominum eſt huic belluæ (de crocodilo autem loquitur) aduerſum in ipſo Nilo Tentyritæ, ab inſula in qua gens ea habitat ſic appellata. menſura eorum parua, ſed præſentia animi in hoc tantum vſu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua eſt, fugax contra inſequentes. ſed ad-

ſed aduerſum ire ſoli hi audent: quin etiam flumini innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, hiantibus reſupino capite ad morſum, addita in os claua, dextra ac læua tenentes extrema eius vtrinque, vt frenis in terram agunt captiuos, ac voce etiam ſola territos, cogunt euomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque ei vni inſulæ crocodili non annatant: olfactuque eius generis hominum, vt Pſyllorum ſerpentes fugantur. Hæc ille. Strabo etiam libro 17. Cùm (inquit) crocodili Romam allati eſſent vt viderētur, Tentusritæ eos ſequebantur: facta eſt ab illis piſcina quædam, & foramen in vno laterum, vt ex aqua in apricum egredi poſſent. Tentyridæ aderant qui eos interdū rete educebant ad Solem, vt à ſpectatoribus viderentur: interdum in aquam intrantes, rurſum eos in piſcinam retrahebant.

Nunc de Aegypti vrbibus & oppidis agamus. Ferunt Scriptores olim in tota regione hac viginti circiter millia vrbium Amaſe regnante numerata fuiſſe, ex quibus Diodori temporibus tria tantùm millia extabant. verùm Ortelius omni adhibitâ diligentia paucas ſupra trecentas adinuenire potuit. vnde non leui coniectura credendum eſt priſcos illos ſcriptores pagos & vicos in hac numeratione ſimul complexos fuiſſe. credibile tamen eſt Aethiopica, Syriaca, & Romanorum bella multas vrbes & oppida attriuiſſe. Famoſiſſimę porrò Aegypti vrbes fuerunt Syene, Thebe quæ & Dioſpolis, Tentyra, Heliopolis, Memphis quæ & Cairus, Babylon, Alexandria, Peluſiū, & nonnullæ aliæ. Syene vrbs, nunc Aſna, præcisè ſub tropico Cancri iacet, vbi auctore Plinio puteum ab Aſtronomis profundiſſimum extructum fuit, in quo, Sole

in principio Cancri conſtituto, nulla perſpicitur vmbra, ſed totus à Sole illuminatur.

CAIRVS, SIVE MEMPHIS, totius AEgypti vrbs maxima. Cap. 34.

CAirus, & Alcairo Europicè: Mazar aut Mizir Arabicè: Maſſar Armenicè: Alchabyr Chaldaicè Meſraim Hebraicè: Latinis Memphis, vrbs vltra Nilum Occidentem verſus ſita, Regia fuit quondam Aegypti principum, ab eaque ſtadijs aliquot Pyramides illæ famoſæ abſunt. Eſt aut Cairus hæc vrbs noua quæ antiquæ iſti Memphidi ſucceſſit, eiuſque locum occupauit, & hæc patrum noſtrorum memoria Regia fuit Cercaſſiorum Aegypti Sultanorum, quorum poſtremus fuit Tomumbeius. Selimus enim Turcarum Imperator, longè maximam hanc vrbem expugnauit, arcemque ingreſſus eſt 25. Ianuarij die, Anno ſalutis 1517. Cepit aũt Tomumbeium tunc temporis Sultanum, in palude inter cannas & iuncos latitantem vndecima Aprilis, iuſſitque vt mulo per vrbem vectus circumdatum collo laqueũ gereret, ac tandem in ciuitatis porta ſuſpenderetur. Putarunt hucuſque multi Cairum hîc eſſe vbi olim fuit Babylon: ſed Bellonius qui hæc loca per luſtrauit, aſſerere videtur, paulò ſupra Cairum, veterem fuiſſe vrbem priſcis Babylon dictam, in qua vetuſtiorum ædificiorum rudera permulta ac ſplendida adhuc conſpiciuntur: quæ nunc exiguus eſt pagus Chriſtianorum Armeniorum ac Græcorum; vbi eſt ſacellum D. Virgini dicatum, in

Cairus & Babylon diuerſæ.

// in quo fornix eſt ſubterranea, in qua ipſa beata Virgo cum infante Ieſu latuiſſe fertur, cum ob Herodis tyrannidem ex Iudæa profugiſſet. Cairi itaque vrbis deſcriptionem ex Bellonio hinc inde collectam talem nunc accipe. Cairi vrbs in longitudinem protenſa magis eſt quam in latitudinem forma triangulari, ampla admodum & laxa, mœnibus percincta, non tamen ab omni parte, quoniam maior eius pars à Nili riuo alluitur, qui mœniorum vicem illi præbet, vt etiam magna ex parte ipſe Nilus. extra mœniarum ambitum ſunt ædificia multa. Arcem in vno eius angulo in ſolida rupe exſtructam habet, in qua gradus inciſi ſunt, & magnam habet aream ſatisque laxam, vbi iucunda & ſalubris eſt habitatio. nam ex feneſtris vndequaque, quantum oculorum acies ferre poteſt, circumſpiciendo vniuerſa ferè Aegypti regio apparet. maxima ædificiorum pars gemino pauimento ſubdiali tecta eſt, & ædificiorum Ianuæ adeò anguſtæ & humiles ſunt; vt inclinare ſe ingredi cupientibus neceſſe ſit. Satraparum tamē domus ianuas Europęis ſimiles habent. Eſt in hac vrbe ſtructura quędam ſolidæ turris inſtar, ex qua Aegypti fertilitas ſingulis annis æſtimatur, obſeruando in ea quantum Nilus excreſcat. in ea namque ſunt variæ notæ quibus futuri anni fertilitatem depræhendant: quando enim ſupremum foramen attingit Nilus, vberrimus eſt anni iſtius prouentus, & ſic pro altitudine illius iudicant. Eſt etiam locus in Cairo muris cinctus qui Baſeſtan dicitur, in quo argentaria, aureaque opera, tum ex ſericis ſtaminibus contexta, & nonnulla rariora exoticaque aromata venduntur, quo plerumque turba hominum confluere ſolet: nam iſthic quicquid

Turris fertilitatis index

Baſeſtan vicus.

quid eſt rari & elegantis in tota vrbe, inquirendum eſt. Sunt verò in Cairo innumeræ Meſguedæ. *Cairi ambitus.*

Dicunt aliqui huius vrbis ambitum eſſe plus quàm octo miliarium, & in eo comprehendi plus viginti quatuor vicorum millibus qui omnes noctu clauduntur. In hac autem vrbe negotia magnoperè vigent, eſt enim totius regionis Emporium. Incolunt vrbem ipſam Turcæ, Aegyptij, Arabes, Hebræi, aliæque plures nationes: qui omnes Solis ardoribus agitati, ad arborum perpetuò virentium vmbram confugere coguntur. vnde pleriſque in locis ob hanc cauſam Sycomoros alunt & colunt. Sunt autem Cairi horti tum in ipſa vrbe tum extra eam admodum elegantes, mirumque in modum amœni, ac diligentiſſimè conſiti, qui præter oleraceas ſtirpes caſſiæ ſolutiuæ, ſebeſten, acaciæ, tamaricis, palmarumque arboribus, rhamnis, ſycomoris, punicis malis & aureis, limonibus ſylueſtribus, & ſacchari arundinibus repleti ſunt; ſepes verò hortos illos ambientes Chamæleonibus obſitæ ſunt. Non longè à Cairo eſt Matereæ hortus, balſami fruticibus conſitus, præter alias arbores ſupra nominatas; quæ ſanè balſami planta admodum celebris, pretioſa, ac rara eſt, & nunc temporis in ſolo hoc colitur horto. Supra Matercam in agro quodam ingens cernitur obeliſcus erectus, & longè maior ac craſſior ijs qui Alexandriæ ſunt, & eo etiam qui Conſtantinopoli in Hippodromo conſpicitur. *Incolæ.* *Horti.* *Obeliſcus.*

Pyramides verò Aegypti adeò à veteribus celebratæ (inquit Bellonius) edito in loco ſunt, quæ procul 40. millium paſſuum apparere incipiunt. *Pyramides.*

Has

Has Aegyptij Pharaones nuncupant, quæ quidem magis admirandæ videntur propè inſpicientibus, quam ab auctoribus deſcriptæ ſunt: vidētur enim montes immenſæ magnitudinis; vnde Romanorum fabricæ & antiqua opera nihil ad harum Pyramidum ſplendorem & ſuperbiam accedunt. Poſitæ autem ſunt in loco valdè deſerto, quatuor ſcilicet miliaribus à Cairo diſtante, vltra Nilum tertio lapidis iactu, & earum ampliſſima reliquas etiam præſtantia ſuperat, quam omnes ſcriptores antiqui aſpectu admirabilem eſſe ſcripſerunt. exſtructa eſt gradibus foris prominentibus, atque 324. paſſus in ſingula habet latera, vt dimēſus fuit Bellonius; à baſi ad cacumen continet 250. gradus quorum ſinguli altitudinem habent quinque ſolearum calcei nouem pollicum longitudinis. adeò vaſtæ latitudinis eſt hæc moles, vt peritiſſimus atque validiſſimus ſagittarius in eius faſtigio exiſtens, atque ſagittam in aërem emittens, tam validè eam eiaculari non poſſit, vt extra molis baſim decidat, ſed in ipſos gradus cadat. faſtigium eius in planitiem deſinit duos paſſus in diametro patentem, in qua 30. homines conſiſtere queant. Aliæ etiam duæ Pyramides ſunt immenſæ quidem magnitudinis, ſed longè minores prima; & harum trium minima tertia ſui parte maior eſt ea quæ apud Teſtaceum montem Romæ conſpicitur. Præter has tres plurimæ aliæ minores hinc inde per arenoſum illud ſolum ſparſæ ſunt plus quàm centum, quarum ne vnica quidem adeò vitiata reperitur vti Romana. Paululum verò infra Pyramidem illam ampliſſimam Coloſſus ingens Sphingis conſpicitur, Nili alueo vicinus, ſpectatæ magnitunis, à cuius deſcriptione parum referet ſi ſuperſedeamus,

Aliæ duæ minores Pyramides.

Sphingis cap.

deamus, cùm apud Herodotum, Plinium, & alios habeatur. hoc ſaltem lector breuiter obſeruet: Caput hoc conſtat vnico ſaxi viui fragmento, cuius facies decem hexapedes minores habet. Strabo ait eſſe ſepulturæ mulieris, Rodopes nomine, monumentum. quæ formoſa Thraciæ meretrix à Rege in vxorem ſumpta, poſt mortem eius hoc caput & Pyramidem fieri curauit. Petrus Martyr ait habere in ambitu 58. paſſus. Pyramides autem hæ nihil aliud fuerunt quam Regum pecuniæ otioſa oſtentatio. cupiebant enim Reges, aut potius aſini coronati, hoc modo nomen ſuum in terram ſcribere, & longiſſimam ſui relinquere memoriam, cùm tamen nullius rei fama ſit in Mũdo tenuior. nam aut quis architectus aut quis Rex inſanus aliquam harum Pyramidum conſtruxerit non conſtat. *Finis Pyramidum.*

VRBIS ALEXANDRINAE deſcriptio. Cap. 35.

ALexandria olim fuit ex primis vniuerſi vrbibus, quæ vel Romæ tantùm incolarum multitudine cedebat. Eius deſcriptionem pro hodierni temporis ſtatu ex Bellonio tan-tem accipe: Sita eſt arenoſo in ſolo in promontorio quodam: ab vna enim parte Mediterraneo ma-ri alluitur; ab altera Mareoti lacu amplo & in longum extenſo, palmarum ſyluis in ambitu obſito, qui vix dimidio miliari ab ea diſtat.

Perſtant adhuc mœnia quæ Alexander Mace-do extrui iuſſit: at vrbs interior ex veterum ædificiorum ruinis magna ex parte conſtat. Diruta autem vrbs ea fuit, quando Galliæ & Cypri Reges

Sultanum ex ea expulerunt. Is enim minimè illam ſe retinere poſſe animaduertens, prius diruit quā in hoſtium poteſtatem veniret. poſtea tamen paulatim ædificia extrui cœperunt pro incolarum ratione. Sed & nunc, niſi Chriſtiani mercatores inſtitores ſuos alerent ob mercium permutationem admodum celebris non eſſet. In eam inuehitur omnis generis comeatus cùm ex Aegypto, tum ex Cypro, alijſque vicinis locis. omnis generis vina iſthic etiam reperiuntur ex varijs locis adducta. Sapida admodum eſt iſthic caro verucina & hœdina, cum vitulina ac bubula. magna eſt iſthic abundantia caprarum quarundam, quæ Gazellæ vocantur. Inueniuntur iſthic gallinæ & oua, piſces ad abundantiam. iſthic naſcuntur punica mala, muſæ, limones, aurea, citriaque mala, ficus, ſycomori, coraſa, & pleraque alia fructuum genera, quæ apud nos incognita ſunt. Abundat etiam omnis generis leguminibus, è quibus magnus fit quæſtus; omnium præterea frugum genere, veluti oryza, hordeo, farre aliâs ſpelta nuncupato. Omnium Alexandriæ ædificiorum tecta plana ſunt & conſtrata, vbi incolæ noctu dormiunt ad frigidiorem auram captandam, omni anni tempore tā æſtiuo, quàm hyberno. Iſthic eſt Pompei columna in exiguo quodam promontorio ſita, octaua miliaris ab vrbe parte, quæ quidem immenſæ eſt altitudinis & craſſitiei, longæquæ columnam Agrippæ quæ Romæ eſt, excedit, & Thebaico marmore: quam Cæſaris iuſſu iſthic erectam fuiſſe aiunt, ob victoriam aduerſus Pompeium partam. Sunt etiam inter ſingularia, quæ Alexandriæ conſpiciuntur bini obeliſci apud vrbis palatium, quorum vnus rectus & integer, alter humi procūben

Alexandria cognitio & abundantia.

Aedificia.

Columna Pompeij.

Obeliſci duo.

& con

& confractus: qui rectus perſtat, altero longè maior eſt, cuius craſſities comparari poſſet cum eo qui Romæ eſt aqud diuum Petrum. Snnt etiam iſthic elegantes aquæductus, ingentes Ciſternæ, ac putei mirabili opere extructi, qui Nili aquam excipiunt, ac ſemel quotannis impleri ſolent; cùm Nilus inundat, ad totius anni vſum per ingentem canalem primùm vniuerſas vrbis ciſternas replēt, in quibus depuratur & limpida redditur. Tota autem vrbs ſupra huiuſmodi ciſternas & puteos extructa fuit olim firmo lapidum & laterum opere. *Aquæductus*

Alexandrini Arabicè, vel Mauritanicè natura nūc loquuntur; at Turcæ illis permixti ſermone ab ijs admodum differente vtuntur. Sunt etiam iſthic multi Iudæi, Itali, Græci, Iacobitæ, & aliæ gentes; vnde variorum idiomatum inualuit vſus. Caloieri verò Iacobitæ, & Græci ædificium Alexandriæ habent pro patriarchatu cum ſuo templo, eo in loco in quo reconditum erat D. Marci cadauer, antequam Veneti illud Venetias transferrent. Ager Alexandriæ vicinus magna ex parte arena nobili conſtat, planeq́ue ſterilis eſſet, niſi Harmaæ, & capparum non ſpinoſas ſtirpes aleret, quæ craſſas illas cappares proferunt, nobisq́ue inde adferuntur. Hortorum verò cultura apud Alexandriam, præterquam ſecundum Nili ripas, admodum difficilis eſt, quoniam perpetuò inſtrumentis à bobus verſatis haurienda aq̄ua eſt ad rigandum ſolum. *Incolæ varij*

DE PHARO INSVLA, ROſettæ arce, ac Damiata vrbe. Cap. 36.

Pharos.

PHaros inſula, quæ poſita eſt è regione Alexandriæ, non amplius inſula eſt, ſicut Ptolemæi & Cæſaris ætate: nam locus ille continenti iunctus eſt, arcemque habet admodum incommodam. ſingulis enim diebus aqua è ciſternis Alexandriæ hauſta camelis in eam deuehenda eſt. Quinque dierum itinere verſus Africam ſolitudines ſunt, quæ Diui Macarij cognominantur, Diui Antonij ſolitudinibus conterminæ), quas Caloieri Arabes inhabitant, eiuſdem cum Græcis religionis, plurimaque iſthic ſunt Arabum monaſteria Græcis permixta. Hæc ex Bellonio ſunt collecta.

Roſetta.

Seſquidiei itinere ſupra Alexandriam eſt Roſettæ arx, & elegans oppidum, hodie famoſum, nullis tamen mœnibus cinctum, & ad littus poſitum circa magnum quoddam Milir oſtium, antiquitus Canopicū vocatum, à Mauritanis Raſchit vocatur, & Guilandinus putat antiquorum fuiſſe vicum, naualem habentem. Incolę diligentes ſunt in curandis hortis, & Veneti iſthic Conſulem habent, quem Bailum appellant, qui res ad mercaturam pertinentes tractat. Palmarum autem ſyluæ oppidum hoc inumbrant.

Damiata.

Damiata autem oppidum hodie famoſum eſt, ad mare itidem Mediterraneum iacens, quod Peluſium vrbem, Ptolemæi Geographi patriam non nulli fuiſſe credunt, quæ ad oſtium Peluſiacum ſita erat. Peluſium olim Aeliopolis ab Aelio principe

cipe dicta fuit, qui eam triplici muro cinxerat. clauis Aegypti à Suida cognominatur. Ortelius tamē putat Peluſium hodiè Teneze dici.

Præter iam dictas vrbes & oppida, ſunt alia etiam oppida nobilia, vt Michale, quod amplitudine Cairo cōparari poteſt: & Fuoa ſeu Foua, quod poſt Cairum cæteras vrbes amplitudine vincit, & è regione habet Edibeb inſulam magnam quam Nilus efficit, ſacchari arundinibus, Sycomoris, palmis, colocaſijs, omniſque generis leguminibus excultam, atque oryza, quæ præ reliquis magni eſt cenſus per vniuerſam Aegyptum: & alia permulta ſunt oppida Aegypti, & pagi, præſertim iuxta Nilum fluuium, qui elegantiſſimi ſunt propter aquæ commoditatem qua horti irrigantur. qui autem pagi longius à Nilo diſtant, maxima anni parte aquarum penuria laborant. horum pagorum ædificia ab incolis ob ſecuritatem ab inundatione ſublimioribus locis ſubſtruuntur; & ędificia ex tenaci ac pingui limo conſtructa ſunt, tectoque operta acuminato alueariorum inſtar, quæ quidem procul conſpiciuntur: nonnulla etiā tegunt plana forma, propugnaculi inſtar.

DE TROGLODYTARVM regione. Cap. 37.

TRoglodıtæ populi eam occupant terram quæ inter dextram maris Rubri ripam ac Aegyptum interiacet, quæ quidem terra ſterilis, arenoſa, deſerta, ac inculta eſt, & habitationes ibi raræ ſunt propter aquæ inopiam. Dicuntur autem Trogloditæ à ſpeluncis, quas olim inhabitant, qui etiam Ichthyophagi vocati fuêre. Ptolemęo autem ſunt Arabes Aegyptij Ichthyophagi.

phagi. Et regionem ipſam Caſtaldus nunc vocari aſſerit Sirfiam; ſed Arabia recentioribus dici videtur. Regionem hanc montes per medium diuidũt, qui fluuios impediunt ne in mare Rubrum deſcendant; vnde in Nilum exonerari coguntur. Hodiè præter naturales, qui rudes, barbari, ac pauperes admodum ſunt; iſthic inhabitant Mahumetani, Arabes, & Turcæ, præſertim verſus mare. Præcipua huius regionis loca ſunt Grondel ſeu Corondel cum ſatis bono portu. Alcoſſer ſeu Chozair, quam antiquam Beremicem Ptolem. eſſe nonnulli autumant, vbi montes ſe aperiunt, & tranſitum fructibus qui ex Abyſſinorum regionibus deferuntur, præſtant. Suaquen ſiue Suachen, quæ Ptolemais Pomponij eſt, vt Ortelio placet; Epitheras à Plinio cognominata, & Theron à Ptolemæo. Iuxta hanc vrbem optimus eſt Portus. in hac vrbe Baſſa Turcicus reſidet, qui præſidium trium millium militum habet. Ad Arabici Sinus, ſeu maris Rubri caput poſita eſt vrbs Sues, quam Ptol. Arhinoes Petrus Gyllius cum Bellonio cenſet, & Potidium Strabonis eam eſſe vult Ziglerus: ſed alij putant eſſe Hero, ſeu Heroum ciuitatem, quæ Ptolemæorum Regum, & Romanorum temporibus florentiſſima erat, ob innumeras merces quæ ibi concurrebant ex India & Arabia, quæ inde per Cairum & Alexandriam in Europam perferebantur. Hodie autem parum mercibus frequens eſt hęc vrbs, & à paucis incolitur propter magnam omnium rerum difficultatem, licet Turca ingentes ſumptus fecerit, vt magis coleretur. Nulla iſthic eſt aqua potabilis ad duo miliaria in circuitu. aquam enim ex puteo quodam duobus miliaribus diſtante ſuper camelis iſthuc deducunt, quæ tamen

Corondel.
Alcoſſon.
Suachen.

tamen ſalſa & amara aliquantum eſt. Iſthic eſt nauale Turcicum 25. circiter triremium: nam omnis claſſis quæ à Turca aduerſus Indos mittitur, in hac vrbe inſtruitur; & ibidem ſtatio eſt Triremium Turcicarum, quę tamen in Continentem hyeme pertrahuntur, quoniam portus ille à ventis malè fidus eſt.

navale Turci: cum ad Mare rubrum. Sues,

Atque hæc de Africæ terræ ſitu & qualitate. in huius autem lectione meminerit lector, quotieſcunque miliariorum facta fuerit mentio, Italica plerunque putata fuiſſe. Quomodo autem diuerſa cum diuerſis conferri debeant, in fine huius opuſculi demonſtratum inuenietur.

GEO-

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER SECVNDVS.

DE ASIA, SECVNDA orbis terrarum parte. Cap. I.

NOMEN huic Orbis parti inditum eſſe creditur ab Aſia Oceani & Thethyos filia; ſiue vt alij volunt, ab Aſio Manæi Lydi filio. Terminos habet ab Occidente Tanaim, pontum Euxinum, & Mediterranei maris partem, deinde Iſtmum qui Aſiam ab Africa diuidit mare Rubrũ à Mediterraneo ſeparando, & Mari rubro; tribus alijs partibus circumdatur Oceano, qui ab Oriente Eolus, a Meridie Indicus, à Septentrione Schyticus appellatur. mediam quodammodo Taurus mons ab Occidente in Orientem porrectus ſecat, latitudinem ſtadiorum 3000. longitudinem autem eandem quam ipſa Aſia continens obtinere dicitur, à tranſmarina ſcilicet Rhodi ora vſque ad Indiæ Scythiæque extrema Orientem verſus, ſtadiorum circiter 58060.

Tam latum autem patenſq; eſſe fertur, quicquid Aſiæ nomine continetur, vt Europam Africamque coniunctas vaſtitate ſua excedat. Cœlo gau-

det

Septentr.

ASIA



Oriens

Occid

Merid.

aet

det temperato, ſoloque fertili, atque ob id omni animātium genere cultiſſima exiſtit. At verò hæc cùm talis tantaque ſit, ipsâ Europâ nec frequentior populoſiorque nec cultior extat: quod partim aſperrimis montibus, partim in immenſum vaſtis ſolitudinibus, arenis, maribuſque impedita; partim etiam alicubi immanium ferarum atrociſſimarumque beluarum ac ſerpentium gregibus infecta, aut nullius, aut difficillimæ ſit habitationis.

Habitationes Aſiæ minus tutæ.

Omnis autem continens præſcriptis ſuperius limitibus bifariam diuiditur, in minorem ſcilicet (quæ etiam Aſię nuncupationem ſemper retinet) & maiorem, quæ rurſus in Aſiam Indiamque diducitur; & hæc denuò in Occidentalem & minorem Indiam intraque Gangem, & in Orientalem Maiorem extraque Gangem, Sunt autem vltrà hanc diuiſionem generalem plurimæ huius tam vaſtæ terræ partes, ac Prouinciæ penè innumeræ. Eam autem etſi non totam, Ptolemæus Geographorum antiquarum facilè princeps libris tribus deſcripſit, quinto, ſexto, & ſeptimo; idemque duodecim tabulis, prouincias eius faciens octo & quadraginta. quanquam in vltimo Catalogo libri octaui apud eundam non vſque adeò clarum eſt, num Pontum ac Pithyniam duas faciat regiones, an Galatiam & Paphlagoniam: vtræque enim illic binæ, quæ in quinto ſingulæ nec diſtinctæ. Idem de magna Phrygia & Syria caua dubitatur. Sunt autem in quinto hæ nationes: Pontus ac Bithymia, quę propriè Aſia dicitur, Phrygia magna, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armēia minor, Cilicia, Sarmatia Aſiatica, Colchis, Iberia, Albāia, Armenia maior, Cyprus

Diuiſio Aſiæ.

inſula, Syria caua, Phœnice, Paleſtina, Iudæa, Arabia Petræa, Meſopotamia, Arabia deſerta, Babylonia. In ſexto hæ ſunt nationes, Aſſyria, Suſiana, Media, Perſis, Parthia, Carmania deſerta; Carmania altera, Arabia felix, Hircania, Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Serica, Aria, Paropaniſus, Dranchiana, Arachoſia, & Gedroſia. In ſeptimo libro ſunt hæ: India intra Gangem fluuium, India extra Gangem, Synarum regio, & Tabrobane inſula. A recentioribus autem Coſmographis ſic hodie enumerantur huius terrę prouinciæ: Aſiæ minori annumerantur prouinciæ 19. Pontus & Bithymia (nunc Turcia) Natolia qui propriè Aſia minor, Briquia olim Lycia, Galatia ſeu Gallogræcia, Sathalia olim Pamphilia & Meſopotamia, Cappadocia, Anadolia ſeu Armenia minor, quę & terra Ararath dicitur; Cilicia nunc Carmania, Sarmatia Aſiatica nunc Tartariæ pars, Colchis nunc Mingrelia, Georgiana olim Iberia magna, Abania Orientalis nunc Suria, Armenia maior, Syria, Paleſtina, Arabia petræa nunc regnum Baraab, Diarbech olim Meſopotamiæ pars, Arabia deſerta, Babylonia nunc terra de Bagadeth: omnes ſubiectę Turcis, prętet Georgianam, Armeniam maiorem, Babyloniam, & Sarmatiam Tartaris parentem.

Aſiæ minoris prouinciæ 19. Aſiæ minori itidem 19. dantur prouinciæ: Azymia olim Aſſyria, Seruan olim Media & Perſia, Xaïch Iſmaël olim Suſiana & Perſidis pars, Terra Iex olim Parthia, Arabia felix, Deſertum Dulcinde olim Carmaniæ deſertum, Caſſam quę & Hircania, Margiana, Sogdiana, Bactriana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Serica nunc Camba-

hu

lu,Hetia, Turqueſtan, Drangiana, Arachonia, Euzerath olim Gedroſia, quibus nonnulli addunt Sableſtam prouinciam olim Paropamiſum dictam: omneſque ſubiectæ ſunt Perſarum Principibus dictis Sophy, exceptis Tourqueſtan, Cambalu & Scythis qui Tartaro ſubſunt.

Indiam autem moderni quadripartitam faciunt: Indiam nimirum intra Gangem flu. totius Indiæ florem, Indiam extra Gangem, Indiam ſuperiorem ſeu Orientalem, in qua Cataya prouincia; & Indiam Meridionalem quæ Moſuli & hęc regna continet. Hæ itaque nationes ac prouinciæ huius continentis in infinitas propemodum alias dynaſtias, dominia, regnaque diſpeſcuntur, quorum in ſequentibus capitibus quantum libelli anguſtia patitur, mentio fiet: nunc autem iam dictarum regionum ſuccinctè limites ſitumque demonſtrabimus. *India quadripartita.*

Cap. 2.

Pontus cum Bithynia ex aduerſo Thraciæ ſitæ ſunt, intercidente Propontide ab Occaſu vſque ad Olympum montem, deinde ab Aquilone Ponto Euxino terminatur, ab Ortu Galatia, à Meridie regione quæ propriè Aſia dicitur. Montes habet Olympum & Horminium; fluuios Sangarium, Aſcanium, Pſyllum, Parthenium. *Pontus.* Natolia ſiue Aſia minor quæ propriè Aſia dicitur, vulgò autem Turcia appellatur: huius limites Occidentales ſunt Helleſpontus, Aegæum, Icarium, & Myrtoum maria. reliqua latera Galatiæ, Lyciæ, & Pamphyliæ confinia terminant. montes in ea ſunt: Ida ex quo fluuij quatuor, Eſapus, Grenius, Simois, & Scamandrus ſcaturiunt. *Natolia.*

Phry-

Phrigiæ mons Cimeus & Timnus, ſupra hos Lydiæ montes, Meſotes, Tmolus, & Minas, nec non Micale mons inter Caiſtrum & Meandrum fluuios. reliqui omnes ſunt Caicus, Hermus, Pactolus.

Lycia. Lycia omnis montibus Phœnices verſus Boream à Caria, Cadmo ab Aſia propriè dicta, Moſicyto à Pamphilia verſus Ortum diſtinguitur, Calbi, Xantho, & Lymyra flumibus rigatur. *Galatia.* Galatia limites habet ab Occaſu Bithymiam, & partē Aſiæ propriæ ſeu minoris, à Meridie Pamphyliam, ab Ortu Cappadociam, à Septentrione Pontum Euximum: in hac Paphlagonia comprehenditur ad Pontum Euximum, montes habet Oligam & Didymum, fluuios autem Zaliſcum & Alim. Pamphylia terminatur ab Occaſu Lycia & Aſia, à Septentrione Galatia, ab Ortu Ceſtro fluuio, Cilia & Cappadocia, à Meridie montibus & Mari ſuo. Terra olearum fertilis eſt: montes habet Lyciæ montanis continuos; horum qui maximè in Septentrionem vergit Celenorum tumulus dicitur, qui deinde Lyciæ attinet. *Taurus.* Taurus mōs, qui per totam Aſiam, Armeniam, Scythiamque flexuoſus ſerpit. fluuijs humectatur Ceſtro, Euremedone, & Cataracto.

Cappadocia. Cappadocia, olim Leucoſyria, à Cappadoce eius regionis fluuio ſic dicta: frumento, pecoribus, præſertim autem equis generoſis nobilis; inter Halim fluuium ab Occaſu, inter Taurum, Antitaurum, & Scordiſcum montes, & Thermodontem fluuium continetur. Mediterranea eius Argeus mons occupat, vnde Melas fluuius per minorem Armeniam decurrens. poſtea Euphrati miſcetur. mediam autem Cappadociam Iris fluuius am-

ambitu flexuoſo ex Scordiſco monte peragrat.

Armenia minor. Armenia minor à Septentrione & Occaſu habet Cappadociam, ab Ortu Armeniam maiorem diſtinctam ab ea Euphrate flumine; à Meridie Ciliciam.

Cilicia. Cilicia terminatur ab Occaſu Pamphylia & Ceſtro fluuio, à Septentrione Tauro monte, Cappadocia, & Armenia minore; ab Ortu Ammano mōte, à Meridie Iſſico ſinu ſiue Mari Cilicio, mediam hanc Cydnus fluuius irrigat, amnes reliqui ſunt Orimagdus, Calydnus, Lamus, Sarus, Pyramus ex Tauro in Cypricum mare deſcendit.

Sarmatia Aſiatica. Sarmatia Aſiatica terminatur à Septentrione terra Ptolemæo incognita, ab Occaſu Sarmatia Europæa, Tanai fluuio, Mœotide palude ac Cimmerio Boſphoro, à Meridie Euxino mari, Colchide, Iberia & Albania; ab Ortu Scythia intra Imaum montem, & mari Caſpio. In hac Amazones, montes Hyperborei, & Caucaſus, Alexandri columnæ. Has Sarmatias Ptolemæi authores, alij Scythias nominant, ac de alijs duabus Scythijs nihil aut parum tradunt: tametſi omnes Septentrionis populos Scythas nominant paſſim.

Colchis. Colchis diues opum regio, & amnibus auriferis nobilitata, habet à Septentrione Sarmatiam Aſiaticam, ab Occaſu Pontum Euximum, à Meridie maiorem Armeniam, ab Ortu Iberiam. Fabula eſt Iaſonem ex Theſſalia cum argonautis huc aduentaſſe, aureumque vellus abſtuliſſe. Montes ab Aquilone prætenſi ex Caucaſo oriuntur: à Meridie Moſchili adiacent, fluuij Corax, Hippus, Cyaneus, Phaſis, omnes ex Caucaſo orti in Pontum Euxinum deuoluuntur.

Iberia. Iberia vndique montibus ſepta, terminatur à

Septen-

Septentrione Sarmatia, ab Occaſu Colchide; à Meridie Armenia minore, ab Ortu Albania. vtrum Hiſpani ab his Iberi; an verò hi ab Hiſpanis oriundi ſint, lis eſt apud authores. Quatuor aditus in Iberiam ducunt admodum difficiles: ex Colchide itur per anguſtias montis, per quas Phaſis excurrit 120. pontibus tranſmeandus. nec minus difficilis eſt qui ex Nomadibus aditus patet. ex Albania autem via eſt per petram exciſam, dehinc per ſtagnum quod amnis ex Caucaſo cadens efficit. ex Armenia quoque per anguſtias itur, quæ circa Cyrum fluuium ſunt. **Albania.** Albania habet à Septentrione Sarmatiam, ab Occaſu Iberiam, ab Ortu mare Caſpium, à Meridie Armeniam maiorem, ſic dicta, quia in ea Incolarum pueri albis capillis naſcantur, plus cernentes noctu per oculos quàm interdiu, regio frigida & aſpera. canes tanta corporis mole gignit, vt taurum & leonem perimant. Tres autem dictæ regiones hodie Tartariæ aſſcribuntur. mons Caucaſus hanc à Sauromatis dirimit. habet autem idem mons portas quas Sarmaticas vocant authores, & portas Albanias. fluuij Albaniæ ſunt Cyrus, Albanus, Cęſius, Gerrus, & Saona, qui ex Caucaſo profluentes in Hircanum mare decidunt. **Armenia maior.** Armenia maior terminatur à Septentrione Colchide, Iberia, & Albania; ab Occaſu minori Armenia & Euphrate, parte etiam Cappadociæ; ab Oriente mari Caſpio & Media; à Meridie Meſopotamia atque Aſſyria. In montibus Armeniæ poſt Diluuium Arca Noë conſediſſe dicitur Geneſ. cap. 8. addunt quidam etiam in Gordiæis montibus. Montes etiam in ea Antitaurus & Periardes. hinc Euphrates nominatiſſimus fluuius oritur, qui Armeniam in duas diui-

diuidens partes, deinde poſt mille circuitus Tigri coniunctus, iuxta Babyloniæ limites in ſinum Perſicum egreditur. Ex eodem etiam monte ortum ſumit Araxes fluuius, qui in ortum tendit.

Syria, variarum opum diues, frugum fertilis, & Balſamis opima. *Syria.*

Iudæorum natio ſcriptis mirè celebrata, terminatur à Septentrione Armenijs, ab Occaſu Syriaco pelago, à Meridie Iudæa Paleſtina, intercedente Carmelo monte, ab Ortu Arabia deſerta, Meſopotamia, & Euphrate fluuio. ſub ea Phœnice comprætenditur, ex qua Phœnix auis, ſiue regio ab aue (ſi modò aliquis eſt Phœnix) nomen ſuum trahit; & Syria Caua ſiue Cœleſyria. montes habet Pierium, hinc Sinoas flu. verſus Aquilonem & Euphratem vſque procedit. Cæſium item montem, & Libanum diuerſarum ſpecierum fertilitate præditum, hinc quatuor fluuij labuntur, Ador in Occaſum, Eleutherus in Occaſum Hybernum, Orcus qui & Verne in Aquilonem, Chryſoras in aduerſam partem. Antilibanum montem, ex hoc Leon fluu. Syriacum mare petit, & Iordanis latè per Iudæam ſpargitur. Hippum & apud Arabiam deſertam Alſadamum montem. *Iudæa.*

Palæſtina Iudæa Syriæ pars habet à Septentrione Phœniciam, ab Ortu Syriæ partem, à Meridie Petræam Arabiam, ab Occaſu Syriacum pelagus. In ea Iordanis fluuius in lacum Geneſareth effunditur, quem à Ptolemæo Tiberialis lacum dictum eſſe veriſimile eſt: denique in Aſphaltide labitur, quod mare mortuum ſeu Sodomorum vocant. *Palæſtina.*

Arabia triplex eſt, Petræa terminatur ab Occaſu Aegypto, à Septentrione Palæſtina Iudæa, à *Arabia.*

Meri-

Meridie mari Rubro, ab Ortu Arabia felici, & deſerta. In hac Petra eſt metropolis, vnde regioni nomen. Hæc olim Nabathæa dicebatur. Arabia deſerta habet à Septentrione Meſopotamiam, ab Ortu Babyloniam, à Meridie felicem Arabiam, ab Occaſu Syriam & Arabiam Petręam: regio ingens, montuoſa, arenoſa, & verè deſerta. Arabia felix quæ à Ptolemæo lib 6. deſcribitur, à Septentrione habet Petræam atque deſertam Arabiam, ab Occaſu ſinum Arabicum, à Meridie mare Rubrum, ab Ortu ſinum Perſicum & mare Rubrum. meritò autem felix cognominatur, propter eximiam ſoli fertilitatem, multiſque aromatum generibus abundantem, vt Aloë, Myrrha, & ſimilibus; camelos alit, & Auri gemmarumque copiam producit. In hac Saba vel Sabæa eſt regio, opum diues & thurifera. montes in ea Zames, Hippos, Climax, apud quem Strygis aquæ fons. Maritha mons ex quo Laris & Prion fluuij. Didymi montes, & Melas oliuarum fertilis.

Meſopotamia. Meſopotamia finitur à Septentrione Armenia maiore, ab Occaſu Euphrate flu ac Syria; ab Ortu Aſſyria, per amnem Tigrim, à Meridie Arabia deſerta & Babylonia per Euphratem fluu. ſic dicta, quod inter duos hos fluuios media ſit, armentorum paſcuis laudata eſt. montes in ea Caſij ab Aquilone, & Syngaras mons. Fluuij Chaboras & Aſcoras. Babylonia ab Occaſu & Aquilone inter Euphrates ambitus continetur, qui eam à Meſopotamia & Arabia deſerta dirimit; ab Oriente Tigri à Suſiania ſeparatur; à Meridie montibus & Perſico ſinu finitur. In hac Chaldæa regio eſt, frugum vitiumque fertiliſſima, rerum inſuper precioſarum ditiſſima eſt, in ſaccris literis Semaar dicta.

Aſſy-

Aſſyria finitur à Septentrione Armenia maiore; ab Occaſu Meſopotamia & Tigri flumine; à Meridie Suſiana, ab Oriente Media. In hac eſt Niniue vrbs: regio amœna & temperata: montem habet Niphalem ex Armenia protenſum, ex quo Lycus, Caprus, & Gorgus fluuij in Tigrim decurrunt. *Aſſyria.*

Media terminatur à Septentrione Hircano mari, ab Occaſu maiore Armenia & Aſſyria, a Meridie Perſide, ab Ortu Hircania & Parthia. horum olim amplum Imperium, Regum Perſarum domicilium æſtiuo tempore erat Ecbatanis in Media, Hiberno in Perſide. In Media ſunt Caſpiæ portæ, vbi ruptura eſt montis longitudinis octo miliariū, itinere manufactu auguſtiſſimo, per quem Babylonijs & Perſis eſt tranſitus ad mare Caſpium. Montes habet Caſpium & Zagrum. fluuios autem Cambyſim & Cyrum ex Caſpijs montibus in idem mare fluentes. Amardus ex Zagro in idem mare dilabitur; lacum efficiens Marianum. Suſiana habet à Septentrione Aſſyriam, ab Occaſu Babyloniam, ab Ortu Perſidem, à Meridie Perſicum ſinum. huius regionis fructus perpetuò virere dicuntur: metropolis eius eſt Suſa, modo Baldach, in qua agit Pontifex Saracenorum quem Caliphum vocant. *Media.*

GENERALIS ASIAE ENARrationis pars vltima. Cap. 3.

PErſis terminatur a Septentrione Media; ab Occaſu Suſis, ab Ortu a duabus Carmanijs Dara fluuio diſcernitur, a Meridie ſinu Perſico finitur, huius Imperator hodie Sophy dicitur: qui Imperium à Saracenis & Turcis iam du- *Perſia.*

dum ablatum, ſtrenuè quotidie recuperat. Parthia montibus vndique cincta ab Occaſu Medos habet, à Septentrione Hircaniam, ab Ortu Ariam, à Meridie deſertam Carmaniam. regio eſt feras ſæuiſſimas & ſerpentes alens.

Hircania. Hircania ab Occaſu Medos habet, à Meridie Parthos, quos Coronus mons dirimit, ab Ortu Margianam, deinde mare Hircanum ſiue Caſpium. Regio eſt vini ferax: vbi apes in arboribus mellificant. Tigridum quoque fœcunda; vnde illud Virgilij: Hircanæque admorunt vbera tigres, fluuiis rigatur Moxera & Secanda; vtroque duobus fontibus ex Corono monte in Caſpium mare deſcendente.

Carmania. Carmania duplex eſt, altera deſerta ſitu & moribus Perſis affinis; altera quicquid inter montes Perſicos & ſinum Perſicum eſt complectitur. montes huius regionis ſunt Strongilus & Semiramis, & in medio regionis alij ignobiliores, ex quibus fluuij ſex, Dara, Cathrappis, Corius, Archindana, Andanis, & Saganus in ſinum Perſicum fluentes. Salaris tamen fluuius ex iiſdem montibus in Indici maris ſinum Paragonicum deſertur.

Margiana. Margiana habet ab Occaſu Hircaniã Sept. Scythiam intra Imaum montem, à Meridie Ariam, ab Ortu Bactrinam. regio eſt admodum vitifera, etiam vndique montibus obiectis finita, amœnitatis adeò inclytæ, vt in ea vitem inueniri afferat Strabo, cuius ſtipitem duorum hominum vix vlnæ complectantur; racemum autem duorum cubitorum orbem implere; quod Alexander miratus ibi primum Alexandriam condidit. montes eius verſus Ariam & Auſtrum Saphiri dicuntur, verſus Hircaniam Maſdoranus. Margus fluuius qui regioni nomen dedit eam diuidit mediam:

ius du-

is duplici fonte ex Saripho monte ſcaturiens in Hircanum mare Oxo comitatus ruit. Bactriana terminos habet ab Occaſu Margianam, à Sept. & Ortu Sogdianam diuiſam ab ea Oxo âmne, à Meridie Ariam & Paropamiſadas. In hac olim regione mille vrbes Strabone teſte fuerunt. rerum omnium excepto oleo fertilis eſt, & Camelos alit inſignes. Sogdianæ terminatur ab Occaſu & Sept. Scythia intra Imaum montem, ab Ortu Sacis, à Meridie Bactriana & India. hactenus Alexander Magnus exercitum duxit. Sunt in ea Alexandriæ duæ, Oxiana & vltima. In ea arbor Papyrus folijs tam vaſtis naſci dicitur, vt quatuor pedes in longitudine æquet. Sacæ terminatur ab Occaſu Sogdiana, à Sept. Scythia intra Imaum montem, ab Ortu Scythia extra Imaum, à Meridie India intra Gangem. regio Nomadum eſt, ciuitates enim nō habet, nemora aut ſpeluncas inhabitabant Ptol. ætate. Scythia omnis ſecundum Ptol. ab Occaſu habet Rha fluuium terminum Sarmatiæ, à Septentrione terram incognitam, ab Ortu Sericam regionem, cuius limes eſt linea per montes Caſſios ſurſum deorſumque ducta. à Meridie partim Hircanum mare Sogdioſque; partim Sacas & Imaum montem. Plin. & alij Sogdios, Margianos & Sacas ſub Scythis cōprehendunt. atq; hi Imao monte eā ab India ſeparāt, ea ſc. montis parte, quæ in Ortū Occaſumq; diffunditur. altera Imai pars ſursū deorſumq; tenſa Scythiā duplicē diſtinguit, intra Imaū & extra Imaū, Occident. & Orient. Scythia interior hodie Tartaria magna vocatur, multūq; vltra Hyperboreos mōtes ad Sept. protenditur, vbi multæ & ſyluæ & feræ. His omnib. præeſſe fertur Tartarorum Princeps, Magnus Cham dictus, vocatus

Bactriana.

papyrus arbore.

Sacæ.

Scythia.

vocaturque regnum Cathay ad Orientem extremum extenſum.In vlteriori Scythia regio eſt quæ Caſſiam fiſtulam ferre dicitur, & Tharſos regio. montes harum prouinciarum ſunt Rhymnici, vnde Rhymnus fluuius in mare Hircanum fluit. Sunt & Alcani montes,Noroſſus, Aſpaſij, Tapuri, & Auaræi, omnes ferè ex Imao ortum ſumentes.

Serica. Serica terminatur ab Occaſu Scythia quæ extra Imaum eſt, ab Auſtro India extra Gangem & Sinis; reliqua latera incognita etiam nunc exiſtunt. Incolæ ſericum ex arboribus depectunt,quod vermiculus Ser conficit, indeque ortum nomen eſt. Eius regiones ad Cathay regnum & Chintalim regionem pertinent.

Aria. Aria à Septentrione habet Margianam & Bactra, ab Occaſu Maſdoranum montem qui eam à Parthia & Carmania deſerta ſeiungit, à Meridie Bagoum montem à Drangiana eam ſequeſtrantem, ab Ortu Paropamiſidum montibus excipitur.Regio in ea ſcorpionifera eſt,& terram ob Solis æſtum ſterilem habet; Corallium tamen viteſque ſupra quàm aliæ regiones fert.

Paropamiſus. Paropamiſadæ verſus omnem partem ferè montium collibus compreſſi,Paropamiſus ab Occaſu & Septentrione ab Aria & Bactris eos ſeparat.Caucaſus qui piper mittere fertur,ab Ortu Indiam cis Gangem ab his dirimit, Paruetus ab Auſtro Arachoſiam in his ſegregat.Gardamanis fluuius in medio ortus verſus Aquilonem Oxo flu. iungitur. Choas fluu. ex Parueto oriundus Indo miſcetur. nonnullis hæc regio Touequeſtan vocatur. Drangiana ab Occaſu habet Carmaniam deſertam, à Septentrione Ariam, ab Ortu Arachoſiam,

choſiam, à Meridie mons Bætius à Gedroſia eam diſtinguit, eam peragrat Arabs fluuius. Incolæ lapidum precioſorum veſtiumque copiam habent.

Arachoſia terminatur ab Occaſu Drangiana, à Septentrione Paropamiſadis & Paruetis montibus, ab Ortu India cis Gangem, à Meridie Gedroſia. Arachoſus flu. ſeſe in lacum ingentem diffundens ex Parueto monte ad Indum flu. tranſit. *Arachoſia.*

Gedroſia terminatur ab Occaſu Carmania altera, à Septent. Drangiana & Arachoſia, ab Ortu India cis Gangem, à Meridie Oceano Indico Meridionali. In hac parte hodie deſcribitur regio Guzerat, cui propinqua eſt Cambaia. laborat fructuum penuria: fert tamen aromata, præcipuè Nardum & Myrrham, quibus Alexandri exercitus pro tectis & ſtratis vſi ſunt. Montem habet Bætium & Indum fluuium. *Gedroſia.*

Indiam totam Indus fluuius ab Occaſu à Paropamiſadis, Arachoſia & Gedroſia, à Septentrione Imaus, Emodij, Sericique montes à ſuperiacentibus Segdianis, Sacis, Seris, Scythiſque dirimunt; Ortum Serus flu. eſt ſinus Mangi dictus finiunt. Auſtrate latus Oceano Meridionali Indico pacificoque clauditur. Regio eſt ingens, qua vno nomine nulla maior. Mediam autem Ganges fluu. (quem nonnulli Priſon credunt) diuidit; vnde duæ diſtinguuntur Indiæ, cis & citra Gangem. India intra Gangem totius regionis flos, prouincias continet plurimas: Narſingam latam habet regionem, multorumque aromatum fertilem: item Cananor, Calecutium regnum eſt emporium famoſiſſimum, ad quod ex tota India & Sinarum regione adfluunt gariopholi, nuces myriſticæ, muſcus, rhabarbarum, ſandala, aloë, & ſimilia. Eſt & Cuchinum emporium *India.*

& regnum Miete, ſub ſe continens regna alia viginti duo. In hac India mons eſt Beligus, ex quo tres prorumpunt fluuij, Pſeudoſtomus, Baris, in quo Beryllus vnio reperitur, & Solenis in mare Indicum defluentes. Mons item Adyſathrus ex quo Chaberus fluu. in ſinum Argaricum vergit. Regio circa Gangis oſtium Ophyr in ſacris literis dicitur, vbi Adamas in copia creſcit. Eſt & Vxentus mons, ex quo Tyndis, Doſaron, & Adamas fluuij prorumpunt, vbi itidem Adamas lapis gignitur. Oriuntur ex Vindio monte Namadus & Nanagna fluuij qui Calecutium perluit. India extra Gangem, quam maiorem appellant, regio eſt non adeò culta atque illa interior, aut ſaltem nobis non exquiſita ſatis. In ea regio aurea & argentea, & Cherſoneſus aurea, quæ nunc ab incolis Malacha dicitur. Hæc terra præter aurum & margaritas Rhabarbarum gignit. Sinarum regionem nunc Chinam magnam appellant, ea eſt ab Ortu Solis Indiæ maioris poſt Serum fluuium. eius Rex potentiſſimus totius ferè Mundi celebratur; regiones continet Margaritarum feraces, & fluuium Aſpitharam. Quicquid præterea verſus Ortum in ſuperiori & Orientali India reſtat, haud claris authoribus celebratum, ſitum obtinet incertum. Recenſentur autem prouinciæ tales: Chinchitalis, Balor regio vaſtiſſimis deſertis conſtans, Tangut. Mangi prouincia regna complectitur nouem, & Meandrum montem. Chayra regio ſeptem continens regna, Thebet, Cyamba, Cathay, in qua Quinſay, vrbs totius Mundi maxima, apud nos Cœli ciuitas dicta. Regiones potentiſſimæ quibus magnus ille Cham Tartarorum præeſſe dicitur, quæ omnes cum incertis limiti-

Chyna.

mitibus ſunt traditæ, prætereuntur. Atque hæc ſufficiant generatim de Aſia dicta, cuius tandem quantitatem ſic adiungimus: vbi in Occidentem maximè vergit, longitudinem habet graduum ferè 178. quo loco Tamos promontorium eſt, qui gradus in Parallelo decimo quinto ſumpti miliaria dabunt longitudinis Italica quidem 6000. ſeu Germanica 1500. Locus huius continentis qui maximè in Auſtrum deprimitur, ipſo Aequatoris circulo ſubeſt, vbi promontorium Cinga pura. qui verò in Boream maxime excurrit, latitudinem habet graduum 75. vbi Tabin Scythicum promontorium: vnde miliaria proſiliunt Italica 4500. ſeu Germanica 1125. nunc ad principaliorum eius regnorum particularem deſcriptionem pergamus.

DE AMPLISSIMA NObiliſſimaqúe Arabiæ terra. *Cap. 4.*

QVod ad nominis rationem attinet, id nonnulli à priſco Hyarba deſcendiſſe autumant: verùm nos ſi Beroſo Chaldæo credimus, ad Arabum filium, filium Cur, filii Cham, filij Noë ei originem referemus. Beroſi libr. 5. verba hæc ſunt: Ab exordio huius (ſcilicet Saturni Babylonici) Ianus pater miſit in Aegyptum cum Colonijs Cheme ſeruum: in Libyam verò & Cyrenem Tritonem, & in totam reliquam Africam Iapetum priſcum Atalaa. In Aſiam Orient. miſit Gangem cum aliquot ex filijs Comeri Galli. In Arabiam felicē Sabum cognomine Thuriferū. Arabiū præfecit Arabię deſertæ, & Petræium Petrææ.

Canam poſuit à Damaſco vſque in extima Palæſtinæ.

Arabia triplex. Triplicem autem faciunt Arabiam Geographi, Petræam ſcilicet Iudęæ Syriæque proximam, per cuius partem filiis Iſraël per mare rubrum tranſgreſſis in terram promiſſionis iter fuit, in qua & 40. annorum tempore vagabundi ineffabilia Dei miracula vidêre: ſic dicta, non quòd præterea, hoc eſt ſaxoſa ſit, ſed à Petra ciuitate eius præcipua, de qua Eſaïas: Emitte agnum Domine, dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion. Hanc ipſam ſacræ literæ terram Madian vocant, in qua exulauit Moyſes. Secunda eſt Arabia deſerta, quæ ad differentiam modò dictæ Inferior Arabia, & à Barbaris Arabia Sem appellatur. eius limites ſic ſe habent: A Septentrione Meſopotamiam iuxta Euphratis fluu. partem, ab Oriente montana Sinear in Babylone vſque ad ſinum Perſicum; à Meridie felicem Arabiam, per montes qui à Petræ iuxta Meſopotamiam vſque ad hunc finem extenduntur; ab Occaſu partim Syriam, partim Petræam. Hæc itaque tanquam in meditullio Petręę & Felicis ſita, vti nomine ita re ipſa deſerta & admodum ſterilis eſt, arenarum montibus inuia, lateque inter vtranque vagatur. Tertia autem quàm Felicem ob aromatum, odorumque in ea vberem prouentum appellant, Peninſulæ modo inter duos ſinus Arabicum & Perſicum ſita, bina attingit freta mariſve anguſtias, quorum quod in Occidentem Africæ propinquum eſt Bebelmandel ab accolis dicitur, quo ſcilicet loco Arabicus ſinus ſeu mare Rubrum Oceano iungitur: alterum Baſora fretum appellatur, quæ ſcilicet Perſicus ſinus Oceano committitur.

Popu-

Populi qui ſuperiorem Arabiam, quæ & Madian & Nabathæa dicta fuit, olim habitauêre, Saraceni fuerunt, ſeu Agareni potius ab Agar famula Abrahami, licet poſteritatem ipſius Saræ ſeſe glorientur. Elamitæ præterea, Moabitæ, Amorrhæi, Amalechitæ & Idumæi, quorum Reges à filijs Iſrael inde pulſi ſunt, quorum in Terræ ſanctæ deſcriptione prolixior mentio fiet: à prophanis autē ſcriptoribus Phananitæ, Rhathenique in hac locantur. Eius metropolis vti diximus, eſt Petra olim Ar & Rechem dicta, cuius Rex vnus eſt ex quinque qui duce Moyſe a filijs Iſrael interempti ſunt: hæc nonnullis hodie Crach appellatur, eſt & in conualli, quæ ab hac in Alphatiam lacum extenditur, Aroer Moabitarum caput: rigat eam vallem Anrō fluuius. Eo fere loco quo exitus fuit Iſraeli è mari rubro, cernitur Eltor ciuitas, olim Hermopolis vocata, emporium earum mercium quæ ex India ac Oriente apportantur, indeque in Aegyptum & finitimas cæteras prouincias diſtrahuntur. Hinc longo tractu ſecundum Arabici ſinus curſum Medina, Talnabi oppidum extat, vbi oppidum extat, vbi ſceleſtiſſimi Mahumetis monumentum viſitur. Deſertum autem Arabiæ populi olim Cauchabeni, Batanæi, Apibeni; Rhabeni, Orcheni, Aeſitæ, Maſeni, Agræi, & Marteni dicebantur. Vrbes in ea ſunt Ammea, Idicara, Tapſacam olim Amphipoli, nunc Bebec dicta. Sunt verò eius vrbes vel iuxta Euphratem fluuium qui in Perſicum mare effunditur, vel ſecundum idem mare ſitæ. Cætera enim vrbibus vacua, deſerta loca ſunt, à paſtoribus, quos quòd vagabundi in territorijs agant, magiſque inuadant quam inhabitent terras Arabes, Nomadas vocant: eorumque latro

Populi Antiqui Arabiæ deſertæ.

cinijs haud ſecura ſunt, appellanturque Beriar, He gias, Elcatif deſerta: vnde vicinum quoque mare vel ſinus, Elcatif dictum: item deſerta Theama & Maſcalat. Fœlicis autem Arabiæ, vtpote terræ fertiliſſimæ ditiſſimæque, atque ob id frequentis, innumeri penè recenſentur populi: vtpotè Thamyditæ, Sideni, Darræ, Banubari, Arſæ, Mazæ, Sabęi, quorum regio nunc Zibith vocatur, Scenitæ, Oaditæ, Saraceni, Thamydeni, & plerique alij, quorũ nomina ne faſtidium pariant, hîc præteribimus. Eadem à Ptolemæo in complures diſtincta eſt regiones, vtpote Cin docolpitorum, Caſſanitorũ, Eleaſarum, Homeritorum, Sachalitorum, Anaritorum, Aegæorum, Gerræorum, Thæmorum, Leanitorum, Abucæorumque regiones. His alij addunt Panchaiam, & regiones Smirnophorum interiorem & exteriorem, nec non & Libanotophoram. Huius ætatis Geographi in complura regna eam ſecant, eaque pleraque Perſarum Regibus parentia, qui vt in officio prouincias retineãt, ſuos in ijs proreges conſtituunt. cuiuſmodi ſunt Irmin, Amanſiriſdin, Ormus, Becharim, Maffe, Alibinali, Gubelaman, Fartach, Hereth, Adem & Zibith regna, quæ partim proprijs Regibus, partim à Perſico ſubſtitutis, partim Turcis parent. his etiam ab aliquibus annumerantur Alma, Charama aliàs Manambe, & Sabara regna, quorum ſitus tabulas Geographicas inſpicienti obuius fit. Vrbibus & oppidis hæc ſcatet, quarum præcipua eſt Mecha, quam tamen alij in Petręam collocant Arabiam. Mercaturæ negotiationibus frequentiſſima eſt, elegans ac magnoperè culta, quippe quæ ambitu ſenum millium domorum contineatur. mœnia non habet, ſed montes quibus quaqua ver-

Arabiæ Fœlicis populi.

Mecha vrbs.

ſum vallatur. Eſt præterea Adem famoſiſſimum Arabiæ emporium, munitiſſimumque, quod gemino latere ſepiunt mœnia, & quod ſupereſt, mōtibus clauditur, in quibus arces quinæ ſunt extructæ. vrbs loco plano ſita, ambitu ſexies mille ædificiorum contenta. Commercia in nundinis noctu & hora ſecunda, ob nimios qui ſæuiunt interdiu æſtus, exercent. Illuc ceu ad famigeratum emporium ex vtraque India, Aethiopia, ac Perſide commerciorum gratia, nauali itinere confluunt mercatores. Suſpicantur nonnulli hanc eandem eſſe quam Ptolemæus Arabiam aut Ocelim vocat, ob ſitum quem illi aſſignat. Hinc itinere bidui diſtat alter Mercatus Aiaz dictus, ciuitas in colle gemino ſita, intercedente latiſſima conualle, quo aromatum minutiorum omne genus comportatur. Fert ea regio Xylon ſeu cotonum, bombycemque & ſericum, fructuſque multiplices & eoſdem ſuauiſſimos, mala Perſica & Punica, cydonea, ficus, iuglandes, nuces, & vuas optimas. Vlterius eſt Dante ciuitas natura & arte munita, in editiſſimo monte ſita, ſed ſterilitate laborans. vnde bidui iter ad Almacharum ciuitatem regiam, in eminentiſſimo, vt illa, monte ſitam, difficili arduoque aſcenſu, vtpote 7000. paſſuum, qui miliaria conficiunt Germanica propemodum duo: adeoque coarctatur iter, vt bini homines viam compleant, non ſecus quàm ſi in angiportu fores: vbi verò in ſummum perueneris montem, ampliſſimam videbis planitiem incredibili amœnitate, rerumque ferè omnium abundantia, vberrimoque prouentu gaudentem, in qua quicquid humanis viſibus conducere queat, legitur.

Adem.

Aiaz.

Dante.

Amalchara ciuitas.

Quæ omnia vrbem reddunt propemodum inexpugnabilem, tum acceſſus difficultate, tum commeatuum & annonæ facilitate, & quod omnium maximè conducit, aquæ copia. In ea Sultanus fertur tanquam in Phylaca quadam tantum auri aſſeruare, quantum centenis camelis onerandis ſufficere queat. Ab hac vnius diei itinere abeſt Reama, negotiationibus ditiſſimis frequens, cuius ager, ſi lignum demas, rerum omniũ fertiliſſimus eſt: narrantque qui ſuperioribus annis ea loca frequentauêre, eſſe in eis Veruecum quædam genere quorum cauda pondus habeat 44. librarum, cornibuſque carere, pingues vſque adeò, vt incedere nequeant. Vuas habent granorum vacuas, & fructus omnimodos. Huic copiæ incredibilis quędam Cœli temperies accedit, id quod imprimis teſtatur perennior hominum ætas, quæ ibi extenditur ad centeſimum & vigeſimum quintum annum.

Reama.

VLTERIOR NARRATIO DE Arabiæ proprietatibus. Cap. 5.

DE Arabiæ porrò fertilitate hæc ſunt ferè quę ab authoribus traduntur. Arabia Petræa maiori ex parte non differt ab Arabia deſerta, quia & ipſa multis in locis ſterilis eſt, arenoſa, petroſa, & tota aſpera, aquarumque penuria laborans. Tantæ in ea ſolitudines ſabuloſæ, vt vna nocte ventus inſtar montis arenæ cumulum ciere poſſit: qua arenarum congerie quicquid obruitur, ſuffocatur. Huiuſmodi deſertum arenoſi ſi-

ſi ſibi maris nomen adipiſcitur. In hiſce via trita nulla eſt,ſed qui itineris curſum moderantur,pixide ac pagina Marina(quos compaſtus vulgò nominant)vti coguntur,haud ſecus quàm qui æquoris ſulcandi gratia nauibus ſe committunt.Incolæ camelis vehuntur,incluſi ligneis caueis,in quibus vitam trahunt,ducibus tamen pilotis (vt vocant) qui non aliter quàm in vndabundo mari vagantes,Magnetis indicio iter peragunt.Arabia autem quæ felix dicitur, inter duos ſinus, Arabicum & Perſicum veluti Peninſula excurrit, quæ bis quotannis,ſicut & India,ſeritur ob ſoli fęcunditatem. Fluminibus ſcatet, quæ in campos abſumuntur. omnium fructuum,tum pecorum abundans,pręter equos,mulos,& porcos. auium etiam omniũ copia,præter anſerem & gallinam.Oues albæ,boues nigri. Aromatum omnis generis feraciſſima, quibus omnia permutant. vrbes ſine męnibus colunt,quòd in pace maximè degant. Artes ab vno in alium non transferuntur, ſed in patriis quiſque manet inſtitutis. Qui maximus eſt natu, is in totam gentem regnum obtinet: mortuo ſiquidem Rege omnes omnium nobilium vxores, quæ quidem prægnantes ſunt,conſcribuntur,admotiſque cuſtodibus obſeruantur,quæque primò enixa fuerit,eius filius regni habenas moderatur. Aurum argentum,atque omnia aromatum genera terræ peculiaria ſunt. Defunctorum corpora ſtercore abiectiora ſunt. Nomades Arabiæ qui habitant iuxta fluuium, colligunt auri ramenta,quod tamen non conflant propter artis inſcitiam. Debæ & ipſi paſtores,colunt iidem agros aliqua ex parte.gens auri abundans, inter glebas temerè iacentes aureas pilas glandium magnitudine reperiũt, Debæ

qui-

quibus monilia lapillis affabre interiectis conficiunt, haud iucundæ aſpectui & collo & manibus inducunt: Vendunt aurum finitimis triplo æris precio, argenti duplo, tum auri contemptu, tum deſiderio earum quæ commercio parantur. Proximi his Sabæi, thure, myrrha, & cinnamomo diuites: & in ora huius terræ balſamum naſci quidã prodiderunt. Habent & palmas odoriferas & calamum. Serpens ibi palmari longitudine, lætalis ferè eius morſus, in arborum radicibus cubans. Odor nimius rerum flagrantiũ ſtuporem ſenſibus inducit, quem bituminis ſuffitu & hirci barba leuant. Penes Regem omnis iudicandi ratio. Sabæorum pleriq́ue ſunt agricolę: alij aromata legunt. In Aethiopiam ob negotia nauigant, nauigijs corio contectis. Cinnamomum & Caſiam loco ligneæ materiæ igni adhibent. Huius gentis metropolis eſt Saba, ſupra montem ſita, vbi alia auro, alia argento, quædam lapidibus ſplendent. nonnulla tum elephantorum dentibus ſunt exculta, tum multis rebus alijs. Nec Gerræi his minus opulenti, quorum omnis ferè ſupellex ex auro & argento conſtat. ex his enim & Ebore domorum limina, tecta, parietes conſtruunt. Nabathæi omnium continentiſſimi, quorum in quærendis opibus mira induſtria, ſed in tuendis maior. Qui rem domeſticam minuit, publicè mulctatur: contra honore afficitur qui matrimonium auxit. Item Panchaia Arabiæ regio tota fructifera eſt, niſi vbi arenoſa eſt. Vini maximè abundans & thuris, quod in ea adeò excreſcit, vt per vniuerſum Orbem ſatisfaciat Deorum ſacris. fert etiam myrrham, & alia varij generis aromata odorem præbentia, quæ Panchæi legunt, & mercatoribus Arabi-

Sabæi.

Nabathæi.

rabibus vendunt: qui eadem per Phœniciam, Syriam, & Aegyptum tranſuehunt. Plurimas Arabia nutrit plantas, ſuauem odorem tranſeuntibus aſpirantes. Natura id ſoli accidit, vt dulces in ea odores ortum habeant. nam quibuſdam in locis effoſſa terra, aliquæ reperiuntur ſuaue olentes glebæ, quæ veluti metalla fuſæ lapides ingentes fiunt, ædificandis domibus apti. Myrrhæ ſarmentis ignes fouent, quorum fumo ſatis noxio, niſi odore cremati ſtyracis ocurrant, plerunque incurabiles morbos contrahunt. Cinnamomum per ſacerdotes legitur, hoſtijs prius cæſis; quas cùm litauerint, obſeruatur vt neſcius nec ortum Solis anticipet, nec occaſum eius egrediatur. Myrrham iiſdem ſyluis quibus Thus permixta arbore naſci tradiderunt aliqui, gigniturque multis in locis Arabiæ. Satiua quoque prouenit, multum ſylueſtri prælata. arbori altitudo ad quinque cubitos, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto folium oliuæ, verùm criſpius & aculeatum. Inciduntur bis in anno: ſed à radice vſque ad ramos qui valent. Sudant autem ſponte, priuſquam incidantur, Stacten dictam, cui nulla præfertur. Eſt itaque myrrha lacryma Aegyptiacæ ſpinæ, qua inciſa effluit lachryma, quæ coagulata deinde legitur. Excellit Troglodytica, quæ lucida eſt, ſubuiridis, & mordax. *Myrrha.*

Reperiuntur & Bæotica, adulteratur gummi, idemque Cinnamomum naſcitur apud Troglodytas. ipſe frutex duorum cubitorũ altitudine amplissimus, palmiq; minimus, quatuor digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculos, arido ſimilis. cùm viret nõ odoratur, folio origani,

licci-

ſiccitate gaudens, ſterilior namque fit imbre. radix eius inutilis eſt: gignitur in planis, ſed in vepribus rubiſque, difficilis collectu, præcipua bonitas virgulorum tenuiſſimis partibus, ad longitudinē palmi: viliſſimum quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo ſumma gratia. Lignum quod Xilocinamum vocatur. in faſtidio eſt. propter origani acrimoniam. Eſt & Caſia frutex, qui naſcitur iuxta Cinnami campos ſed in montibus, craſſiore ſarmento, tenui cute verius quàm cortice: amplitudo fruticis trium cubitorum. Theophraſtus dicit Caſiam ſarmento craſſiore conſtare ac neruis, idcircò non poſſe decorticari. Dioſcorides verò de ea ſic tradit: Caſia in Felici Arabia naſcitur, baculum habet craſſo cortice ſicut piper. Thus præterquam in Arabia, in nullis alijs naſcitur terris, imò nec in vniuerſa Arabia. Regio thurifera ſpectat ortum Solis æſtiui, vndique rupibus inuia, & à dextris Maris ſcopulis inacceſſa. Syluarum longitudo eſt ſchænorum viginti, hoc eſt, triginta miliariorum Germanicorum; latitudo dimidium eius. Attolluntur colles alti, decurruntque in plana, & naſcuntur arbores ſponte. Terram argilloſam eſſe conuenit, raris fontibus ac nitroſis. Minæi per quos tramite anguſto hus euehitur, primi commercium thuris fecerunt, maximæque exercent. Nec præterea Arabum alij præter dictos, thuris arborem videt, ac ne horum quidem omnes. feruntque trecentas eſſe familias nec amplius, qui ius per ſucceſſiores ſibi illud vendicant. Sacros autem vocari ob id, quod nullo congreſſu fœminarum, funerumque, cum incidunt arbores eas aut metunt, polluuntur atque ita religione merces augeantur. Nec arbo-

Caſia.

Thuris collectio.

ris

Nec arboris ipſius quæ ſit facies conſtat: quidam terebynthum eſſe putant, alij lentiſco ſimilem ſubrutulem folio. meti ſemel quotannis ſolebat, iam quæſtus etiam vindemiam adfert. Inciditur ea parte cortex, qua maximè videtur eſſe prægnans, tenuiſſimuſque tendi cortex. Laxatur autem cortex vulnere nō adimitur: inde proſilit ſpuma pinguis, hæc concreta denſatur, quod verò in arbore hæſit ferro depectitur, ideo corticoſum. Quod ſecunda vindemia colligitur, in eodem anno rurſum exit, nec comparandum priori. Creditur & nouellę arboris candidius, ſed veteris odoratius. Hæc pleraque ex Sebaſtiano Munſtero, qui eadem tum ex Strabone, Plinio, tum alijs collegit, huc tranſtulimus. & fortaſsè eorum authorum temporibus talis huius prouinciæ facies fuit: qui verò hac noſtra ætate eam vidiſſe profitentur, multa ex his aliter ſeſe habere aſſerūt, quàm ab illis tradita ſint. Duces nimirum itinerum per deſerta locorum notitia & vſu Carouanas ducere, nec vti alemnaventorum ſæuitiam in arenis congerendis nullam eſſe: neque binas meſſes eſſe, neque equorum penuria laborare. anſeres quoque & gallinas frequentes: Cinnomomi nihil haberi quod non aliunde importetur. Eboris inſuper & Elephātorum, niſi aduentitiorum, nihil: quorum author eſt Andreas Theuetus. Fluuij Arabiæ nobiliores habentur Prion nunc Prim, Ormanus, Laris qui modò Om vocatur, Zibith & Stygis fons poſt Climaxon montem. Montes verò Arabici hi notiores ſunt; in Petræa quidem Synai exulgatione Decalogi clarus, qui & Oreb, & S. Catharinæ mons; Caſius, Har, Seir, & Melanes, qui hodie Phaſga dicitur. Deſerta autem sūt, Dut, Lyon, & Anna modò vo-

Fluuij & montes Arabici.

dò vocati. Fœlices verò Calubatra, Prionothus, Dyndimi, Zames nunc Zimas, Marithra nũc Marthimos & Caſtermuth vocatũs. Climax & qui Cinedocolpitorum mons vocatur, nunc Gabel & Sabel, Hippos & Cinoc. Terminatur autem vniuerſa quidem Arabia ab Occaſu mari Rubro & ſinu Arabico, à Septentrione Syria & Chaldæa, ab Ortu mari & ſinu Perſico, à Meridie Oceano Indico. Meridianus eius Occidentalior gradus habet longit. 68. vbi deſertum de Sues. Orientalior verò longitudinem habet 100 graduum, vbi Corodamum promontorium, nunc Cabo Razſalgale dictum, iuxta anguſtias ſinus Perſici. Parallelus autem eiuſdem Auſtralior latitudinis gradus continet 12. vbi Babelmandes ſeu Arabici ſinus fretũ, is quartus eſt Amphiſciorum, diemque æſtiuum prolixiorem experitur horarum nõ amplius duodecim cum tribus quadrantibus. Borealior verò Parallelus gradus latitud. habet 31. vbi Carmelus & Seir montes, is eſt numerus nonus, Heteroſciorum autem tertius, diem artificialem habens æſtiuam horarum quatuordecim.

Termini Arabiæ.

INDIAE DESCRIPTIO.

Cap. 6.

QVandoquidem huius Regni quantitate amplitudineque dignam hiſtoriam tex[...] loci vetat anguſtia viſum eſt in hac, perinde vt in ſuperiori à nobis factum eſt (poſt enume[...] ratos nominetenus populos à veteribus hoc tra[...] ctu locatos, nec non & regiones in hac ſitas, cum earundem recentioribus nominibus, fluuiorum inſu[...]

inſuper & montium inſigniorum nomenclaturas) ſequi quempiam huius ætatis Geographum, qui non tam veteris quàm recentis Indiæ Indicarumque rerum faciem ſuccinctius & breuiſſimo quaſi compendio complexus ſit. Id quod Munſterus præſtitiſſe videtur. Sunt alij recentiores qui idem fortaſsè melius, prolixius tamen tradidere, quorum ſcripta ſi quis tabulis Geographicis conferat, non vulgarem eius notitiam conſequetur. India itaque ab Indo fluuio Occidentali eiuſdem termino, nomen haud dubiè ſortita, duplex à Ptolemæo, cæteriſque veteribus Geographis deſcribitur: quæ enim Indo fluuio proxima eſt & Occidentalior intra Gangem India dicitur; altera verò hunc in Ortum ſequens extra Gangem India appellatur. Quæ intra Gangem eſt India, terminatur ab Occaſu regione Paropamiſadum & Arachoſia ac Gedroſia, iuxta ipſorum latera Orientalia, à Septentrione Imaö monte, iuxta ſuperiacentes Sogdianos & Sacas, ab Oriente Gange flu. à Meridie & Occaſu parte Indici pelagi. Populi genteſque à Ptolemæo in hac locantur: Lambatæ, Daradæ, Gandatæ, Pandaui, Gymnoſophiſtæ, Detipiæ, Nanichæ, Putindæ, Cathriæi, Tabaſi, Magorum gens, Parapiotæ, Rhamnæ, Phyllitæ & Bettigi, Condali, Soræno mades, Biolingæ, Pornari, Adiſathri, Mandathæ, Brachmanæ, Magi, Aruræi, Badiamæ, Dryllophillitæ, Cocconagæ, Salaceni, Sabaræ apud quos Adamas abundat, Gangaridæ, Aij, Pandiones, & Batæ, multique præter hos alij, quorum nomina vel ipſa lectione faſtidium parere lectori poſſint. Regiones autem has præcipuè recenſet: Suadenam, Caſpiriam, Cylindriam, Goryeam, Varſam, Praſiacam, Saudrabitim,

Populi Indiæ Antiqui.

tam, Indoſcythiam, Patelenam, Abiriam, Laricam regionem, Betanam, Hippocuram, Lymiricam, Moſoliam, Pumatam, Caruram, Moduram, Orturam, & Melangam. Qui verò noſtris temporibus Indiæ hiſtoriam conſcripsére, in hac regna complura numerant, eademque perampla: à ſinu ſiquidem Canticolpo, qui nunc Cambaiæ vocatur, ad Gangeticum vſque Sinum ſeu Colchicum, quem modò Golfo de Belgala nominant. Regna hæc ab illis locantur: Iogha, Delij, Manduo, Oriza, Pale, quæ in terra firma mediterraneiſque intra prędictos ſinus poſita ſunt. Decan verò, & quæ hoc ſequuntur regna: Goa, Mangalora, Boicala, Cananor, Calicuth, Tanor, Narſinga ſeu Malabar, Cochui, quod fortaſsè Colchis eſt veterum, iuxta iſtum nanque ſinum Coulan ſitum eſt, Cholmandel, Biſinagar, Tarnaſſei, Bēgala, Canarin & Craganor, littus ſequuntur. Ex quibus huius prouinciæ vaſtitas & amplitudo liquet ingens: mihi verò vel ſingulorum ſaltem ſitum & limites obiter annotare volenti magna præſentis libri pars impleretur. Fluuij hanc Indiæ partem rigantes fœcundanteſque, innumeri penè ſunt; omnium tamen primus maximeque inſignis eſt Indus, ab accolis aliquando Sandus dictus teſte Plinio; hic ex Paropaniſo monte ſeu Caucaſo verſus Solis ortum ſcaturiens, octodecim receptis nobilibus fluuijs, quorum primi ſunt Coa, Suaſtus, Bidaſpus, Vadris, Bibaſis, Zaradrus, reliqui paulò minoris notæ ſunt. inter Meridiem & Ortum æquinoctialem lapſus, ſeptem olim oſtijs in Indicum Pelagus fundebatur, e quibus ſeptimo vadoſa, haud nauigabilia extabant; horum primo, quod & Occidentalius eſt, nomen Sagapa, ſecundò Sinthium, tertiò

Huius ſeculi regnorum nomina.

Fluuij Indiæ

tiò Aureum, quartò Cariphi, quinto Spara, ſexto Sabalcſſa, ſeptimo autem Lonibare nomen eſt. Hodie mutato nomine quod à Plinio traditum eſt, ab accolis Indu dicitur, ac duobus tantùm oſtijs ab huius ſeculi nautis, in mare ſe exonerare compertus eſt. Reliqui ab authoribus nominati amnes ſunt Mophis, Namadus, Gaorus, Rhena, Nanaguma, Pſeudoſtomus, Barius, Solenis, Chaberis, Thyna, Mæſolus, Manada, Tyndus, Daſaronas, & Adamas. Montes verò cùm hos tum multos alios emittentes ſunt Apocopi, qui Deorum pœnæ dicti ſunt, Sardonix, Vindius, Bettigo nunc Gatus, Adiſathrus, Vxentus nunc Vſſuntus, Orudijque montes, Binarus inſuper & Bipirrus. Altera verò India quæ reſpectu noſtri India extra Gāgen vocatur, vti iam dicta Indo flu. ſic ipſa Gange ab Occaſu limitatur, à Septentrione iam dictis partibus Scythiæ & Serum, ab Oriente Sinis, à Meridie Indico pelago, & parte Praſſodis maris. Sinarū autem regio itidem ſub Indiæ nomine hodie intelligitur. Ganges hiſce limitibus circumſcriptam terram habitauêre olim, Ganganæ, Marunde, Tacorei, Corancali, Paſſatæ, Tiledæ, Beſadæ, Tampæ anthropophogi, Aminachæ, Indaprathæ, Ibengæ, Debaſæ, Nangalotæ, Cacobæ, Baſanaræ, Cudupæ, Barræ, & Sindi. Sinarum autem regionem habuêre Semanthini, Acadethæ, Spiotę, Amaſtæ, & Ichthiophagi Sinæ dicti populi. Quæ prouinciæ in regiunculas minores ſectæ Carradiam, regionem Argenteam, Laſtorumq́; & quæ Aurea dicta eſt, complectebantur. Inſuper & Cherſoneſum auream vocatam, Calcitidem item & Catgaram. Regna hodie quemadmodum eſt præcedens India continet permulta & vaſta. In aurea

India trans Gangem.

quidem Cherſoneſo Peguſiam, & Malocca regna nominantur; in reliquo tractu ſunt Cimotai, Aua, Brema, Arcar, Iangoma, Campoia, Campea, Cacuchina, Tipura. & Moin. Vlteriuſque in Orientem & in Sinarum regione ponuntur Cathaia, Cambalu, Chequan, China fortaſſis Sina dicenda, Mangi, Xanthon, & Quinſai, ac nonnulla alia Tartarorum Imperatori parentia regna.

VLTERIOR DE INDIA NARratio. Cap.7.

HAnc Orientalem Indiam, quam nonnulli affirmant eſſe Tharſim auriferam regionem, ex qua tum aurũ tum gemmas, cæteraſque diuitias & ornamenta ſua Rex Salomon petierit. Complures inſignes eam fœcundant fluuij, quorum princeps eſt Ganges Emodijs montibus ſeu Imao, qui nunc Dalanguer vocatur & Naugracot, ortus omnium totius penè Aſiæ fluuiorum maximus, vtpotè cuius latitudo 8000. paſſuum exiſtat, qui miliaria efficiunt Germanica duo, altitudo verò vel minimum paſſuũ viginti. circiter triginta, iiſdemque per vtplurimũ nauigabilibus amnibus auctus diu nauigationi ob impetum vehementiorem inutilis, donec locum Chyamaium dictum transfluus ſuperans in Auſtrum flexus per Palimbrotum regionem placidus delapſus, in ſinum à ſe Gangeticũ dictum, quinque oſtijs euomatur, horum Occidentalius Cambyſum, alterum Magnum, proximum Camberychum, ſequens autem Pſeudoſtomum, & vltimum Antiboli vocantur. Ex his duo præcipuè nauigantibus commodiora ſunt. Magnum ſcilicet quod hodiè Satigam appellatur, & id quoq Antiboli olim, nunc autem Chatigã nuncupatur, portus ſcilicet huius Indiæ celeberrimus

Indg Latit 2 mill. Germ

Creditur hic fluuius is eſſe qui in ſacris literis Phiſon dicitur. Gangis verò nomen vnde ortum ſit, ex Beroſi lib.4.facilè conijcere licet, vbi inquit: Ianus pater miſit in Aegyptum Chameſanum: in Lybiam verò & Cyrenem Tritonem, & in totam reliquam Africam Iapetum priſcum Ataala. In Aſiam Orientalem miſit Gangem cum aliquot ex filijs Comeri Galli. A Gange itaque eorum Rege proculdubio Ganges fluu. dictus: erat is filius Gogi. Poſt hunc inſignioris notæ fluuij ſunt Catabeda, Tocoſanna, Sada, Tornata, Beſinga, Chryſoana, Palanda, Attaba, Sobanus, Doana, Dorius, & Serus, is è Semanthinis montibus fonte duplici ortus, in Meridiē rectà fertur, donec ſinui ſe magno condat. In Sinarum deinceps regione ſunt Aſphara, Ambaſtus, Soenus, & Cottiarus. Montes verò prouinciæ huius nobiliores ſunt: Emodij & Imus, Bepyrrus, Sericique montes, & præter hos Mendrus, Damaſus, & Senanthini dicti. Atque hæ ſunt duæ iſtæ huius tam vaſtæ prouinciæ partes, quarum hæc quæ Orientalior eſt ſacræ literæ terram Euilat appellare videntur, ab incolis verò ſuis Mcin ſeu Magin dicitur, alteram autem Seriam in ſacris dictam ipſi Hynd vocant. Qui noſtris temporibus Indiam frequentant, eam tripartitam faciunt: Inferiorem ſcilicet, quæ Guzeratam regnum ſeu Gedroſiam habet: Mediam quæ Narſinga regnum compræhendit, & id omne quicquid ſt terræ Indo & Gangi fluminibus interiectum: ſuperiorē & Orientalem quæ & Canc à Gange fluu. dicitur, ea quicquid deinceps ad Orientalem vſque Oceanum, qui nunc Mare de China & Mangi dicitur, terræ porrigitur, ſibi vēdicat. De his ſequētia hæc ſummatim ſcribit Munſterus: Prior (inquit) India & quæ nobis vicinior

Ganges fluu. vnde dictus.

India hodie tripartita.

eſt, includitur duobus magnis fluuijs, Indo à quo Indiæ nomen, & Gange; a Septentrione verò ſeparatur a Scythia, & alijs Septentrionalibus regionibus per inſignem montem Taurũ, qui in Pamphilia exurgens, extenditur in Orientem, quouſq; tandem pertingat ad Indiam. reſilit tamen ad Septentriones, flexu immenſum quærens iter, veluti de induſtria, rerum natura ſubinde æquora apponente, hinc Phœnicium, hinc Pontiniũ, illinc Caſpium, contraq; Mæotidem lacum. Torquetur itaque colliſus inter hæc clauſtra, & tamen victor flexuvſus euadit, vſque ad cognata Rypheorũ montium iuga, numeroſis nominibus & nouis quacũque incidit inſignijs: dictus Imaus, Emodus, Paropamiſus, atq; alijs & alijs nominibus, pro gentium & linguarum varietate. vbi verò in exceliſſimam ſurgit ſublimitatem, dicitur Caucaſus: quanquam ſunt qui Taurum à Caucaſo diuidant. Effundit idem mons in India Gangem flu. ac alio in loco Indum flu. vbi tam altus eſſe perhibetur vt perpetuo niue candeat, hoc autem altitudinis culmen perpetuo tenore conſeruat: niſi quod Eufrati & Tigridi qui in Armenia oriuntur vix tranſitum per conualles concedat. India Orientalis regio tã vaſta perhibetur, vt eam tertiã terrarum Orbis partem quidam perhibuerint. Pomponius tantum littoris occupare ſcribit, quantum per quadraginta dies noctesque velificantibus curſus eſt. Habet gẽtes multas, & oppidis adeò eſt exculta, vt quidam in ea quinq; millia fuiſſe dicant. nec mirum ſit vel de hominum vel de vrbium copia; cùm ſoli Indi à ſuo natali nunquam receſſerunt. Terra Fauonij ſpiritu ſaluberrima, in anno bis metit fruges, vice hyemis etheſias patitur ventos.

India populoſa.

Nar-

Nardum fert Auſtralis ora, fert & Cinnamomum, piper, & calamum aromaticum, vt Arabia & Aethiopia. Ebenum arborem ſola producit. Pſittacum autem & monoceron beſtiam habet. abundat berillis, chryſopraſis, adamantibus, carbunculis, margaritis, & gemmis multis. Binæ illic Aeſtates, lenis aura, temperatum Cælum, vbertas ſoli, aquarum abundantia. Centum ob id & triginta annorum æuum quidam agunt, præſertim Muſitani. Senibus vita aliquanto longior. Maxima in ea regione gignuntur animalia. arbores etiam tantæ proceritatis traduntur, vt ſagittis ſuperari nequeant. Hæc facit vbertas ſoli, temperies Cæli, & aquarum abundantia. Arundines tantæ proceritatis, vt ſingula internodia aluco nauigabili ternos interdum homines ferant. Fert quoque Indorum terra piper, cinnamomum, & alia aromata, ſolaque producit Ebenum arborem, eſtque lignum nigrum, ſolidum, pulchrum, & aptum ocularibus medicinis. Hæc arbor cæſa durescit in lapidem. Piper verò creſcit in Caucaſo monte, maximè eo loco, vbi mons flectitur in Meridiem. Tradunt quidam ipſum eo modo creſcere, ſicut in terris noſtris Iuniperi creſcere ſolent. Foditur etiam in India Aurum & Argentum, ſed nullum ferrum. Scribit Plinius omnia maiora naſci in regione Indorum quàm in alijs terris, homines, animalia, & arbores. Zinciber creſcit in vrbe Calicuth; ſed plurimum quoque ex Canonor illuc adfertur. Cinnamomum mittit inſula Zailon, quę eſt 50. miliaribus Germanicis vltra Calecuth. Gariophilli colliguntur in loco qui Meluza appellatur, diſtante aliquot miliaribus à Calecuth. Nuces miryſticæ ſeu muſcatæ & Macis creſcunt

Eius fertilitas.

Piperis prouentus.

in Moluccha, loco qui à Calecuthio abeſt ſeſquicentum & amplius miliaribus. Margaritæ ſeu vniones maiores leguntur prope inſulam & ciuitatem Ormus ſitam in ſinu Perſico, tranſmittunturque ad Calecuthium ceu ad generale emporium totius Orientis. Muſcus & caſtoreum ex regione Pegu aduehuntur, quæ diſtat à Calecuthio centum & quinquaginta miliaribus. Spica Nardi & Myrobalani ex Cambaia in Calecuth portantur. Caſia creſcit in agro Calecuth. Thus & Myrrham ſuppeditat Arabia. Aloë & Camphora ex Kyuy ſeu Chiua loco quinquaginta miliaribus à Calecuthio diſtante, adferuntur. Piper longum ex Samator aduehitur. Cardamomum maius mittit Canonor. Præſilium verò ex Tarnaſſeri regione adportatur, ducentis ferè miliarib. à Calecuth. Habet inſuper & Zailon inſula montem vaſtiſſimæ longitudinis, ad cuius radices Pyropi, vulgò Rubini, inueniuntur: nec non & Hyacinthi, Saphyri, Topazij, & id genus lapides complures. Laccam etiam, Sandalium, Præſilium, Goſſipium, & Sericum Pego terra ſuppeditat. Animalia Indorum multa variaque ſunt, & pleraque magnitudinis inſolitæ, inter quæ Elephanti adeò ſunt frequentes, vt illis agri colantur, atque neceſſaria quæque ex rure domum vehantur. hi partim cicures ac domeſtici, partim indomiti feriqúe: at facilè cicurantur, & dociles manſuetique redduntur. habent hi ſibi hoſtem naturalem Draconem, vtraque beſtia congenito ſibi ac innato alterius loco laborante. Habet prĉterea India multos horrendos & longos ſerpentes & aſpides; alatos etiam ſcorpiones, verùm hominibus non tam infeſtos quàm ſemicubitales iſti ſerpentes, qui paſſim in tu-

Animalia Indica.

in tugurijs, in vaſis & ſepibus inueniuntur, lethale vulnus infligentes, quibus tamen ex lege pleriſq; in locis parcitur, & occidiſſe capitale eſt. Sũt & in locis nonnullis ſerpentes bicubitales alati, in modum veſpertilionum: qui noctu circumuolare ſolent, & vrinæ ſtillas effundere, quarum contactu infecti, ſcabioſi rabidiq; redduntur. Sunt & Ceraſte Criſtatique ſerpentes quadrupedes, bicipetes, tricipeteſq;. Odontes inſuper tricornes, furioſum beſtiarũ genus. Citat Strabo Megaſthenem de his ſic ſcribentem: Apud Dardas, quæ maxima natio eſt Indorum montanorum, collis eſt trium milliũ ſtadiorum ambitu, & ſub eo aurifodinę, quas formicæ cuſtodiunt, vulpibus non minores, mira celeritate victum venatione comparantes, terram auriferam fodiunt, vnaq; ad oſtium cumulãt, quam mercatores clam ſurripiunt, diſpoſitis pariter carnibus, ad morandas pabulo formicas, ſi fortè animaduerterint. Canes alit India tam feroces ac generoſos, vt duo leonem audeant inuadere, & tam mordicus retinere, vt illi nullo pacto ſeſe ab eis eripiendi facultas ſit. Simiarum quoque & Cercopithecorum greges innumeri, Emodiorum montium ſyluas habitant, quas in aciem inſtructas Alexandri Mag. exercitum olim eluſiſſe memoriæ proditum eſt. Fertur & Rhinoceros eius regionis immanis bellua, ac Elephãto genitus hoſtis. Eſt tãdem auium alitumq; omne genus, variumque, ac magna ex parte noſtris diſſimilia, nobiſque incognita. Fluuijs etiam ſua animalia ac monſtra non deſunt, quibuſdam perinde, vt Nilus etiam Crocodilos, Hippopotamos, & id genus alias feras alentia. inter quos Ganges ſimilium beluarum inſigniter fœcundus eſſe fertur.

Formicæ magnitudine vulpis, aurum ex terra eruentes

DE

DE CVLTV AC MORIBVS Indorum. Cap.8.

EST Indis omnibus permiſſa Cæſaries, cultus præcipuus cum gemmis, habitus diſcrepantiſſimus: alij laneis, alij lineis peplis veſtiuntur. pars nudi, pars obſcæna tantùm amiculati, plurimi etiam flexilibus libris arborum circumdati. Niger vulgò corporis color: in materno vtero tales fiunt, ſeminis diſpoſitione, quales ipſi ſunt qui genuêre. genitale ſemen, vt Aethiopibus, nigrum. ſtatura procera ac valida. in victu frugales ſunt, & à furtis magnoperè abſtinent. Literas non norunt, ſed omnia memoriter adminiſtrant, & propter ſimplicitatem ac vitæ parſimoniam omnia eis proſperè ſuccedunt. Vinum non niſi in ſacrificijs bibunt: potum ex oryza conficiunt & hordeo. Cibus magna ex parte oriza ſorbilis eſt. In cultu corporis nimij: nam & aurum geſtant, & lapillis ornantur, & ſyndonem candidiſſimam induunt, vmbellaſque ſecum portant: nam pulchritudinem excolentes omnia faciunt, quæ ad decorandam faciem attinent. Aetati ſenum prærogatiuam nullam tribuunt, niſi prudentia excellant.

Polygamia. Multas nuptas habent, quas à parentibus accipiunt, pari boum emptas, alias obedientiæ gratia, alias prolis aut voluptatis: & niſi caſtas eſſe cogant, fornicari licet. Qui falſus teſtis depræhenditur, extremis decurtatur digitorum articulis. Qui membro aliquo quempiam orbauerit; non modò talionis pœnam ſubit, ſed etiam manu truncatur. Quòd ſi quis artifici manum oculumve ademerit, capitale eſt. Regi interdiu dormire non licet. Si qua mulier Regem ebrium occiderit, munus habet

bet vt cum illius ſucceſſore iungatur. Gens hæc vniuerſa in ſeptem olim ordines diſtributa fuit, quorum primus philoſophorum erat, qui cæteris numero pauciores, honore & dignitate apud Reges longè antcibant. Secundus ordo eſt agricolarum, qui multitudine ſuperantes cæteros, à bello ac reliquo opere liberi, ſolis agris colendis tempus impertiunt. Tertium ordinem conficiunt omnis generis paſtores, neque in ciuitatibus, neque in villis morantes tentoria tantùm ſubeunt, venatui retibuſque dediti, vt tutam à feris regionem reddant. Quartus ordo eſt artificum, hi non ſolùm immunes à tributo ſunt, ſed frumentum inſuper à Regia percipiunt. Quintò ordine ſunt milites, ſed numero ſecundi. Sextus ordo eſt Ephororum ſeu Superintendentium, quęcunque obſeruata ad Regem deferentium. Septimo loco exiſtunt qui publicis conſilijs præſunt, numero pauciſſimi, nobilitate ac prudentia præ cæteris inſignes. Has in partes Indiæ politia diſtributa, haudquaquam licet vnius ordinis viro alterius ordinis vxorem ducere, neque exercitium mutare: non enim fas eſt militem agrum colere, aut philoſophari artificem. Sed quia Indorum gentes multæ ſunt, forma & lingua propter latiſſimum regionis tractum diuerſę, non iiſdem moribus omnes viuunt. Qui enim auroram ſpectant, alij rei pecuariæ dediti ſunt, alij in paluſtribus locis habitantes, crudis veſcuntur piſcibus, alij crudis carnibus. Et quoties illorum quiſpiam, cuiuſcunque ſexus, in morbum incidit, hunc familiares occidunt, ne morbo taбeſcentes carnes ipſas corrumpant. & licet ille ſe ægrotare neget, ipſi nihilominus necant eum, epulanturque. Sic qui incolumis ad ſenium peruenit,

Sacerdotes.
Agricolæ.
Paſtores.
Artifices.
Milites.
Ephori.
Conſules.
Anthropophagi.

nit, eo itidem mactato veſcuntur: ideoq; perpauci eorum extremam ſenectam attingunt. Eſt aliorum Indorum hæc diuerſa conſuetudo, vt nullam animantem interimant, nihil ſerant, nec domos parãdas exiſtiment, ſed ſolis herbis victitent: quorum quiſque cùm in morbum incidit, is in locum deſertum abit, ibique decumbit; eius vel decumbentis vel defuncti curam gerẽte nemine. horum congreſſus in propatulo eſt, ſicut pecudum. Alijs alij mores & inſtituta ſunt, à quibus recenſendis libelli anguſtia excludimur.

Herbiuori tantum.

DE POTENTISSIMO PERSIAE regno. Cap. 9.

FVit olim Perſidis regio potentiſſima, circũdata altis montibus. Ora maritima æſtuoſa eſt ac ventoſa, & fructuum inops, præterquam palmarum. mediterranea regio campeſtris eſt & omnium ferax, pecorumque optima nutrix, fluminibus & lacubus plena. maximè autem ſuppeditat Araxes plurimas commoditates, vt quidam etiam putent Perſiam excellere in fertilitate omnes totius Aſiæ priuatas regiones. Totius regni metropolis eſt Perſepolis, vbi olim Reges Perſiæ ſuam habuerunt manſionem, atque inde multo tempore bella geſſerunt contra Græciam. Alexander verò Magnus veniens in Perſiam & obſidens atque obtinens metropolim eius, inuenit maximum theſaurum in ea, quem multi Reges ſucceſſiuè congeſſerant; excuſſitque ciuitatem quæ tãtam in Oriente acquiſiuerat poteſtatem, vt terror fuerit multorum populorum, maximè verò Græciæ. Poſſederant Reges Perſici monarchiam poſt Medos ducentis & quinquaginta annis, ac

per

per Alexandrum Macedonem qui Darium vicit, ſubacti, habenas illi Imperij reliquerunt, Mores & ritus Perſarum fuerunt iſti: In flumine non lauabantur, nõ micturiebant, nec cadauer iniecerunt; non etiam ſpuerunt aut quid calefecerunt, ſed aquam religioſiſſimè coluerunt. Reges creabant ex vna familia, & qui Regi nõ parebat, capite & brachijs amputatis inſepultus abijciebatur. Vxores ducebant ſinguli multos, alebantque ſobolis propagandæ gratia, pellicesque plurimas. Reges præmia proponebant ijs qui in vno anno plures procreaſſent filios. Qui creati fuerant, ante quinquennium ad patris conſpectũ gentili inſtituto non producebantur, ſed apud fœminas degebant, ea præcipuè gratia, vt ſi inter educationẽ quis deceſſiſſet, nullam è damno patri afferret moleſtiam. Nuptiæ Verno æquinoctio celebrabantur. A quinto anno vſque ad trigeſimum quartum equitare diſcebãt, iaculari, ſagittare, & in primis vera loqui. Ad æſtum & frigus perferendum, torrentium tranſitu exercebantur. in armis & in madidis veſtibus perdurabant, paſcebantur, & ruſticabantur. Fructibus terebinthi, glandibus, piris agreſtibus veſcebantur. quotidianus cibus poſt curſum cæteraſque corporis agitationes panis duriſſimus, aqua potus. Venabantur miſſilibus telis; vtebantur & funda. Vulgus duplici muniebatur tunica, ad media vſque crura demiſſa, circum caput ſindonij veli volumen ingens. Lecti & poculorum ornatus ex auro & argento. De rebus maximis non ſine medio potu conſultabant: eam demum conſultationem firmiorem rati quàm quæ à ſobrijs ſit inita. Noti inter ſe & æquales oſculo ſe in occurſu excipiebant, Qui humiliori

Mores Perſarum.

Præpoſtera conſultandi ratio.

liori erant fortuna, venientem adorabant. Solo ſepeliebant corpora cæra oblinentes. Ridere coram Rege aut ſpuere, nefas ducebant ac flagitioſum. De mortuis ſepeliendis alij contrarium ſcribunt, nempe quòd Perſæ corpora defunctorum extra ciuitates ad locum certum campeſtrem deportabant, ibique nuda exponebant canibus & auibus Cæli deuoranda. nolebant inſuper vt oſſa mortuorum ſepelirentur aut includerentur. cúmque corpus aliquod non illicò abſumeretur ab auibus aut feris, iudicabant malum eſſe ſignum, ſuperſtitiosè credentes hominem illum malæ & impuræ fuiſſe mentis, atque ob id dignum inferno: & proximi eius deplangebant eum ceu hominem qui poſt vitam ſpem felicitatis nullam haberet. ſin citius deuoratus à beſtijs fuiſſet, beatum eum iudicabant. Tempore natiuitatis Chriſti Perſicum Imperium ſub Romanis fuit: ſed poſtea Perſæ deficientes ab eis, ſicut & aliæ multæ Orientis prouinciæ, potiti ſunt rerum aliquamdiu, donec anno Chriſti 632. Saraceni eis Imperium ademerunt, ſedem Imperij facientes Valdacham vrbem, quæ Babyloniorum vrbi ſucceſſit. Vocant hodie Perſarum Imperatorem Sophi; atque is conatur reparare in Oriente Imperium, egregijſque factis maiorum ſuorum reuocare gloriam.

DE ORMO VRBE ET VNIOnum prope eam collectione.

Cap. 10.

ORmus ciuitas Orientis inclyta, ſitu elegans, ac vnionum copia nulli vrbium ſecunda, ſita in inſula prope mare Perſicum, omnibus maritimis vrbibus præferenda, abeſt à

eſt à continenti ſpatio trium miliarium Germanicorum; vbi dulcium aquarum potus annonæque mira caritas; inuehunt que fermè omnia quæ ad victum cultoribus neceſſaria. Procul illinc, itinere dierum trium legũtur Conchæ quæ pariunt margaritas venuſtiores grandioreſque cæteris baccis; quarum captura fit hoc modo: Sunt ibi qui vecti cymbis in mare iactum faciant prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit ab gemina cymbę parte; vt vtrimque iactis in profundum lapidibus; conſtabiliri nauis, non aliter quàm ſi anchoris foret, poſſit. Firmata ſuo pondere cymba, alius cui id munus obtingit, in æquor iacit funem ſaxò dependente. In naui media alius mantica in pectus tergumque dependente, alligato pedibus lapide ſe vibrat in pelagus, ſubtuſque aquas vrinantium more natat; actuſque in profundum ad paſſus quindenos tantiſper mouetur donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt vniones ac margaritæ: collectas manticæ indicit, lapidemque protinus quo pedes grauabantur abijcit, & funi innixus in ſuperiora euadit. Ibi autem quandoque ad ter centum fermè nauigiorum genera comperiuntur, quæ vndecunque contendunt. Eius vrbis Sultanus Mahumetis initiatus eſt fide. Inueniuntur præterea in hac vrbe ad quadringentos negotiatores, qui ibi commorantur commerciorum cauſa, quæ illic plurimum vigent: illuc enim comportantur ſericum, vniones, margaritæ, & id genus baccę, aromatumque affatim. Viuunt plerunque oriza, quoniam ea regio triticum nòn mittit. Hinc duodecim dierum iter eſt ad ciuitatem Eri in Perſide ſitam, quæ omnium fermè rerum eſt ferax, viſiturq; tanta ſerici cōpia, vt vna die eme-

Negotiatores plurimi.

Eri.

re queas tantum ſerici, quod tribus camelorum millibus onerandis ſufficiat. Ibi nunquam ingraneſcit annona ob rerum vbertatem. Habitatores Mahumetem colunt. Eſt deinde alia ciuitas Schira nomine, quæ vnicum habet principem, eundemque Perſam, alij nemini parentem, addictumque fidei Mahumetanæ. Ibi omnifariam precioſi lapilli inueniuntur, & comprimis Eranon lapis, qui abigit lymphationes, pellitque formidines, Turchicam appellant; abundè enim aducuntur ex Balaſcham vrbe, vbi ingens eſt vbertas caſtorei, ibique colorum complura genera. Caſtoreum apud nos perrarò ſincerum inuenitur, ſed prius adulteratur à Perſis. nam id hominum genus his vaframentis adulterandarum rerum concedit nemini. ſiquidem veſica puri caſtorei tantam habet vim fragrantiæ, vt admota naribus, olfacientibus eliciat ſanguinem. Aſſeruatur autem vis huius odoris in Caſtoreo ad decem annos, ſi modo non adulteretur.

Schira.

Caſtoreum.

SVSIANA. Cap. 11.

SVſiana Perſiæ pars eſt ſecundum Strabonem, inter Perſiam & Babyloniam poſita, à Suſis clariſſima vrbe denominata. Perſæ & Cyrus ſuperatis Medis, in Suſis Imperij ſedem locauerunt. cumque regias apud Suſas maximè exornaſſent, nihilominus Perſepolim & Paſargadiam magnopere coluerunt. nam & gaza & theſauri & Perſarum monumenta ibi erant, vt in locis progenitorum munitioribus. Docet quoque ſcriptura ſacra, vt in libro Eſther, regem Aſſuerum in Suſis Imperij ſui ſedem habuiſſe. Inter Suſa ac Perſiam

ſiam montana quædam aſpera & prærupta interiacent, quæ anguſtias habent difficulter peruias, & homines prædatores. Eſt Suſiana opulenta, ſed habet torridum & æſtuoſum aërem, præſertim circa vrbem, adeò vt lacertę & ſerpentes per æſtatem, dum Sol eſt in Meridie vrbis vias tranſire nō poſſint. Lauacra etiam frigida Soli expoſita ſubitò calefieri, hordeum in Sole ſparſum ita conteri, vt milium in mortarijs. Quapropter ad duo cubita terram tectis imponunt, & domus ipſę propter onus ferendum anguſtæ fiunt & longæ. Cauſam tanti æſtus credunt montes quoſdam altiſſimos imminentes, qui omnem Borealem flatum excipiunt. elati enim & ſublimes à mōtibus ſpirantes, campos nō attingunt, ſed in Auſtraliora Suſianæ perferuntur. Ea igitur à ventis tranquilla eſt, tunc præcipuè cùm reliquam terram æſtu exuſtam etesiæ refrigerant. Frumento adeò abundat, vt & hordeum & triticum in planitie centuplum ferat, nonnunquam etiam ducentuplum. Cùm vites in ea non naſcerentur, Macedones ibi & in Babylone eas conſeuerunt. Sunt qui putant Suſa hodie appellari Baldacham; & alij accipiunt Baldacham pro Babylone, habitatque in ea Saracenorum princeps, quem illi Caliphum vocant. Parantur ibi ex auro & ſerico pulcherrimi panni, ijque ſub varia habitudine.

Aeſtus ingentes.

Anno Chriſti 1250. Allau magnus Tartarorum Rex obſedit hanc ciuitatem, & tam acriter oppugnauit, vt tādem eam caperet. Caliphus autem vrbis dominus turrim habebat plenam auro, argento, & lapidibus precioſis, alijſque iocalibus; ſed auaritiæ ſtimulis ſauciatus, noluit collectum theſaurum in milites ſpargere, illiſque

munera largiri, ideoque in hoc periculum venit. Nam Rex Alau obtenta ciuitate cepit Caliphum & in turrim illam coniecit, negatoque omni cibo & potu ait illi: ſi theſaurum hunc non tam auarè ſeruaſſes, teipſum & ciuitatem ſeruaſſes: nunc igitur fruere theſauro tuo, & ex eo comede ac bibe quem tantopere dilexiſti. In hunc itaque modum miſer ille theſauro ſuo incumbens fame perijt.

DE ASSYRIA, AC REgno Aſſyriorum. Cap. 12.

NOmen Aſſyriæ ab Aſſur formatur, etiamſi apud Hebræos inter Aſſur & Aſſyriam nomen viri & regionis nullum eſſe diſcrimen linguæ periti affirment. Verùm Chaldæi more ſuo ex Aſſur faciunt Atur. vnde & Hiſtorici faciunt regionem illam campum Aturiæ; & ſacra ſcriptura regionem Sinear, in quo loco filij Adam poſt diluuium ædificauerunt ciuitatem, & in ea voluerunt erigere turrim vſque ad cacumen Cœli. Notabis verò hîc duas haſce regiones ſæpè confundi, & vnam accipi pro altera, propter commune quod habuerunt dominium. Nam aliquando Aſſyrij, aliquando Babylonij habuerunt rerum adminiſtrationem. Aſſyrię itaque regio ab Aſſur filio Sem appellata, habet ab Occidente Tigrim flu. à Meridie Suſianam, & à Septentrione Caucaſum montem. Raró pluit ſua ſponte, vt in Aegypto, ſed accolarum ingenio & labore. tanta alioquin vbertas, vt ducentena communiter, & vbi eximiè ferax eſt, trecentena meſſe redundet tellus,

lus, & milij proceritas inſtar arborum attollatur. Palmis veſcuntur, ex quibus mel & vinum conficiunt. Alunt comas, mitraque redimiunt, vnguentis delibuti in publicum exeunt. Ex legibus quibus ea gens vſa dicitur, ea res memorabilis eſt, quòd virgines iam maturę viro, in publicum productæ ſingulis annis ijs venales proponebantur qui vxorem ducere vellent, dabanturque primũ venum formoſiſſimæ quæque. Quibus minus ſpectata erat forma, & quas non modò non quiſquam ſibi mercaturus fuiſſet, ſed ne gratus quidem alioqui ducturus, ea pecunia quæ fuerat pulchrioribus venditis in publicum redacta, connubio locabantur. Altera Babyloniorum lex quo vtilior eo magis memorabilis, cùm nullus ab initio in his eſſet medicorum vſus, lege ferunt comparatum, vt qui ægrotare cœpiſſet, eos de morbo conſulerent, qui idem languoris genus paſſi eſſent, medicumque ad id leuandum opem aliquam experti. Apud quoſdam legitur, in publicum ægrotos deferri ſolitos, legeque cautum vt qui aliquando ęgrotaſſent, malè affectos circumirent, docerentque ſingulos, qua ipſi ope potiſſimum adiuti aliquando à morbo liberati eſſent. Inter tręs magiſtratus fuerunt etiam Magi qui & Chaldęi dicebantur, tales ſcilicet quales in Aegypto ſacerdotes ad Deorum cultum inſtituti, per omnem vitam philoſophari, aſtrorum peritiam tenere, nunc augurijs, nunc carminibus ſacris mala hominis auertere, bono afficere, auguria, inſomnia, & prodigia interpretatione fida explanare. Nec foris inſtituebantur vt Græci, ſed à parentibus diſciplinam velut hæręditáriam ſortiti. Aſtrorum curſum vetuſta obſeruatione perſcrutati

Mercatus virginum.

ſunt, multa ex illorum inſpectione mortalibus futura vaticinati. Maximam vim Planetis tribuerunt, præſertim Saturno. Pari quoque cum Aegyptijs errore duodecim ſibi deos finxerunt, quorum ſingulis menſem & vnum in Zodiaco ſignũ tribuêre. Multa quidem regibus ventura vaticinabantur, vt Alexandro victoriam cum Dario dimicaturo, & alijs Alexandri ſucceſſoribus. Quod ad Regnum Aſſyriorum, hiſtorici, & maximè Euſebius, ſignant 35. aut 36. Reges qui à Nino Rege primo ſucceſſiuè per 240. annos regnauerunt in Aſſyria vſq; ad Sardanapalum vltimum Regem, quem reges Mediæ ac Perſiæ priuarunt Regno ſuo. Fuit iſte Sardanapalus omni muliere corruptior. Nam cùm Arbactus præfectus eius, Medis præpoſitus, ægrè ad ipſum admiſſus eſſet, inuenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & mulicbri habitu penſa inter virgines partientem. quibus viſis indignatus progreſſuſque ad ſocios ſuos quid viderit, refert; negatque ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam eſſe malit quàm virũ. Fit igitur coniuratio, bellumque ei infertur. Quod ille audiens, non vt vir regnum defenſurus, ſed vt metu mortis mulieres ſolent, primò latebras circunſpicit, mox deinde cum paucis & incompoſitis in bellum progreditur. victus in Regiam ſe recipit, & extructa pyra ſe & diuitias in incendium mittit. Cui Arbactus ſucceſſit, & Regnum ad Medos tranſtulit. Oſtendit quartus Regum liber cap. 20. tempore Ezechiæ Regis Iudæorum hæc duo Regna Babyloniæ & Aſſyriæ diſcreta fuiſſe. Nam Rex Aſſyriæ Sennacherib obſidione cingens Ieroſolymam, magnaque ab Angelo Domini accepta clade, ciuitatem expugnare nequiuit. Tunc Ezechia

Regnum Aſſyriorum.

Sardanapali interitu.

zechia

zechia ad mortem vſque infirmato, & rurſum à morbo liberato, Rex Babyloniorum miſit ad eum nuncios & munera, congratulaturus ei tam mirabiliter à Deo curato. Quomodo hæc dua regna deinde coaluerint in vnum, Scriptura non exprimit. Euſebius vero ſcribit Reges Mediæ anno ante Chriſtum natum 818. expugnaſſe Regnum Aſſyriæ, Sardanapalum viciſſe, & Regnum ſibi ſubieciſſe: is potiſſimum fuit Cyrus, qui & Cambyſen filium in vita ſua Regno præfecit. Primus Aſſyriorum Rex nominatus fuit Arbaces: tertius aut quartus poſt ipſum putatur Sennacherib fuiſſe, qui decem tribus Iſrael ex regno Samariæ captiuos abduxit. Et cùm Regnum Iudæ quoque in nihilum redigere vellet, cladem magnam pertulit, cuius iam meminimus. Suo tempore cœperunt Reges Babyloniæ & Chaldææ creſcere in potentia, & circumiacentia Regna ſibi ſubijcere, ſicut Daniel propheta cap. 2. oſtendit, quando dixit ad Nabuchodonoſor: Tu es Rex Regum, cui Deus Cœlorum dedit Regnum firmum, potens, & glorioſum, &c. Hoc regnũ fuit poſtea per Cyrum & Darium Reges occupatum, vt idem Daniel oſtendit. In regionē Aſſyriç non procul à ciuitate Arbela fuit Rex Darius ſecundo victus ab Alexa. Magn. priuatuſque omni monarchia ſua; & in ſecunda hac pugna proſtrati ſunt ex Perſis quadraginta millia virorum; ex Macedonibus verò circiter trecenti viri. Habuit Rex Darius in ſuo exercitu infinitam penè equitum & peditum multitudinem. ſunt qui numerant decies centena millia virorum. habebat ſecum equites ex Bactriana, Maſſagetia, Sogdiana, Babylonia, Perſia, Media, Parthia, Armenia. parauerat quoque ducentos

currus falcatos;ſed nihil profuit ei tantus apparatus: deiectus fuit à monarchia, factiq́ue ſunt Macedones omnium regnorum eius domini. Hæc ſerat monarchia apud Medos annis 230. Alij verò qui iſtud deſcribunt bellum, aiunt Darium habuiſſe 45. millia equitum, & ducenta millia peditum. Et cùm Darius vbique aduerſam ſentiret fortunam, fugit in Arbelam ciuitatem, in qua theſaurum ſuum habuit, ſed non erat ipſi in ea ſalus: ſuperuenit enim Alexander Magnus & cepit ciuitatem, & diripuit omnia quæ in ea erant. Elapſus autem Rex Darius peruenit in Bactriam, vbi percuſſus interijt.

MEDIAE REGNVM.
Cap. 13.

Media multum extenditur ab Occaſu in Orientem, latitudo autem eius multò contractior eſt longitudine. Eſt magna ex parte alta & frigida, cuiuſmodi ſunt montes Ecbatanis imminentes, & qui apud Rhagas & Caſpias portus conſurgunt. huiuſmodi etiam ſunt Caucaſi montes à Tauro emiſſi, qui plurimas faciunt valles, inter quas & multæ planities inueniuntur. In Ecbatanis Reges Medorum tempore æſtiuo habitare conſueuerunt; tempore verò hyemali curiam ſuam tenuerunt in Seleucia iuxta Tigrim fluuium. Et cùm Mediæ regio ſummè opulenta ſit, Septentrionalis montana tenuis eſt, quarum arborum fructibus nutriuntur. Ex malis ſiccis ac tritis maſſas conficiunt, ex amygdalis toſtis panes, è radicib. quibuſdã vinũ exprimũt. ferinis carnib. vtũtur, mitia pecora nõ alunt. Ab initio ciuitates ſingulę in Media vſq; fuerũt populari

Im-

Imperio, abſque regibus viuentes. Tandem poſt multos annos crearunt Ducem Ciaxarem nomine, cuius poſteri ſuſceptum Imperium propagarunt, ita vt deleto Aſſyriorum regno, Medi Aſiæ Imperio potiti fuerint, Arbace regnante, qui cùm Sardanapalum bello ſuperaſſet, regnaſſetque octo & viginti annis, Imperium ſucceſſiuè ſuſceperunt Mundanes, Soſarmon, Carmis, Arbianes, Arſteus, Arceus, Artines, Artibanus. Sub hoc Parthi defecerunt à Medis. Item Aſtibara, Apanda, qui à Græcis Aſtyages nominatur: & hic à Cyro Rege Perſarum deuictus, Medorum regnum Perſis reliquit. Sunt qui de Medorum Regibus in hũc modum ſcribant: Paruère Medi Aſſyriorum regibus vſque ad Sardanapolum: ſed Arbaces Medis præpoſitus, ignauum Regem aſpernatus, Medis ad defectionem perſuaſis, victo Sardanapalo, Imperium ad Medos tranſtulit, quod ſub Aſtyage in magno culmine fuit cùm iam per 350. annos durasset. Cyrus ex filia nepos Aſtyagis Medorum extinxit Imperium, & ad Perſas detulit victo Aſtyage, quem regno Mediæ priuatum, maximæ genti Hircanorum præpoſuit, non tam victorem, quàm nepotem agens. Poſt Perſas Medi Macedonibus paruère, deinde Parthis, quamuis pars eorũ Romanam amicitiam ſecuta ſit, & aliquando victricia Romanorum ſigna Mediam pertranſiuerint. Tamerlanes his imperaſſe dicitur, & hodie ſub magno Cham degere creduntur. Quantum ad mores attinet, ſunt Medi magna ex parte Armenis ſimiles, omnes in Venere profuſi. regibus multas habere vxores mos fuit, nec pauciores quã ſeptem. Mulieres quoque pulchrum ſibi exiſtimarunt, vt viris nuberent compluribus, paucioribus

Medi obtinent Imperium Aſiæ.

Mores Medorum.

quàm quinque calamitoſum putauêre. Equitandi & ſagittandi magnum illis ſtudium: à quibus & ſtola reperta eſt, & cultus & ornatus, & religioſa à ſubditis in Reges ſalutatio; tiara etiam, citharis, pileus, & manicatæ tunicæ, quibus poſtea Perſæ vſi ſunt, qui ſubactis Medis in eorum mores tranſiuêre. Noſtro tempore Media eſt inacceſſa, ideò penè incognita.

PARTHIA. Cap. 14.

PArthia regio eſt nemoroſa, montana, & inops frugum. Gens ipſa Aſſyrijs Mediſque imperantibus obſcuriſſima, regnoque à Medis ad Perſas translato, velut vulgus ſine nomine, victoribus prædæ fuit: poſtremò Macedonibus ſeruiuit. Deinde verò temporis progreſſu ea fuit ipſius gentis victus, hi rerum ſucceſſus, vt non tantum finitimis imperaret, ſed à Romanis omnium gentium victoribus bello petita, eoſ magnis cladibus victos affecerit. Adminiſtratio gentis poſt defectionem Macedonici Imperij ſub Regibus fuit, qui Arſaces ab Arſace primo Rege dicebantur omnes. Sermo his inter Scythicum Medumque medius, ex vtriſque mixtus. Exercitium non vt aliæ gentes liberorum, ſed maiori ex parte ſeruorum habent. Quorum vulgus nulli manumittendi poteſtate permiſſa, ac per hoc omnibus ſeruis naſcentibus in dies creſcit. hos pari cura ac liberos ſuos habent, & equitare ac ſagittare magna induſtria docent. Vt quiſquis locuples eſt, ita magnum Regi ad bellum ituro equitatum inſtruit. Auri argentique nullus olim niſi in armis vſus fuit.

Vxo-

Vxores libidinis cauſa variæ ſinguli plures ducunt, nec vllum grauius flagitium quàm adulterium vindicant. Ob id mulieribus non conuitia ſolùm virorum, ſed conſpectum etiam eorum interdicunt. Carne non alia veſcuntur quàm venatu quæſita. Equis omni tempore feruntur: his bella petunt, his conuiuia adeunt, mercantur, colloquuntur, omniaque publica & priuata obeunt munera, equo ſedentes. Sepultura vulgo aut auiū aut canum laniatus eſt. nuda demum oſſa terra obruunt. Deorum cura veneratioque præcipua. Ingenia genti timida, ſeditioſa, fraudulenta, & procacia. ſemper aut in externos aut in domeſticos motus inquieti, natura taciti, ad faciendum quàm ad dicendum promptiores. In libidinem proiecti, in cibum parci, fides dictis promiſſiſque nulla, niſi quatenus expedit. Cingitur regio ipſa altiſſimis montibus, niue ferè ſemper candentibus. in planitie verò terræ magni ſunt calores. Habitatores non colunt terram, nec agunt mercimonia cum externis regionibus, neque curant rē pecuariam, ſed ſtudent curſui, equitatui, bellis, iaculationibus, potiſſimum autem dant operam ſagittandis venationibus, vnde viuunt. Regni ipſorum caput Hecatompylos Plinio. Scribit Lucius Florus in tertio libro de Bello Parthico, quod Romani eo tempore quo Iulius Cæſar oppugnauit Gallos, miſerunt validum exercitum in Orientem contra Parthos, quibus præerat Marcus Craſſus Conſul, vir inſolitæ auaritiæ & inexplebilis auri cupiditatis. Infeliciter autem contra Parthos pugnans, amiſſis vndecim legionibus, dum ipſe fugam peteret, occiſus eſt.

Mores Parthorum.

Parthia montoſa.

Craßi Conſulis clades.

Caput autem eius cum dextra manu reſectum, ad Regem Parthorum perlatum eſt, atque ita ludibrio habitum, vt faucibus eius aurum liquefactũ infunderetur, ſcilicet vt qui ardens cupiditate prędandi pacem Regis rogatus abnuerat, etiam mortuo eius reliquias auri flamma combureret: vel vt Florus habet, cuius animus arſerat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exangue corpus auro vreretur. alij addunt, Parthos cùm aurum infunderent dixiſſe: bibe nunc aurum qui ſemper aurũ ſitiſti, nec vnquam ſaturari eo potuiſti. Id quod didiciſſe videntur à Tomiride Maſſagetharum in Scythia regina, quæ potentiſſimo Perſarum Regi Cyro bello congreſſa, ipſum & vita & caſtris ſpoliauit ad vlciſcendam filij mortem, quem ille pri⁹ à matre obuiam miſſum cum ſuis per inſidias interfecerat. nec tamen hoc euentu victoriæ contenta aut emollita animi rabies, quin & mortui caput in vtrem humano cruore plenum demiſit, his verbis inſultans: Filij mei ſanguinem hauſiſti, & meum ſitiſti Cyre, at ego te cruore ſaturabo, Bibe nunc & exſatia te.

Cyrus à Tomiride victus.

DE IMPERIO CATHAY. Cap. 15.

SVperior India, quæ nunc Cathay appellatur, eſt ampliſſima potentiſſimaque regio, cui præſidet magnus Imperator Cham, quem alij Can vocant, habetque ſub ſe plurimas prouincias, populos, & regulos, atque infinitas inſulas in Oceano Orientali. habet in Imperio ſuo nominatiſſimas ciuitates, cuiuſmodi ſunt Cambalu, Quenquinafu, Mien, Cacauſu, Canglu, Tadinfu,

dinſu, Tingui, &c. Apud hos Cathæos multæ vxores in vnius viri coeunt matrimonium. Et is vbi vita diſceſſerit, apud grauiſſimos iudices ſuã quęque de meritis agunt cauſam; & quæ officioſior præ cæteris viro chariorque fuiſſe iudicantium ſententia comprobatur; illa in habitu ornatuque quò cultius ſe exornare poteſt victrix & lætabunda rogum aſcendit, ac iuxta mariti cadauer accubat, amplexans illud & deoſculans ſuppoſitis ignibus cum coniuge defuncto concrematur: cæteræ cùm nota & dedecore viuunt. Connubia non opibus & nobilitate, ſed formæ præſtantia conciliant inter ſe, liberorum magis quàm voluptatis cauſa. Eſt & alia conſuetudo apud quoſdam Indos, vt qui filias præ inopia locare non poſſuut, in ipſo ætatis flore cum tuba & claſſicis, quibus bellica ſignificari ſolent, in forum producunt. Tũ multitudine conuocata, puella coram aſtantibus primùm poſteriora humero tenus detegit, poſtea anteriora, quæ cùm placita fuerit & approbata, quibuſcunque videtur, illa nubit. Cathaini Scythicum genus hominum eſt, ſuntque ſecundum Haitonũ ſagaciſſimi, aſſerentes ſe ſolos hominũ duobus luminib⁹ cernere; cæteros mortales aut cęcos eſſe aut altero oculo captos: magnum ingenij acumẽ, ſed iactãtia maior. Perſuaſum eſt vniuerſæ gẽti ſe cęteris mortalibus artium ſubtilitate ac ſcientia longè antecellere. Candidum genus hominũ, paruis oculis, natura imberbes, veræ pietatis expertes. Solem enim quidam adorant, alij Lunam, quidam fuſiles ſtatuas, nonnulli bouem, variaque per hæc monſtra ſparſa eſt gentis ſuperſtitio. Non ſcriptas leges, non fidem norunt vllam: & quum in opificijs mirum ſit gentis acumen, nulla tamen

Mores coniugum.

Cathai abundant ſuo ſenſu.

his rerum diuinarum notita. Timidum genus hominum, mortemque formidans: bella etiam ingeniosè magis quàm fortiter gerunt. Sagittis in pugna vtuntur, telorumque generibus quibuſdam, hominibus aliarum gentium minimè notis. Papyracea moneta in vſu, quadrata forma, & in ea Regis imagine expreſſa. Supellex ex auro & argento & argento; cæteriſque Metallis. Olei magna penuria. Imperator Cathainorum curiam ſuã habet in potentiſſima vrbe & metropoli totius Imperij Cambatu, quæ tantæ magnitudinis eſt, vt complectatur per circuitum ſex miliaria Germanica. Eſt autem quadrilatera, habetque muri quadratura quælibet tres portas principales. In angulis quoque murorum ſunt egregia palatia, in quibus ciuitatis conſeruantur arma. Tranſeunt per hanc ciuitatem vici & plateæ rectiſſimæ, vt ab vna porta liber aſpectus pateat per ciuitatem ad portam oppoſitam; domibus elegantiſſimis palatiorum inſtar vtrinque conſtructis. Extra ciuitatem duodecim magna ſunt ſuburbia, ſingulis duodecim portis contigua, in quibus iugiter mercatores inueniuntur, & aduenæ homines. Dici non poteſt quanta vis mercimoniorum & opum in hanc vrbem conuehatur: putares toti Orbi illã ſufficere poſſe. Aduehuntur autem lapides precioſi, vniones, ſericum, & diuerſarum ſpecierum aromata ex India & Mangi, aliiſque regionibus: nec tranſit dies per annum, in qua non circiter mille quadrigæ ſerico oneratæ huc ab exteris negotiatoribus conuehantur. Quanta pompa, quantusque apparatus omnium rerum conſeruetur in Imperatoris aula dici nequit. Habet in curia ſua duodecim equitum millia, qui corpus ſuum custodiunt.

Cambalu regia.

diunt. Cuſtodias autem ſuas tali diſtribuunt ordine, vt cùm per triduum dux vnus cum tribus millibus militum intra palatium Regem ſtipauerit, tribus ſequentibus diebus dux alius cum alijs trib⁹ militum millibus obit hoc cuſtodiæ munus, cui iterum dux alius cū militibus ſuis ſuccedit. In conuiuijs Imperatoris ineffabilis obſeruatur pompa. Habet ad ſiniſtram Reginam maiorem & principalem: ad dexteram filios, & qui de Regali ſunt proſapia, in demiſſiori tamen loco. Reliqui verò barones & milites ſedent adhuc in demiſſiori loco. Nemo in hac aula diſcumbens alio quam aureo vtitur poculo. Principes qui Regi diſcumbenti miniſtrant, omnes delicatiſſimo ſerico panno ora ſua cooperiunt, ne ipſorum halitus quoquo modo regium cibum aut potum contingat. Et cū Imperator Scyphum ad bibendum leuat, omnes circumſtantes citharædi & muſicorum inſtrumētorum luſores chordas tangunt, & ſuauiſſimam edunt melodiam, cæterique aulæ miniſtri interim genu flectunt. Quantus honor exhibeatur huic Imperatori, & quàm multa & pretioſa munera ei offerantur à regulis ſuis, principibus, præfectis prouinciarum, & ciuitatum rectoribus nemo ſatis explicare poterit. quā penè infinita ſub ſe habeat regna, prouincias, nationes, & dominia, quæ circum Carthay iacent, ipſumque Regem agnoſcūt, atque ceu deum & magnum Mahumetē venerantur & adorant, credi vix poteſt. Quantū faſtum & magnificentiam oſtētet, ſpectaculumq; exhibeat dum ad venationē & aucupium egreditur, quotq; in cāpo erigat tentoria quæ procul viſa vrbis imaginē referunt, qui ſcire cupit legat Paulum Venet. in 2. lib. ſuæ in Indiā migratiōis, & mira inueniet.

Regis magnificentia.

Conſi-

Conficiunt in Cathay potum optimum ex oryza & varijs aromatibus, qui ſuo ſapore etiam vini excellit ſuauitatem. In quibuſdam locis magna lignorum penuria eſt, quorum loco ex montibus eruuntur lapides quidam nigri, qui in ignem miſſi ceu carbones ardent, ignemque conſeruant; vt ſi veſperi accendantur, per totam noctem viuum ignem retineant.

DE PROVINCIIS QVIBVSdam magno Cham ſubiectis. Cap. 16.

TRanſit fluuius quidam magnus, Puſiſachnitz nomine, regnum Cathay, qui ſeſe exonerat in Oceanum, & per quem naues multæ cum plurimis mercibus aſcendunt. Eſt autem in eo loco pons marmoreus pulcherrimus, trecentos in longitudine habens paſſus, & in latitudine octo; arcubus verò ſeu fornicibus viginti quatuor innitens, ſculptis leonibus vtrumque eius ſuperiorem marginem adornantibus. Hinc non magna eſt diſtantia ad regnum Tainfu, magnum & pene cultum, in quo ſunt vineæ multæ. In regno autem Cathay nullum creſcit vinum, ſed ex hac regione illuc defertur. Exercentur in hoc regno mercationes multæ; abundatque artificibus, & omnia arma quibus vtitur magnus Cham pro exercitibus ſuis, fabricantur in eo. Verſus regionē Mangi peruenitur ad flumen Caromoram, quod ob nimiam latitudinem & profunditatem pontem habet nullum. Abundat ea regio Zinzibere, ſerico, & auibus, præſertim phaſianis. Vltra verò procedendo peruenitur ad ciuitatem grandem

Quenquinaſu, metropolim regni eiuſdem nominis. In iſtis regionibus inueniuntur animãtia quæ muſchum producunt. Eſt autem animal illud in hac terra paruum & pulchrum, magnitudine mediocris felis, pilum agreſtiorem habens veluti ceruus, vngulas obtuſas in pedibus, duos oblongos dentes in ſuperiori rictu, ac duos in inferiori; atq; iuxta vmbilicum veſicam habet ſanguine plenam qui immenſam redolet fragrantiam, eſtque verũ muſchum. *muſci prouentꝰ.*

DE PROVINCIA MANGI. Cap, 17.

HAbet prouincia Mangi multas inſignes ciuitates, in quibus exercentur magna & varia negotia, præſertim in ciuitate Coni ngui magna ſalis copia diſtrahitur. In Panchi uitate multi fiunt panni ex auro & ſerico. & in ngui eſt emporium celebratiſſimum, magnaq; s mercium per fluuium adducitur. Iuxta Caigui iitatem creſcit tanta vis bladi & oryzæ, vt inde Curiam magni Cham deuehatur, numerantur ciuitate Singui pontes lapidei circiter ſexies lle, qui tam altos habent fornices, vt magnæ ues tranſire poſſint ſine mali inclinatione. Cias alia Quinſay nomine, tam magna eſt & innis, vt maior in Orbe non eſſe putetur: nã conet circuitus eius circiter centum miliaria Italiquæ faciunt 25. Germanica. Pontium verò laleorum habet duodecim millia, eoſque tam al- ; vt naues magnæ erecto malo pertanſire poſt. Fundus autem ciuitatis eſt in loco paludino- *Quinſay.*

ſo ferè vt Venetiæ: quare ſi careret pontibus, de vico ad vicum perueniri non poſſet. habet artifices innumeros, atque plurimos mercatores. Ciues in magnis viuunt delicijs, præſertim mulieres, vnde & cæteris formoſiores ſunt. Verſus Meridiem eſt lacus magnus intra mœnia vrbis, qui circiter octo miliaria Germanica in circuitu ſuo cõtinet, habens in littore plurimas domos nobilium, foris & intus ornatas. In medio huius lacus duæ paruæ ſunt inſulæ, in quarum qualibet elegans eſt palatium, in quibus continentur præparamenta & vaſa quæque neceſſaria pro nuptijs & ſolennibus conuiuijs. nam quicunque ciuium inſignia celebrare volunt conuiuia, illuc inuitatos ducunt, & cum honore ſuſcipiunt. Sunt per vicos ciuitatis plurimæ turres publicæ, in quas tempore conflagrationis vicini quique res ſuas portant atque ab incendio ſaluant. Ciues adorant idola, & comedunt carnes equorum, canum, & aliorum animalium immundorum. Collocat magnus Chã in hanc vrbem maximam cuſtodiam quò rebellio caueatur, & furta ac homicidia arceantur. in quolibet enim ponte interdiu & noctu decem habentur cuſtodes. Prouincia Mangi cùm ſit latiſſima, diuiſit eam magnus Cham in nouem regna cuilibet proprium aſſignando Regem. & hi Reges omnes ſunt potentes, ſed magno Cham ſubiecti. Vnus eorum moratur in vrbe Quinſay. Aliud regnum appellatur Fugui, in quo comeduntur humanæ carnes cum magna voluptate; dummodo homines illi non morbo occubuerint. Quos in bello perimunt, eorum bibunt ſanguinem, & comedũt carnes. Inueniuntur in hac regione Ga-

Nouem regna terræ Mãgi.

lina

linæ, quæ loco pennarum pilos habent vt Catti, nigri ſcilicet coloris, oua parientes optima.

DE REGIONE TANGVT. Cap. 18.

A Perſia duo ſunt itinera ad regionem Cathay: aut enim Meridianum latus eſt obſeruandum, petendaque India, aut proficiſcendum per prouincias Carcham, Cotam, Peim verſus Aquilonem ad ciuitatem Lop, tota regione illa celeberrimam maximamquè, ſitam inter Orientem & aquilonem ad introitum deſerti magni. In hac ciuitate faciunt ſibi mercatores, qui deſertum tranſire cupiunt, parari cuncta neceſſaria. Quieſcunt etiam in ea aliquantiſper prouidentes ſibi de fortibus aſinis & camelis, quos victualibus onerant. Et quando in deſerto victualia deficere incipiunt, interficiunt aſinos, vel in deſerto relinquunt, quòd non poſſint illis amplius de pabulo prouidere, quouſque deſertum ſuperauerint. Camelos libentius ſeruant, quòd pauco ſuſtententur cibo, & grauia ferant onera. Offert deſertum illud magnum viatoribus aliquando aquas amaras, ſed frequentius aquas dulces, vt ferè ſingulis diebus per illos triginta dies aquam recentem inueniant, ſed quæ interdum adeò modica eſt, vt non omnibus mercatoribus ſimul euntibus ſufficiat.

Lop inſignis ciuitas.

Eſt deſertum illud admodum montuoſum: & vbi ad planitiem peruenitur, illic per ſabulum eundum eſt. in vniuerſum autem ſterile eſt & ſquallidum, nullamque propter pabuli penuriam

animalibus præſtat habitaculum. Cernuntur & audiuntur in eo interdiu, ſæpius tamen noctu, dæmonum variæ illuſiones, vnde viatoribus ſummè cauendum eſt, ne multum ab inuicem ſeipſos diſſocient, aut aliquis à tergo ſeſe diutius impediat; alioquin quàm primùm propter montes & colles quiſpiam comitum ſuorum aſpectum deſeruerit, non facilè ad eos perueniet. Nam audiuntur ibi voces dæmonũ, qui ſolitariè incedentes proprijs compellant nominibus, voces eorum fingentes. quos comitari ſe peregrinantes putant, & a recto itinere abductos in pernitiem deducunt. Audiuntur interdum in aëre concentus muſicorum inſtrumentorum, ſed frequentius ſonitus tympanorum. Superato deſerto peruenitur ad ciuitatẽ Sachion, quæ ſita eſt in ingreſſu prouinciæ magnæ Tangut, vbi inter Mahumeti cultores pauci inueniuntur Chriſtiani Neſtoriani. Sunt quoque ibi plurimi idololatræ, qui ſua habent monaſteria diuerſis idolis ſacrata, quibus & multa offerunt ſacrificia, & dæmonibus magnos impendunt honores. Et quando homini filius naſcitur, ſtatim commendat eum Idolo alicui, atque in honorem eius anno illo nutrit arietem, quem anno à natiuitate filij reuoluto, proximo illius idoli feſto vna cum filio offert cum multis ceremonijs. Officio finito, immolatas carnes ad locum aliquem deferunt; & & conſanguinei eius omnes pariter congregati, carnes illas cum magna religione comedunt; oſſicula verò decenter in vaſculo quodam conſeruãt. Cæterum in mortuorum parentatione his vtuntur ceremonijs: Curant proximi quique vt corpora examinata comburantur, ſicut reliqui populi Orientis faciunt. alij tamen mortuum corpus aliquot

Illuſiones dæmonum.

Priuatæ deuotionis indicium.

quot diebus reſeruant, aliquando ſeptem diebus, quandoque per menſem, nonnunquam per ſex menſes, domi capſam illi parantes & latera ſic cōpaginantes, vt nullus fœtor ex ea exhalare poſſit. corpus etiam ipſum aromatibus condiunt, & capſam pulchrè depictam panno pretioſo operiunt, & ſingulis diebus quibus cadauer domi tenetur, hora prandij menſa iuxta capſam præparatur, vino & cibis per integræ horæ ſpacium deſuper poſitis, putantes animam defuncti de appoſitis manducare. Eſt terra Tangut ampliſſima regio, complectiturque multas priuatas prouincias, puta prouinciam Camul, prouinciam Camul, prouinciam Chiechital & Suchur, habetque multas inſignes ciuitates, quæ omnes parent magno Cham. Quidam incolarum Mahumetani ſunt, quidam idololatræ, quidam verò Chriſtum agnoſcunt ritu Neſtoriano. In terra Chiecital eſt mons, vnde eruitur minera chalybis & audamici. Inueniuntur quoq; ibi ſerpentes, Salamadræ dicti, qui in igne ſine læſione viuere poſſunt. vſus eorum adhibetur pannis quibuſdam qui ignem ſine ſui corruptione aut læſione ferre poſſunt. quin & quando maculam contrahunt aliquam, proijciuntur per horam in ignem, & extrahuntur mundi, haud ſecus quam ſi optimè loti eſſent. Alia multa & innumera mirabilia ſcribit ſe vidiſſe & exploratum habere Paulus Venetus.

Salamādra.

SCYTHIA ASIATICA EXtra Imaum montem.

Cap. 19.

SCythia regio Septentrionalis, à primordio parua patria; poſtmodum verò habitatores paulatim per virtutem & vires aucti, cùm regiones multas ſibi ſubdidiſſent in magnum Imperium gloriamque peruenêre. Ea primùm natio iuxta Araxim flumen parua numero, propter ignobilitatem contempta reſedit, nacti Regem quendam bellicoſum & militari virtute præſtantem, agros ampliarunt, montanos quidem vſque ad Caucaſum; campeſtres verò vſque ad Oceanum & Mæotida paludem, aliaque loco ad Tanaim vſque flumen, à quo Scythia ipſa longo tractu verſus Ortum protenſa Imao monte per medium velut in duas diuiditur Scythias. Ab alieno imperio aut intacti aut inuicti Scythæ ſemper manſerunt. Darium Perſarum Regem turpi à Scythia ſubmouerunt fuga: Cyrum cum omni exercitu ſuo trucidarunt; Alexandri Magni ducem cum copiis vniuerſis deleuerunt; Romanorum audiuere non ſenſere arma. Romani Imperatores ſi quas geſſerunt in Dacos & Boſphoranos expeditiones, vt eas ſæpiſſimè calamitoſas, interiorem tamen Scythiam non attigerunt, quæ tam in Aſia quàm in Europa ita amplè lateque diffunduntur, vt alterum terrarum Orbem dixeris, neque ſoli vbertate, neque pecorum fœcunditate, neque auri, argenti, & capillorum copia contemnendum. Eſt

Scythia libera ab omni Imperio.

autem

autem hæc gens & laboribus & bellis aſpera, habetque vires corporum immenſas. Ipſa inter ſe olim diſcreta non erat, vtpote quæ neque agrum coleret, neque ſedes haberet vllas, per ſolitudines & inculta vagabatur loco, armenta pecoraque præ ſe agens. Coniuges & liberi plauſtris vehebantur legibus nullis obnoxia iuſtitiam gens ſponte colebat.

Nullum furto grauius in tota gente flagitium fuit, vt quæ non parietibus aut ſeptis armenta circumdat, ſed in propatulo habet. Lac & mel in cibatu frequens, contra frigora & rigores ferinis pellibus muriniſque corpora communiebat. Laneum vſus ac veſtium ignotus genti. Gaudent Schytarum plures humana cæde. Quem primum virum in bello vir Scytha ceperit, eius ſanguinem potat: quoſcunque in prelio interemerit, eorum capita Regi offert. nam capite ablato fit prædæ particeps, alioquin expers. Multi ſunt qui coria humana tanquam brutorum conſuunt, quibus pro amiculis induuntur. Cæſorum hoſtium manus dextras cum vngu bus excoriant quidam, atque cum his pharetrarum opercula obducunt. Capita exciſa exterius crudo bouis corio ſuperducunt, interius inaurant, etiam qui ditiores ſunt, & pro poculis vtuntur, hoſpitibus qui ad eos veniunt viri alicuius exiſtimationis exhibent, referuntque illos à ſe eſſe ſuperatos, id ſtrenuitatis loco ponentes. Semel quotannis ſinguli regionum principes vinum crateri miſcent, de quo Scythæ omnes hoſtium homicidæ bibunt: nemo guſtat qui nihil præclari operis ediderit, ſed ſine honore ſeorſum ſedet, quæ res apud eos eſt maximæ ignominię. qui verò complures cędes fece-

Crudelitas Scytharum.

runt, hi duobus pariter quos habent calicibus potant.

Dij Scytharum. Deos hos ſolùm colunt, Veſtam, Iouem, Apollinem, Venerem, Martem, & Herculem. Vni autem Marti ex captiuis centeſimum quenquam immolant; cęteris tum alia pecora, tum pręcipuè equos. Sues pro nihilo putant, quos nec alere in ſua regione volunt. Rex in quos morte animaduertit, eorum nec liberos quidem relinquit, ſed vniuerſos mares interficit, fœminis nihil læſis. Fœdera cum quibuſcunque ineunt Scythæ hoc modo: Infuſo in grandem calicem fictilem vino, commiſcent eorum ſanguinem qui fœdus feriunt, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde in calicem tingunt gladium, acinacem, ſagittas, ſecurim, iaculum. hæc vbi fecerũt ſeſe multis verbis deuouent, poſtea vinum expotant.

Regum ſepulchra apud Gerros ſunt, vbi Boryſthenes iam nauigabilis eſt. Ibi cùm Rex eorum deceſſit, ingentem ſcrobem effodiunt forma quadrata; dehinc mortuum accipiunt corpore incerato, aluo euulſa & expurgata; quàm cùm expleuerint ſpeciebus quibuſdam, reſuunt inde, impoſitumque plauſtro cadauer ad aliam gentem deferunt, tandemque cùm ſingulas luſtrauerint gentes quibus imperitauit, deponunt cadauer ſuper thorum, haſtiſque hinc & illinc defixis, deſuper ligna diſponunt atque pallio contegunt. Deinde vbi pellicum vna omnium chariſſima, miniſter vnus, coquus, agaſo, pincerna, & equus ſtrangulati ſunt, cum aureis phialis aliarumque rerum primitijs conſepeliunt. Circumacto anno hoc iterum agunt, atque è famulis Regis intimos ſumunt. *Crudelis regalium funerum pompa.*

Horum

Horum miniſtrorum vbi quinquaginta ſtrangulauerunt,ac totidem præſtantiſſimos equos, eductis inteſtinis, paleiſque rurſus diſtentis atque conſutis per ambitum regis ſepulchri fornicato opere equos & ſuper eis famulos inſidentes erigunt, ac ita ſtatuunt, vt procul aſpicienti equitatus ſpeciem,defunctum Regem cuſtodientis præbeant. Habent & priuati morem quendam in ſepeliendo.nam vbi quis deceſſerit,proximi quique in plauſtrum collatum ad amicos circumferunt, eos ſinguli amicorum excipientes epulum præbent, tam propinquis quàm cæteris cadauer comitantibus.ad hunc modum 40. diebus circumactum de hinc humatur, capite prius exinanito atque abluto. Iurandi iuſiurandumque interponendi ipſis per regium ſolium mos eſt,quo ſi quis peieraſſe à diuinatoribus, qui hoc ſalignis virgis cognoſcunt, conuincitur; ſine mora capitis pœnam ſubit,atque facultates omnes amittit.

DE ILLVSTRIBVS SCYTHIAE mulieribus,quas Amazones vocant. Cap. 20.

CVm in omnium ætatum ſcriptoribus magnifica Amazonum fiat mentio,ambigere poſſumus, vtra virtus, virorum ne,an mulierum Scythiæ plus ſibi gloriæ compararit. Promanarunt ex his Amazones, inauditæ fortitudinis & audaciæ mulieres,quæ non modò cum cæteris illuſtribus fœminis conferri indignantur, ſed virorum ſe gloriam æquaſſe, ne ſuperaſſe dixerim, ſanè contendunt.Harum originem hiſtorici ſic deſcribunt: Quum in Scythia duo regij iu-

uenes optimatum factione domo eijcerentur, coacta magna iuuentute in Cappadociā veniſſe dicuntur, & Themiſcyros occupaſſe campos, ibique diu rapinas & latrocinia exercuiſſe: finitimorum tandem conſpiratione ad vnum omnes fuiſſe cæſos. Vxores quæ ſuperfuerant, videntes exilio additam orbitatem, non ſolùm vt propria tuerentur, arma ſumpſerunt; ſed cùm deſperationem audacia corroborarent, fines amplificare contenderunt. Finitimorum coniugia æquè ac ſeruitutem abominatæ ſunt, contemptis virorum adminiculis, regnum auxerunt; & vt pari omnes fortuna forent, viros qui domi ſuperfuerunt, interfecerũt; moxque rabiem conuerterunt in finitimos; quibus pacatis ne ad interitum redigerentur, eorum concubitus, ſtatuto quotannis tempore inire ſolitæ ſunt. editos continuò mares necabant, fœmellas contra tollebant, quas non fœmineis artibus excolebant; ſed equis, venationibus, & arcu exercebant. Exurebant mammas dextras, ne ſagittando impedirentur, vnde nomen his inditum. Harum Lampedo & Martheſia reginæ præſtantiſſimæ fuêre, alterius regnum vicibus gubernantes, altera domi, foris altera rempublicam gerebat. Subegerant Europæ partem, ac multas Aſiæ ciuitates in ditionem ſuam planè redegerant. Dum tuendi Imperij gratia in Aſia cum exercitu magno morantur, Epheſum, Smyrnam, Cumam, & Magneſiam condidêre. Martheſiæ filia ſucceſſit Orithya, quæ foris Remp. gerebat, & Antiope ſoror eius domi. Poſt hanc Pentheſilea cum fortiſſimo quoque viro comparanda, Troianis opem cum ingentibus copijs afficere non timuit. Ad Alexandri vſque tempora perdurarunt. nam Thaleſtris

ſtris regina imperato Alexandri concubitu, paucis poſt temporibus cum vniuerſis Amazonibus interijt.

Amazonum interitus.

DE TARTARIA QVAE OLIM *Scythia fuit, atque de illius gentis moribus. Cap. 21.*

TArtaria quæ & Mongal dicitur, à fluuio Tartar qui per eam fluit, hoc nomen habet. Regio eſt plurimùm montoſa; & vbi campeſtris eſt, admixta glarea arenoſa eſt & ſterilis, niſi æquis fluuialibus irrigetur: & ob hanc cauſam admodum deſerta & infrequens eſt. Ciuitates in ea nullæ, nullæ villæ præter vnam, quæ Cracuris dicitur. Lignis in pleriſque locis adeò inops, vt arido boum & equorum ſtercore incolæ ipſi ignes fouere atque cibaria decoquere cogantur. Aër & Cœlum intemperatum & mirificum: tonitrua, fulgura, in æſtate adeò horrenda, vt præ timore homines ipſi intereant. iam calor magnus eſt, mox frigus & denſiſſimæ niues cadunt. Ventorum frequenter tam validi flatus, vt equitantes detineant, & ad terram homines deijciant, arbores radicitus euertant, & multa damna inferant. In hyeme ibi nunquam pluit, in æſtate frequenter, ſed adeò parcè vt vix terra madefiat. Regio alioquin omnium animalium diues, in camelis, bobus, &c. A quatuor ab initio populis habitabatur: vnus Iecchomongal, id eſt, magni Mongali dicebantur: Secundus Sumongal, id eſt, Aquatici Mongali, habitantes ſcilicet iuxta

Horrenda tonitrua.

Tartar fluuium: tertius Merchat vocabatur: & quartus Metrit. Omnes vnam Corporis formam, vnam linguam habebant. Ferus ab initio cultus, ſine moribus, ſine lege, ſine vllo vitæ cultu; armenta paſcere, obſcuri nominis inter Scythas, finitimorum vectigales. Sunt autem Tartari omnium hominum deformoſiſſimi corpore, vt plurimum parui, oculis craſſioribus & prominentibus, multum coopertis palpebris; latas habentes facies, & imberbes, excepto quòd in ſuperiori labro & mento raros habeant pilos & volatiles. Graciles ſunt in medio communiter omnes; radunt caput per verticem ab aure vna ad aliam in occipitium; capillos in reliqua parte quemadmodum mulieres noſtræ longos nutriunt, de quibus duas tricas ſiue chordas faciunt, & vtranque retro aures colligunt: quo more non Tartari ſolum raduntur, ſed quæcunque gentes eis commorantur. Ipſi porrò leues ſunt & agiles, boni equites, pedites mali: nullus pedes vadit, omnes & minimi etiam aut equis, aut bobus inſident, quocunque ſit eundum. Campanulas admodum reſonantes ex equi collo pendentes geſtare, glorioſum eſt eis. Sermone horrido ſunt & clamoroſo; cantantes luporum more vlulant, caput quatiunt. Quando bibunt, ad ebrietatem bibunt, quod apud eos eſt gloria. Non in villis aut vrbibus, ſed in campo ſub tabernaculis habitant; paſtores enim ſunt plerique omnes. In hyeme manere in planitie ſolent: in æſtate verò paſcuarum vbertatem ſectantes, in montibus degunt. Panem non habent nec pinſunt, mappis non vtuntur, non mantilibus. Vnum Deum credunt, & ipſum omnium eſſe tam viſibilium quàm inuiſibilium factorem; non tamen a-

Tartare deformes.

Tiqua

liqua ceremonia aut ritu eum colunt:ſed potius idola quædam ad hominis formam effigiata, ex vtraque tentorij parte conſtituunt, eaque pecorum ſuorum cuſtodes eſſe precantur, ijſque plurimum reuerentiæ exhibent. His primum lac omnis pecoris ac iumenti offerunt; & ante quam quicquam aut edere, aut bibere incipiunt, partem proponunt. Venerantur etiam & ſacra faciunt Lunæ, Soli, & quatuor Elementis. Cham pręterea Regem & dominum ſuum filium Dei exiſtimantes, religiosè adorant, ei ſacrificant, & tantum ei tribuunt, vt digniorem in toto Mundo eſſe non credant, neque aliquem alium nominari patiuntur. Cæteros homines adeò gens hæc contemnit, & ſe prudentia & bonitate excellere putat, vt alloqui faſtidiat, & à ſe explodat. Chriſtianos cunctos canes appellat & idololatras, quòd lapides & ligna adorent. Ipſi maleficis artibus intenti obſeruant ſomnia, & qui ea ipſis interpretentur ſuos habent magos: ab idolis etiam reſponſa petunt & accipiunt. Tantæ auaritiæ & cupiditatis ſunt, vt vbi quiſpiam aliquid viderit aut habere deſiderat, ſi illo potiri cum voluntate poſſeſſoris non poſſit, dummodo Tartari non ſit, vi rapit; ex præcepto & inſtituto regum licere ſibi iſtud arbitrantes. Cùm Tartari hominem in via reperiunt, literas aut conductum Regium non habentem, eum ſibi vendicant, & pro ſeruo perpetuo vtuntur. Pecunias indigentibus commutant, ſed pro grandi & intolerabili vſura, vnum denarium de decem, ſingulis menſibus, accipientes; & de vſura vſuram, ſi dilata fuerit. Cupiunt ſemper, & vt domini extorquent, nihil retribuentes. Mendicantibus eleemoſynam etiam denegant. In hoc laudantur, quod

Auaritia eorum.

Vſura.

quòd prandio aut cœnę ſuperuenientes ac comedere volentes non excludunt aut repellunt, ſed inuitant, & quibus veſcuntur, liberaliter communicant.

QVOMODO TARTARI DOMI viuant, & de ſuperſtitionibus eorum. Cap. 22.

A Re bellica feriati viri, pecora in paſcua ducunt & cuſtodiunt, venantur, & luctando ſe exercent. Aliud nihil agunt, mulieribus enim reliqua committunt. His curæ eſt, & quæ ſunt victui & quæ amictui neceſſaria procurare. Gens ipſa multas obſeruat ſuperſtitiones. In ſtationibus nemo mingit; quòd ſi quis obſtinate faceret, abſque miſericordia occideretur, ſi autem neceſſitas cogat, tentorium in quo factum eſt, & omnia quæ in eo continentur, purgantur tali modo: Duos ignes faciunt, inter quos haſtas duas figunt, chordulaque ab vna ad aliam ducta, per medium illarum ceu per ianuam quæ purificanda ſunt, traducunt; & mulieres duæ hinc & hinc ſtantes aquam inſpergunt, ac carmina quędam ſubmurmurant. In conſpectum Regis nullus aduena cuiuſcunque dignitatis exiſtat, & quantacunque agere habeat, admittitur, niſi purgatus prius. Qui limen tentorij in quo Imperator aut ducum aliquis moratur, pedibus calcat, in ipſo veſtigio interficitur. Multa alia ſunt quæ pro inexpiabilibus habent peccatis; aſt hominem occidere, aliorumque terras inuadere, item res & bona aliorum contra fas nefaſque diripere, Dei præcepta negligere, pro paruo aut nihilo ducunt. In

Quod vtinā nec apud nostrates vſu veniret.

Mun-

Mundo quodam alio, quem tamen deſcribere non poſſunt, ſe poſt hanc vitam ęternaliter victuros credunt, & meritorum ſuorum condigna pręmia percepturos. Cùm quiſpiam infirmari cœperit, & morti iam vicinus, haſtam vnam cum nigro panno, tabernaculo in quo decumbit, præfigunt, vt ab ingreſſu prætereuntem auertat. Poſtquam verò defunctus eſt, omnis illius familia conuenit, & funus extra tentorium in locum aliquem antea delectum clam portant, & fouea lata profundaque facta, tentoriolum in ea erigunt, menſam ferculis inſtruunt, atque defuncti corpus precioſo habitu veſtitum ad eam applicantes, vnà omnes terra obruunt. Sepelitur etiam cum eo iumentum vnum, & equus phaleratus vnus. Potentiores in vita ſeruum vnum eligunt, atque cauterio ſuo inuſtum ſecum tumulari faciunt, & hoc ideo vt in alio Mundo his vtantur. Dehinc amici alium equum accipiunt & mactant, carnes comedunt, cutem fæno repletam atque reſutam quatuor palis ſupra ſepulchrum in defuncti ſignum erigunt. Oſſa in animæ expiationem mulieres comburunt.

Exequiæ barbaræ.

ASIA MINOR, QVAE OLIM propriè Aſia, hodie Natolia dicitur. Cap. 23.

ASiam minorem hoc loco intelligimus magnum illud vniuerſæ Aſiæ promontorium in mare Mediterraneum ex Oriente in Occidentem proiectum; longitudine ſua Europam (Thraciam nimirum, adeò contiguum, vt fretum efficiat, per quod ex Aegæo in Euxi-

num

num tranſitur; hab.tque Natolia à Meridie Mare magnum in quo Cyprus inſula, ab Occaſu Aegæum, & Helleſpontum, à Septentrione Euxinum; ab Ortu Euphraten fluuium. Hodie etiam Turcia maior appellatur, ipſamque deſcribit Ptolemæus in prima Aſiæ tabula; vnde regiones haſce antiquorum complectitur, Pontum, Bithyniam, Lyciam, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciam, & Armeniam minorem: magnum profectò Terræ tractum, cùm incluſa ſit inter Meridianum grad. 51. & Meridianum grad. 72. atque ſecundùm latitudinem eſt in eodem ferè ſitum in quo eſt Italia: nam clauditur inter grad. 36. cum dimidio, & grad. 45. ſcilicet inter medium quarti climatis, vndecimumque parallelum, & ſexti climatis medium, ac decimumquintum parellelum, vbi accidit maioris diei varietas vnius horæ; etenim Auſtralis ora habet maximam diem horarum 14. cum ſemiſſe. Eſt autem minoris Aſiæ latitudo ex Plinij traditione ducentorum circiter millium paſſuum, ab Iſſico nimirum ſinu, nunc Gotſo de Laiazzo, & Amanicis portis vſque ad Trapezuntem, quę eſt in ora Ponti, quod quidem cum Herodoto conſentit, qui ait Iſthmũ Aſię minoris eſſe iter quinque dierum expedito viatori.

Quantitatis Natoliæ.

Gaudet autem terra hæc ſingulari quadam Cœli clementia, fuitque olim frugiferis campis, copioſis paſcuis, auratiſque amnibus abundè diues, atque omnium rerum, quæ ad bene beatæque viuendum conducunt, mire affluens: ac permultos peperit homines præſtantiſſimos priſcæ ætatis, qui florem linguæ Græcæ prætulerunt, quæ triplex fuit, Dorica, Ionica, & Aeolica: cæteræ linguæ huius peninſulæ pro barbaris cenſebantur.

Qualitas eius.

præ-

præterea horum laus fuit non modò in veteri illo & ethnico diſciplinarum artiumque humanarum genere; verùm etiam in Chriſti religione. Namque hæc Orbis pars celeberrimarum Chriſti eccleſiarum alumna quondam fuit. quinetiam in ea, vt in nulla alia, celeberrimæ fuerunt nationes in quibus olim maxima regna fuêre, vtpote Troianorum, Mithridatis, Crœſi, Antiochi, Paphlagonum, Galatarum, Cappadocum, Phrygiorum, & reliquorum populorum. Fuit autem primùm à Cyro Perſarum Rege occupata, deinde à Macedonibus, atque ab Alexandri ducibus, vnà cum Syria, Aegypto ac Babylonia mirè fuit diuiſa: poſtmodum à Romanis fuit ſpoliata, atque poſtremò à Turcis vaſtata, miſerabiliterque deperdita, & ad maximam tenuitatem redacta, vt nihil modò memoratu dignum ferè habeat. quandoquidem tam inſignis & nobilis terra paucis hodie ciuitatibus inſignitur, ſed oppidulis vt plurimum & pagis. ac dicunt aliqui in tota hac minora Aſia ruinas videri plus quàm 4000. locorum & vrbium in diuerſarum gentium incurſionibus deuaſtatarum, vt vix dignoſci queant. & multæ regiones proprium amiſerunt nomen. prętereà nec adeo fertilis eſt & culta vt olim fuit: verſus tamen Mare magis colitur & habitatur ob nauigationes & mercimonia. Mediterranea loca viles, ruſticæ, & abiectæ gentes occupant. ſunt autem plurima eius loca campeſtria frumento, hordeo, goſſipio, & ſeſamo conſita: ac præcipuus regionis prouentus eſt goſſipium ac ſeſamum. Incolę Mahumetani vt plurimum ſunt, dicunturque Turcæ naturales, qui ſimpliciores ſunt cæteris, nec crudeles adeo vt illi ſunt qui fidem Chriſtianam abnegarunt.

Incolarum Natolicorũ qualitas & conditio.

O ſunt

ſunt tamen & permulti Chriſtiani in Cappado-cia, & nonnullis alijs regionibus qui Græcum ri-tum ſequuntur & Armeniorum. nulla iſthic da-tur nobilitas ex antiquitate ſanguinis aut fami-liæ, ſed omnes æquales ſunt, & à Turcarum Im-peratore mancipiorum loco habentur, qui iſthic ſuos Beglerbeios & Sangiacos mittit in diuerſis regionibus ac prouincijs. Ruſtici porrò ſegnes & otioſi admodum ſunt, qui terram nulla diligen-tia colunt, præſertim opulentiores. & niſi ab eo-rum mancipijs agri excolerentur, rari eſſent agri culti. Sunt autem in vniuerſa minori Aſia per-multi fluuij, quorum præcipui ſunt Iris, nunc Ca-ſalmach; Halis, nunc Ottomangiuch; Parthenius, nunc Dolap; Sangarius, nunc Bellonio Sangari, & Acida in Caſtaldi tabulis: & hi omnes in pontum Euxinum decurrunt. deinde Aſcanius, nunc Iſnic; Phyndacus, nunc Supidi, qui in Propontide exo-nerantur: Scamandores, nunc Simores, qui in Helleſpontum incidit; Caicus, nunc Girmaſti; Hermus ſeu Mercurius, nunc Sarabat; Cayſtrus, Caſtaldo hodie Chaici, & Ortelio Chias; Mæan-drus, qui Pruſæo auctore ſexcentas flexuras ha-bet, vocaturque nunc Madres, & hos omnes Ae-gæum mare excipit. Eſt etiam Melas fluuius, ho-die Genſui vocatus, qui ad Euphratem ſuas aquas mittit; præter plurimos alios, qui Meridiem verſus in Mediterranei mare ma-gnum defluunt.

Fluuij Natoliæ.

(·.·)

DE

DE TVRCARVM ORIGINE, primoq́ eorum Imperatore Othomanno. Cap. 24.

SVnt qui tradunt Turcos tenuiſſimis primordijs & obſcuris planè ex caſpijs montibus natali ſolo relicto in Perſidem & minorem Aſiam primum impetum feciſſe, vagoſque latrocinantes magis quàm belligerantes prouincias vaſtaſſe primumque ſtipendia Baſilio Macedone imperante ſub Mahumetio Saracenorum principe meruiſſe, quorum opera Babylonis Indoſque ille vicerit. Sed peperit ijs virtus inuidiam, ventumque eſt ad hoc vt Muchumetium profligatum acie obtruncarint. deinde ſenſim ingentibus copijs ſe effundunt, Aſiamque omnem ad Euxinum mare vaſtant & ſubigunt. Variatum eſt deinde in gente exortis in ea factionibus, donec Othomannus veterem gloriam aſſerere eſt auſus. qui Pontum Cappadociamque transgreſſus ad reliquas finitimas gẽtes ſenſim eſt illapſus more latronis, clandeſtinis excurſionibus vires ſibi vendicãs, occupatis mõtibus & clauſtris opportunis, vnde facile irruptiones fieri poſſent, vſque adeò emerſit ſublatuſq; eſt animo, vt palã iam & pari Marte aduerſus finitimos de agri poſſeſſione certaret. Deinde tẽpore ſuccedente non ſolũ Pontum & Cappadociã, ſed Galatiam quoq;, Bithyniã, Pamphyliam, Piſidiam, Lyciam quę nunc Briquia, Ioniam quæ Quiſcum, vtranq; Phrygiã, Cilices, Cares, Aſiam minorẽ ad oras vſq; Ionij & littora Gręci maris occupauerit. Sunt alij qui ſcribunt eos è Scythis traxiſſe originem, argumentum adferentes quòd primò Pontum & Cappadociam tranſgreſſi, ad reliquas inde finitimas partes ſenſim illapſi

Othomannus

ſunt. Accedit etiam vtrorumque vitæ & morum ſimilitudo, habitus, cultus corporis, equitandi ſagittandique ratio, & omnino rei militaris communis quædam & patria diſciplina. Hi parua manu primò latronum more clandeſtinis excurſionibus vires ſibi vendicare conati ſunt. confluente tum ſubinde huiuſmodi generis hominum colluuie, breui ſe fuderunt in omnes vicinas terras, præſertim cùm Græci negligentiores eſſent, & Chriſtianorum crimina hæc crudelia commeruerint flagella. Othomannus qui primus in ea gente (ſub ſequentium ſcilicet Imperatorum in hunc vſque diem) hoc nomen tulit, vir acer, à Galatiæ loco in quo natus eſt, id nominis adeptus eſt. Anno enim circiter 1250. quatuor ex Perſide familiæ cum ſuis ducibus & exercitibus per Aſiam & Europam vagati ſunt, nempe Othomanni, Aſſembecci, Candelori, & Caramanni; ſingulique aliquam ſubegerunt terram, nempe Caramanni Ciliciam, Candelori regionem circa Pontum, Aſſembecci minorem Armeniam & Cappadociam, Othomanni duce Othomannum primùm Aſiam minorem, & paulatim deinde cæteras omnes abſorbſit familias. Fuit autem primùm Othomannus ex humili fortuna, ac tenuis cenſus, obſcuri inter priuatos nominis, & agrarijs parentibus; ſed ob virtutem rei militaris magnum ſibi nomen inter Turcos peperit. nam vir impiger & bellorum appetens calliditate ſingulari, conflataque per ſeditionem multitudine, ex collectitio ac gregario milite arma circumferre cœpit, & ſeipſum atque ſuam familiam rerum geſtarum gloria illuſtrare. Nam ingenti primùm manu graſſari cœpit, & prædabundus deinceps cunctos inuadere. Neque

Othomannorum familia.

Chriſtia-

Chriſtianos ſolùm proſternere atque vexare elaborauit, verum etiam homines ſuæ gentis armis petere,& ſi qua daretur occaſio,ſibi ſubdere. Iam enim Turcarum Duces quos commemorauimus, dominandi cupiditate commoti, ſeſe inuicem infeſtare cœperunt, & eouſque ſuperandi ſtudio ac vires hoſtiliter exercendi prouecti ſunt,vt bellum domeſticum inteſtinumque omnibus viribus gerere viderentur. Hanc Othomannus ille nactus occaſionem, quæ moribus vtique ſuis & libidini congrueret, ac idoneam videret ſibi rei gerendæ ſuppeditari materiam, adſcitis vndique omnibus qui pro ingenio,prædæ rapinarumque percupidi eſſent, quiue ſtudio quoſuis opprimendi ſpoliandique flagrarent, authoritatem breui adeptus eſt; oppida quædam per opportunitatem aggreſſus, alia vi cepit,alia deditione ſubegit, nonnulla vt metum incuteret diripuit atque euertit, vt hinc futuri incrementi non admodum aſpernanda ſolerter ieciſſe fundamenta videretur. Præſtitit his conatibus proſperum euentum Chriſtianorum diſcordia: qua Othomannus occaſione vſus Bithyniam & omnes circa Pontum prouincias decem annorum ſpacio ſuæ fecit ditionis. Cùm autem decem annos regnaſſet, filio ſuo Orchani, paternę virtutis æmulo Imperium reliquit.A Caſtello Galathiæ,quod à Pruſia Trapezuntem verſus ſex dierum itinerę diſtabat, à ſe capto, ſic dictus Othomannus, licet alij id eius natale ſolum ſcribant extitiſſe. Claruit hic tyrannus anno ſalutis humanæ 1300. Alberto primo Imp. Sunt qui ſcribant eum 28. annis rerum potitum,quibus Bithyniam & oppida Euxino adiacentia non pauca ſuo Imperio adiecerit, imperium Turcicum hinc auſpicatus.

Nulla fides Regni ſocijs.

Chriſtianorũ diſcordia Turcarum incrementũ.

DE MILITIA ET MORIbus domeſticis Turcarum. Cap. 25.

NIhil eſt quod in Turcia gente magis mirari poſſis quàm celeritatem in agendis, conſtantiam in periculis, & obſeruationem Imperij. nam profunda & verticoſa tranant flumina, abruptos ſuperant montes, iuſſi per æqua & iniqua eunt præcipites, non vitæ ſed Imperij memores, peruigilij inediæque tolerantiſſimi.

Nulla ibi ſeditio, nullus tumultus, fremitu non clamore vtuntur in prælio. in caſtris noctu tam pertinax ſilentium, vt patiantur captiuos dilabi, ne tumultus excitetur aliquis. Hi ex omnium mortalium numero ſcribuntur hodie legitimè militare, vt nemini mirum videri poſſit, quid ſit quòd res eorum tantum in hunc diem creuere, quantum trecenteſimo nondum anno inchoato nullius alterius gentis: poſſitque vere dici eſſe id genus hominum inuictum, niſi aut lue, aut peſte aliqua teterrima, aut domeſtica diſcordia vincantur. Veſtitus quo milites vtuntur honeſtus eſt, nihil indecentiæ habens. in ſellis ac frenis nulla curioſitas ac ſuperfluitas eſt. Armis inductus eorum nemo incedit, niſi cùm pugna inſtat. arma poſt eos in ſarcinis deferuntur. vexillis non vtuntur, ſed lanceis; ex quarum ſummitate quædam diuerſicolaria fila dependunt, per quæ ſinguli Ducum à ſuis internoſci valeant. Tympano tamen & fiſtulis ad conuocandum concitan-

Habitus frugalis.

citan-

ritandumque ad pugnam vtuntur. Pro militibus in omnibus congregationibus & conuiuijs orant, ſed multò magis pro communi patriæ cauſa cæſis, felices beatoſque eos appellantes, quòd non domi inter coniugum filiorumque lamentationes abierint, ſed foris inter hoſtium fremitus haſtarumque fragorem. Maiorum ſuorum victorias deſcribunt, deſcriptas cantant & extollunt: multum enim militum animos per hoc excitari credunt. Picturas & ſtatuas ſic abhorrent & deteſtantur, vt Chriſtianorum quoſdam ob id idololatras vocitent. Campanorum apud eos vſus nullus, nec etiam Chriſtianis inter eos habitantibus concedere eas volunt. Pro pecunia aut alia quauis re non ludunt; ludere compertos ignominijs multis & probris afficiunt & proſequuntur. Ad ſedendum ſcamnum, ſedile, aut aliud fulcimentum nemo cuius vel dignitatis, vel conditionis etiam ſit, requirit; ſed decenteſima quadam & membrorum & veſtium compoſitione ſuper terram puerorum more recumbit.

Menſa ſuper qua veſcuntur, vtplurimum è corio bubulo parata eſt, aut ceruino non concinnato & hirſuto, rotunditatem habens quatuor vel quinque palmarum latitudinis, circulos multos per circuitum inſutos ferreos, quibus cum corigiæ inductæ ſunt, marſupij inſtar clauditur, expanditur, & portatur. Domum, templum, aut alium locum in quo ſedendum eſt, niſi diſcalceatus nemo intrat, cùm inhoneſtum indecorumque valdè habeatur, vt calceatus quis ſedeat; quare calceamento quodam vtuntur quod facilè & deponi poteſt & recipi. Locus Menſa.

in quo vel domi, vel in eccleſijs ſedetur, ſtratus tapetibus vel laneis vel ſcirpeis eſt:habentur quoque interdum propter locorum humiditatem & immunditiem tabulata. Veſtimentis vtuntur tam viri quàm fœminæ ſatis largis & longis, in anteriori parte apertis,quo honeſtius curuati, naturæ opus perficere celareque poſſint. Multum enim in egeſtione cauetur ne Meridiem verſus, quò orantes ſe conuertere ſolent,faciem vertant, multum etiam cauent ne ab homine quopiam conſpecti, turpitudinem ſuam oſtendant. Curuati quemadmodum apud nos mulieres, micturiunt.Nam ſi ſtando quiſpiam mingeret, pro ſtulto aut hæretico ab omnibus haberetur.A vino,quoniam peccati & omnis immunditiei ſeminarium ſit, ex lege abſtinent; vuas tamen comedunt, & muſtum potant. A carne & ſanguine ſuillo ſimiliter abſtinent, nec non ab omni morticino, reliquis comeſtibilibus cunctis veſcentes.

Egeſtio honeſta.

QVID TVRCAE CREDANT, & quomodo Deum colant. Cap.26.

VNum Turcæ confitentur Deum, qui nullum ſibi vel ſimilem habeat vel æqualem, cuius propheta fidelis Mahumetes ſit. Quinquies in die orant, faciebus ad Meridiem verſis, & hoc antequam faciant, perfectiſſimam corporis munditiem habere curant, culum, veretrum, manus, brachia, os, aures,nares, oculos,capillos,denique & pedes decentiſſimè lauantes,præſertim poſt coitum & egeſtionem,niſi ægro-

ægrotauerint, vel in itinere fuerint. Si verò aqua eis ad hoc deſit, quod tamen rarò aut vix contingere poteſt, cùm in omnibus ciuitatibus ad hoc balnea continua habeantur, pulueres mundi aut recentes terræ id perficiunt. In quolibet anno mēſem integrum & hebdomadam ſtrictiſſimè ieiunant, interdiu nec comedentes nec bibentes quicquam, ne etiam ſe mulieribus commiſcentes. poſt Solis autem occaſum ad vſque ſequentis diei exortum, cibis, potibus, ac Veneri ad placitum indulgent. In fine ieiunij Paſcha celebrant in memoriam arietis Abrahę oſtenſi in ſacrificium filij loco, noctisque cuiuſdam in qua Alcoranum de Cœlo datum exiſtimant. Semel etiam quotannis ad domum Dei, quæ in Mecha eſt, ire Saraceni debent, propter annuos honores Mahumeti persoluendos, cuius ſepulchrum ibi obſeruatur. Sacerdotes eorum à communi populo parum differunt, ſicut nec templa ab ædibus priuatis. Alcoranum ſcire ſufficit, & quæ ad orationem cultumque legis pertinent: meditationibus autem ac literarum ſtudijs minimè vacant. Non enim Eccleſiarum aut animarum aliqua cura occupantur, ſacramenta nō habent; reliquiarum, ſacrorum vaſorum & altarium nulla obſeruatio; ſed vxoribus, liberis, ac cæteræ familiæ intenti, agriculturæ, mercaturæ, venationi, & ſimilibus ſtudijs quibus victus quæritur & vita ſuſtentatur, quemadmodū ſecularis plebs, incumbunt. A ſeruitute & exactionibus immunes ſunt, honoris plurimum ab omnibus percipiunt, ut qui Legis ceremonias ſciāt, Eccleſijs præſideāt, & alios docere poſſint. Gymnaſia multa habent, in quibus ciuiles Leges à Regibus latæ pro Regni adminiſtratione, defenſioneque plurimi docentur;

Ieiunia tolerabilia.

Mecha.

Sacerdotes.

Gymnaſia.

tur: quorum quidam deinde Eccleſiaſticis, quidam ſecularibus officijs præficiuntur. Sunt etiam in ea ſecta multi & varij religioſi, quorum quidã in nemoribus & ſolitudinibus vitam villatim ducentes, hominum commertia effugiunt. quidam in ciuitatibus hoſpitalitatem exercentes, peregrinos pauperes ad hoſpitia ſaltem recipiunt, ſi non habeant quo reficere poſſint: ex mẽdicitate enim & ipſi viuunt. Alij per ciuitatem vagantes in vtribus quibuſdam bonam & ſemper recentem aquã portant, quam cuique petenti bibendam vltro offerunt. pro quo pietatis officio ſi quid ipſis porrigitur, accipiunt. Cupiunt nihil, tantamque religionis oſtentationem in dictis & factis, in moribus & geſtu præ ſe ferunt, vt non homines ſed angeli credi poſſint, vſque adeò ludificare valent hominum oculos. Diem Veneris Turcæ ab omni labore feriati tanto ſtudio & religione colunt, quanta nos Dominicam, aut quanta Iudæi Sabbathum. In ſingulis ciuitatibus ædium ſacrarum vna primaria eſt, in qua eo die poſt meridiem conueniũt omnes, atque oratione ſolenniter facta, fit prædicatio. Quod ad templa ipſorum attinet, ea ampla ſunt & ſumptuoſa, ipſorum lingua Meſchit appellata, in quibus nullas prorſus aut ſtatuas aut Idola habent, ſed ſcriptum paſſim inuenitur. Non eſt Deus niſi vnus, Mahumet autem propheta eius, creator vnus, & prophetæ æquales: item, Non eſt fortis ſicut Deus. Deinde conſpicitur magna abundantia lampadum ardentium oleo; totum templum dealbatum, pauimentum ſtoreis ſtratum, ac deſuper tapetis ornatum. Circa templum eſt turris alta, quam eorum ſacerdos tempore orationis aſcendens, voce alta digitis in aure inſertis,

Monachi.

Dies Veneris ſacer.

Templa & ceremoniæ Turcarum.

tis, hæc verba ſua lingua ter repetit: Deus verus vnus. Audito clamore conueniunt in templum nobiles & ocioſi, tantum deuotioni aſtricti, & ſacerdos orat cum illis: idque ex officio facere debet quinquies inter diem & noctem. Et qui veniunt ad orationem, debent abluere manus, pedes, & pudibunda: deinde exutis calceamentis & ante ianuam relictis, alij nudis pedibus, alij mundis calceamentis pedibus inductis introeunt. Fœminæ quoque ſeorſum in certo & prorſus abſtruſo verſantur loco, à virorum conſpectu & auditu ſeparato, licet rarius frequentent templum. Inter orandum autem corpus continuo agitatu & vociferationibus miſerè affligunt, vt ſæpius viribus & animo deficiant. Chriſtianum eorum ſacris intereſſe nefarium putant, credentes ab hominibus illotis ſua templa contaminari. Ibi ſacerdos illorum ſuggeſtum aſcendit, & ad duas circiter horas concionatur; peractoq; ſermone aſcendunt duo pueri, qui cantando ſuas preces pronunciant. Deinde incipit ſacerdos cum toto populo ſubmiſſa voce cantare, quaſſando corpus in latus, nihil aliud præter hæc verba; Non eſt niſi vnus Deus.

Habent etiam diem Iouis pro die feſto, tametſi dies Veneris religioſiſſimè colatur, quòd credant Mahumetem illa die natum. Iam verò quod ad ſententiam eorum de futuro ſeculo attinet; Turcæ Mahumeti ipſiuſque legibus tantum tribuunt, vt illas ſeruantibus æternam beatitudinem certiſſimè promittant, paradiſum videlicet deliciarum, hortum dulcibus & amœniſſimis aquis quaque verſum irriguum, ſub puro & temperato Cœlo conſtitutum, in quo quicquid *Paradiſus Turcarum.*

velint

Das were wol ein haſs Schlauraffen lãdt.

velint, habituri ſint, omnium ferculorum genere ad ſaturitatem, ſerica atque purpurea indumenta, adoleſcentulas ad nutum ſpecioſas, cum aureis argenteiſque vaſis, angelos pincernarum more in aureis lac, in argenteis vina rubea vbertim propinantes miniſtros. Contra verò non ſeruantibus infernum comminantur, interitumque ſempiternum. Hoc etiam credunt quòd quantiſcunq; quis criminibus ſit obnoxius ſi moriturus tãtùm Deo credat & Mahumeti, ſaluus futurus ſit. Quorundam religioſorum opinio eſt, legem nihil prodeſſe, ſed gratiam Dei qua hominem ſaluari oportet, quæ ſine merito & lege ſufficiens eſt ad aſſequendam ſalutẽ. Alij ſunt quaſi ſucceſſores Prophetarum & patrum, allegantes patrum traditiones, aſſerentes homines per meritum ſaluari ſine gratia ac lege, intenti orationibus, vigilijs, & meditationibus. Sunt deinde alij, qui aſſerunt quenquam in ſua lege ſaluari à Deo data, cùm tales æque bonæ ſint ſeruantibus, nec vna ſit alteri præferenda. Sic ergo vbi Chriſtus non eſt, fluctuat inconſtans mens ad diuerſa, id quod & inter Chriſtianos videmus fieri, nempè apud eos qui alibi quàm apud ſolum Saluatorem ſalutem quærunt.

Opiniones de ſalute variæ.

DE MAHVMETE SARACEnorum pſeudopropheta, eius origine & peruerſitate.
Cap. 27.

OMnis impietatis & ſuperſtitionis princeps fuit Mahumetes, vnde humano generi malum & ſeminarium errore inextricabili

bili natum eſt. Quidam ſcribunt eum Cyrenaicũ natione fuiſſe, alij Arabem, alij Perſam. Fuit autem natus anno ſalutis 597. ſub Heraclio Imperatore, homo obſcurus genere, nullis præditus opibus, viribus aut neruis, ſordido natus loco. Dicunt quidam ei fuiſſe patrem dæmonum cultorem, matrem Iſmaliticam, & ob id Hebraicæ legis non ignaram. Vnde & puer diſtractus, ambiguuſque effectus, dum pater ſuam, mater alteram illi ingerit ac inculcat, neutram ſanè amplectatur. Vtroque itaque imbutus puer cultu, neutrum adultus recepit. Quin homo poſtea callidus ac ingenio vafer, inter Chriſtianæ pietatis viros diu verſatus, rem pernicioſam humano generi ex duabus legibus eſt commentus. Amiſſis autem parentibus captus eſt à Saracenis, qui inſignes habebantur inter Arabes latrocinijs, venditusque mercatori Iſmaelitici generis. Factus autem homo verſutus, rapax, impurus, omni ſceleri obnoxius, ſimulator & diſſimulator, callidus, mercimonijs ac negotijs præficitur. Camelos agebat per Aegyptum, Syriam, Palæſtinam, & alia peregrina loca; quibus itineribus ſubinde repetitis, vſus ſæpenumero tum Iudæorum conſuetudine, tum Chriſtianorum, nō tam diſcere quàm deprauare ſtuduit & vetus & nouum Teſtamentum, cùm eſſet à parentibus diuerſas edoctus ſectas. Tum adiecit furaci quæſtui, ac dominum fallere ſtuduit. vnde cùm & domino ſuſpectus, & cæteris inuiſus eſſet, ex obſcuro ſeruo prodijt inſignis latro. Continuis enim furtis ac ſpolijs inſignior factus, indies ſcelerum participes ſocios plures breui tempore comparauit; adeò vt hero ſuo ſine liberis defuncto, viduam Iſmaelitici generis quinquagenariam, à qua educatus

Mahumetes inter Christianos verſa9.

tus erat, locupletem admodum vxorem duxerit. Vxoris opibus elatus homo furcifer ad immaniſſima quæque flagitia animum adiecit ſuo deprauato ingenio, alioqui ad audaciam omnem promptus ac paratus. Auxit præterea hominis temeritatem, Sergij monachi flagitioſi perfidia, vt breui apud Arabes in tantam veniret exiſtimationem, vt maximus Dei nuncius, maximuſque propheta paſſim vocaretur & crederetur. Is autem Sergius Neſtorianus hæreſiarcha, qui Acephalorum hæreſim inſtaurauit, & Conſtantinopoli eiectus, in Arabiam profugit; & in Mahumetis familiaritatem veniens, malus magiſter & moderator, turpiſſimo & nefandiſſimo diſcipulo facilè coniungebatur. Erat hic dicax, multiloquus, audax, temerarius, inſolens, verſutus, atque in omnibus cum Mahumete conſentiens, qui iam potens erat, & opem ferre poterat, cuiuſque nomen celebre eſſe cœperat: & ſic tandem ſcelerum ſentinam homo transfuga reperit. quem edocuit malus magiſter Neſtorianam inſaniam, perſuaſitque Chriſtianos ſacerdotes expellere Damaſco, Syria, Arabia, Iudaicam corrumpens legem, & Chriſtianam inficiens. Dici vix poteſt quot vafritijs miſeram plebem perfidiſſimus hic apoſtata ſeduxerit. Itaque Mahumetes à præceptore peſſimo flagitia quæq; edoctus, cùm ex victus intemperantia continuaque ebrietate in morbum comitialem incideret frequentius, & vxor hanc ægritudinem iniquo animo ferret; vt homo inueterator ea ſe infamia liberaret, morbum eſſe diſſimulat, ſed Gabrielis nũcij Dei ſplendorem, à quo ſecretiora in extaſi poſitus percipiat, ſeſe minimè ferre poſſe mẽtitur. Deſine, inquit, mirari chariſſima vxor, hoc mihi ex

Sergius monachus.

Dei ipſius ſpiritu me concipiente prouenit, qui mihi futura ſuggerit, accommodandi gratia crebrò ad me ventitat. Diuulgatur fama, ac propheta vulgò acclamatur, quam noua arte nouoque dolo, ductu præceptoris ſui Sergij auxit. Columbam enim, quam Spiritum ſanctum callidiſſimus deceptor vocabat, aſſuefecit in nebulo, quoties ad aures pro nutrimento auis ſimplex volutabat. Defuncta autem coniuge hæres inſtitutus & opibus auctus, auctoritate magna quotidiè creſcebat, legemque nouam condere cum ſuo magiſtro Sergio ac ſocijs quibuſdam Iudæis cœpit, partim ab Hebræis, partim à Chriſtianis quædam mutuando. Iſtius autem nouæ ſectæ leges omnes volumine quodam conſcripſit, cui nomen eſt Alcoranus. Is liber in Concilio Conſtantienſi à Io. Segobienſi theologo ex Arabica lingua in Latinum conuerſus eſt, & ante plures annos typis excuſus. Vt autem gentem ſuam ventri ac ſomno deditam homo ſubdolus magis falleret, taurum quendam nutriuit, qui conſueuit è manibus ſolius Mahumetis pabulum ſuſcipere. Huic intra cornua librum hunc colligauit, & aſtante plebe ſimplici, altiore quadam voce ex abdito loco euocauit. Et cùm multa de legibus homo loquaciſſimus declamaſſet, erupit ſubitò taurus, multiſque ab eo in itinere proſtratis, volumen per mediam plebem in manus Mahumetis deponit, veluti cœlitus miſſum munus. quod nebulo ſumma cum reuerentia accepit, ac quædam ex eo mox populo interpretatus eſt.

Alcoranus.

Hoc commento ſe Regem, Sergium prophetam fecit. Columba enim literis aureis ſcedam ſic inſcriptam attulit in collo ſuo: quicunque

tauro iugum imponet, Rex eſto. Sergius autem iugum afferens Mahumeti detulit, qui tauro impoſuit facilè, & mox Rex à ſtulta plebe vocatus, diuino munere hæc facta iudicante, ac volumen illud aſſumente. In hoc præcipitur circumciſio ob nullam religionem, ſed ob meram ſuperſtitionē, vel vt aliqui dicunt, cùm ſe lauant Turci, ne quid maneat ſordis ſub præputio. Tum abſtinentia carnis & vini, quò facilius celaret ſuſpicionem illius morbi, qui ſe vino obrutum iam pridem corripuiſſet. Vinum enim intemperantius ſumptum, meatus cerebri ne reſpiratio fiat, obturando gignit fouetque epilepſiam. Caro enim porcina craſſos gignit humores, quibus facilè cerebrum oppilatur, & plures hinc morbi naſcuntur. Ieiunium etiam præcipit menſis vnius continui, quo tamen nocte tota veſci licet, vt diurna abſtinentia nocturna crapula compenſetur. Statuit inſuper, quo ab Hebræis Chriſtianiſque lex ſua diſſentiret, Veneris diem ſacrum celebrandum, quòd in illo Rex eſſet factus. quodque cum nulla alia ſecta conſentiret. Eadem ratione ſibi Turci contra aliarum gentium ritum ad Meridiem conuerſi Deo ſupplicant. Vxores præterea ſingulis quatuor ſtatuit de gente propria ſeu cognatione; concubinas autem tot & ſeruas emptitias, quot pro facultatibus habere liceret, repudio atque deuortio ſemper admiſſo; quo facilius rudem ac imperitum populum ad ſe traheret. Docuit inſuper voluptates corporis futuræ felicitati minimè officere, cùm Legem ſuam ſeruantibus promitteret deliciarum hortū ac paradiſum, quo optatiſſimis fruituri eſſent delitijs & omnis generis voluptatibus: puellis veſtes ornatas & angelorum amplexus, cæteris quas quiſ-

Commentum vafrum.

Ieiunium Saracenorum.

quiſque expetere poſſet carnis voluptates. Qua verſutia mollem ſuapte natura populum quo voluit, traduxit, cùm omne genus libidinis ac voluptatis promitteret. Iudæos incuſauit, quòd Chriſtum ex virgine natum inficiarentur, quando id prophetæ ſpiritu diuino afflati præcinuiſſent. Chriſtianos verò ſtultitiæ arguebat, qui Ieſum crederent ex virgine natum ac Dei amiciſſimum, opprobria & cruciatum à Iudæis perpeti ſponte voluiſſe; cùm corpus id diuino conceptũ flatũ prorſus fieret impaſſibile, ac potius Chriſtus Cœlos aſcenderit, Iudas autem loco eius crucifixus ſit. Ridendos ergò Chriſtianos Saraceni ac Turci cenſent, qui conditorium Chriſti Ieroſolymitanum religioſius obſeruant, ac venerabundi adorant. Tres inſuper tantùm prophetas admittunt, Mahumetem ſuum Legislatorem, Moſen vatem Hebræorum, & Chriſtum quem tamen Deum eſſe negant. Et ne aliquis ſanæ mentis his poſſet ire obuiam, Mahumetes legem tulit impiam, ſi quis de ea diſputaturus concertaret, cùm myſterium tractare nefas ſit, capitali pœna plecteretur. Qua lege prodidit, nihil eſſe ſyncerum in toto Alcorano, quem ſolo gladio vult defendere. Sic itaque cum Sergio librum impietatibus plenum concinnauit, & ſcripturas veras adulterina interpretatione corrupit. Et vt Propheta conſeruator vtriuſque Teſtamenti haberetur, blanditus eſt Chriſtianis in hoc quòd ſe à Sergio baptizari curauit, certaſque lotiones ſuis indixit pro delictorum expiatione: Iudæis verò obſecutus eſt quod circumciſionem & abſtinentiam carnis ſuillæ inſtituit, cũ tamen ab vtroque manifeſtè deficeret. Nam circumciſio quæ octaua die fieri præcipitur, in adul-

Tres præcipui Turcis habentur prophetæ.

Vtinam non ſimili ratione plura defenderentur dogmata.

tam protenditur ætatem. Et baptiſmus cùm itepari non debeat, ſpiritualeſque immunditias tollat, quotidiè ab eis repetitur.

MAHVMETES ARMIS SIBI ſubijcit multas Orientis regiones. Cap.28.

CVm itaque ſeductor ille hac ſuperſtitione ſuos dementaſſet, eoſque infinita Arabũ multitudine ſibi deuinxiſſet, iam non latrocinijs, ſed aperto Marte aduerſus Rom. imperium arma cepit, & ob tyrannidem qua Imperatores Arabibus & Saracenis dominabantur, vectigaliaque indebita, turbida intolerabilia imponebant, atque ita populum rebellem faciebant, Mahumetes optimam nactus eſt occaſionem ſeducendi plebem, & ſecta ſua ſuperſtitioſa inficiendi. Nam cùm ex eius ſectatoribus non mediocris numerus in Rom.legionibus militaret, quo tempor Heraclius Imp. ſtipendia partiretur, Saracenis ſti- pendium petentibus reſponſum eſt à quæſtore vix eſſe quod Græco & Romano militi detur, & hæc canum turba tam impudenter efflagitat ſti- pendium. Habebantur autem eo tempore etian apud Arabes Saraceni infames, quos Græci Aga renos opprobrij cauſa, tanquam ab Agar Abrah ancilla oriundos, cognominabant. Saraceni eo re ſponſo, quo canes vocati ſunt, irritati; illicò in A rabiam ad Mahumetem redeunt, factoque in Sy ria impetu, non tam ſuis viribus quàm Chriſtia norum freti negligentia, Damaſcum petunt atqu

Rom.principum tyrãnis.

occu

occupāt, diripiunt, ac nefarium Mahumetis cultū cum legibus accipiunt. Aucti dehinc exercitu, Aegyptum ingreſſi, facilè ea terra potiuntur, vicinorum Arabum comeatu & auxilijs adiuti. Exarſit deinde incendium illud latius, reddituſque eſt tyrannus victoria elatior, & ſucceſſibus ferocior, videns nihil à Rom. Imp. in vltionem illatæ iniuriæ aduerſus ſe parari. Dormientibus ergo Chriſtianis, bellum mouet aduerſus finitimos Perſas, à quibus ſibi maximè timebat, præſertim cùm Coſroës eorum princeps ſe magnis copijs contrà Mahumetem pararet, aggrederetúrque eùm magno apparatu. Concurritur ergo vndique ingenti pugna, vulnerantur vtriuſque gentis multi, capiuntur & occiduntur. Superatus tandem ingenti clade Mahumetes, in fugam vertitur à Turcis illis, à quorum poſteritate nunc maximè colitur & adoratur. Nam hi paulò poſt diſſolutiori viuendi licentia pellecti, ſeſe nefariæ eius ſectæ ſocios addiderunt, quanquam exoſos prius ſemper habuiſsēt Saracenos. Mahumetes itaque iam pluribus bellis geſtis, alijs ſecundis, alijs aduerſis, poſtquam annos in ſuis erroribus ac ſceleribus vixiſſet quadraginta, veneno perijt à domeſticis dato in Arabia per vxoris ſuæ cognatos. Moriens autem prędixit ſe iturum in Cœlum, quod diu expectantes, tandem retro coacti odore, ferrea arca quam ſibi viuus pro monumento extrui iuſſit, ſepelierūt, cùm homines magnete lapide in thoro templi extructo fallere cogitaſſet, vt videlicet eius ſimulacrum è ferro pendere in aëre videretur. Sepulchrum eius in Mecha Perſidis vrbe locatum ferrea arca inuiſitur à Turcis, vt à noſtris Ieroſolyma ob Chriſti monumentum.

Aegyptus à Saracenis occupata.

Mahumetes à Turcis vincit.

Mah. anno ætatis quo vero ... [illegible]

Sic quidem antiqui hiſtorici ſcripſerunt. at recentiores, potiſſimum Vartomanus, ſcribunt in Medina huius pſeudoprophetæ eſſe ſepulchrū, quod totus Oriens colit ac veneratur. Porrò Mahumeti Caliphas ſucceſſit, tandemque nomen regium in Sultani vocabulum mutatum eſt. Sic perfidiſſimū Mahumetis ſeminarium longè lateque pullulauit; & ad Othomannorum vſque familiam ſuccedentibus temporibus propagatum eſt, ſubiugatis ſemper finitimis gentibus.

PALAESTINAE, SIVE TERræ ſanctæ deſcriptio. Cap. 29.

TErra hæc illuſtris ſemper vel ab ipſo Mundi exordio fuit, vt ex ſacris literis conſtat, & celeberrima noſtris etiam temporibus eſt, ob ortum, miracula, paſſionem, & mortem Chriſti redemptoris noſtri. clementiſſimo autem gaudet aëre, & corpora hominum ſalubria ac laborum ferentia parit. in medio namque Orbis cōſtitutam eſſe priſci voluerunt, videlicet vbi nec frigore nimio riget, nec calore torretur: vnde ipſam Iſraëlitæ ſeu Hebræi eam eſſe quæ Abrahæ ſemini à Deo promiſſa fuit, putarunt. Amœna quoque eſt ſitu, planitiebus & collibus ornata, variarum opum diues, aquis illuſtris: rari autem in ea imbres, ſed tamen vber ſolum. nam hoc præconio in ſacris literis celebratur quòd reliquas terras fœcunditate ſua excellat. vnde frumentum delicatiſſimum, reliquaſque fruges feraciſſimè mittit: roſas verò odoratiſſimas, rutam, fœniculum, ſaluiam, & alia olera quæ ſponte ibi humus producit.

Terra promiſſionis.

ducit. Iſthic etiam oleæ, ficus, malogranata, & palmæ frequentes ſunt, vineæque permultæ. nam licet hodie Saracenis incolis vini vſus interdicatur, bona nihilominus optimi vini quantitas pro alijs nationibus ibi commorantibus conficitur; fiuntque tres in anno vindemiæ. Poma tamen noſtratia non fert hæc terra, nec pyra, cæraſa, nuces, aliosve fructus nobis familiares; ſed hi è Damaſco illuc deferuntur. Habentur autem hîc fructus quidam, qui per totum annum in arboribus conſeruantur, vt ſunt poma citrina magna, & poma paradiſi. Colliguntur preterea hic pepones, cucumeres Babylonici, & alij eius generis fructus. balſamum etiam olim proferebat, quo nunc caret. melle tamen affluit, colocaſijs, & ſacchariferis arundinibus; lana etiam ſuccida ibi in fruticetis creſcit, quorum ſemina ſingulis annis in terram proijciuntur. Aprorum, capreolorum, leporum, perdicum, coturnicum, & aliorum huiuſmodi animalium & volucrum optima eſt hic venatio. Leones etiam, vrſi, & cameli innumeri hîc inueniuntur. Cæterùm non nullis in locis Palæſtinæ agri ſunt penè deſerti ob murium & ſoricum abundantiam quos niſi quædam aues deuorarent, nullam ſemẽtem poſſent facere incolæ. Iordanis fluuius mediam hanc regionem irrigat, cuius aqua dulciſſima eſt, in qua peregrini ſeſe abluere ſolent. oritur autem hic amnis in Libani montis radicibus, ex duobus fontibus Ior & Dan vocatis, nec adeò latus nec profundus eſt, & ex Septentrione in Meridiem tendit, ſuoque curſu duos efficit lacus, nempè Samachonitis, hoc eſt Canæ Galilææ, & Tyberiadis, qui etiam mare Calilęæ, & lacus Genezareth vocatur, tãdem in mari mortuo exoneratur.

Fertilitas eximia.

Animalia.

Iordanis flu.

In huius fluuij ripa innaſcuntur ſalix nigra, myrica, vitex, & multa arundinum genera, quibus Arabes ad iacula, tela, & leues lanceas conficiendas, atque etiam in ſcribendo vtuntur. Samachonitis lacus, ſeu potius ſtagnum, alijs Meron dicitur, ſeu Aquæ Maronitæ: efficiturque à Iordane amne in valle quadam, præſertim tempore reſolutionis niuium à Libano fluentium; quod quidem ſtagnum æſtate vtplurimum exſiccatur, creſcentibus ibidē arbuſtis & herbis, in quibus leones & aliæ beſtiæ latitant. Genezareth lacus, ſeu mare Tyberiadis, aut Galilææ, nunc Babariæ dictus, limpidiſſimas habet aquas, ac piſcoſiſſimas, in quas Cyprini, Lucij, Tracæ, & Sualo Romanorum, & Venetorum capiuntur. Lacus is non adeò latè patet, quin terra circumquaque conſpici poſſit. nonnulli ambitum eius tradunt 20. miliarium Italici longitudinem 16. qua ex Septentrione in Meridiem porrigitur, latitudinem verò ſex. planities autem circa ipſum deſertæ ſunt, ob napecæ arboris ſpinoſæ copiam, quæ agros impedit ne ſeri queant. Mare mortuum, vel ſalſum, quod etiam lacus Aſphaltites nuncupatur à bitumine, cuius multi olim hic erant putei, locus eſt vbi fuit olim vallis ſylueſtris, vel ſalinarum, quæ propter fœcunditatem & amœnitatem paradiſo Dei confertur, in qua fuerunt Sodoma, Gomorra, & aliæ tres vrbes, quæ à Domino ob fœdum peccatum ſubuerſæ ſunt, ac fulminibus conflagratæ. Habet autem is lacus longitudinem ab Aquilone in Auſtrum quinque diætarum, & latitudinem ab Ortu in Occaſum quinque leucarum. emittitque fumum & nebulas in modum camini infernalis, ex quo tota illa vallis ad dimidiæ diætæ ſpacium ſterileſcit, neque piſces

Samachonitis lacus.

Tyberiadis lacus.

Mare mortuum.

ces ferens, neque aues circa ſe; & quodcunque animal in eo mergitur etiam ligatis manibus aut pedibus, enatare tamen neque ſubmergi poſſe dicitur. Hæc porrò terra fuit olim populo numeroſiſſima, vt cui nulla Orbis totius prouincia hac in re æquiparari poſſit. Ferunt enim Dauidem Regem in hac numeraſſe 1300000. viros ad pugnam idoneos, præter tribum Beniamin. Terra autem in tres diſtingui partes ſolet, nempè in Galilæam, quæ fuit ſuperior pars verſus Sidonem & Tyrum vrbes Phœniciæ; in Samariam, quæ media eſt; & in Iudæam, quæ inferior eſt pars ad Auſtrum, & Arabiam Petræam: quibus aliqui quartam adijciunt portionem, nempè Idumæam, quæ vſque ad Sirbonis lacum producitur propè Aegypti confinia. de quarum ſingulis ſeparatim pauca dicemus. *Populoſa Iudæa.*

GALILAEA AC SAMARIA.
Cap. 30.

GAlilæa regio Libani & Antilibani altiſſimorum montium iugis à Septentrione clauditur; ab Occidente Phæniciam vicinam habet; ab Ortu Cœleſyriæ coniungitur; ſed Meridionalem eius partem Samaria & Arabia deſerta concludunt. Solum ipſum ſitu felix, optimum & fertiliſſimum eſt, atque omnium generum arboribus conſitum, quod quidem Iordanis amnis per medium ferè ſcindit. iuxta cuius ripas frequentiſſimi ſunt pagi & vici. quinetiam torrentibus & aquarum perennium fontibus irriguum eſt: quo fit vt agri ex toto ab accolis excolantur, nec vlla eius pars otioſa re-

linquatur. Vnde meritò hæc terra olim de palma cum Samaria & adiacētibus regionibus certabat. Ciuitates iſthic frequentes fuerunt, & oppidorum pagorumque multitudo, quorum gentes ab ipſa infantia pugnaces valdè erant. Diuiditur ipſa regio in ſuperiorem & inferiorem. Superior Galilęa quæ gentium eſt Galilæa, contermina Tyro vrbi Phœniciæ, vbi Salomon Rex 25, vrbes Chyram Regi Tyri olim dono conceſſit, & in hac quidem Iordani fontes ſunt. Inferior autem Galilæa Tyberiadis etiam dicitur ab vrbe eius nominis, vel quoniam Tyberiadis lacum complectitur, iacetque ad Meridiem, atque etiam trans Iordanem amnem extenditur, qua ex parte deſertis ſqualet, ac montibus exaſperatur. Eſt autem hęc regio memorabilis nunc, ob inſignem (ſed tamē exiguum) pagum Nazareth vocatum, inter colles irriguos ſitum, vbi Chriſtus conceptus fuit. in eo namque ſacellum exiguum in fornicem extructum, & ſubterraneum; quo per gradus deſcendendum eſt, vbi diuæ Mariæ Virgini annunciatum ab Angelo perhibetur, ipſam Chriſtum Dominum noſtrum parituram. Incolæ huius oppidi Arabes ſunt, corpore breues ac graciles, talarem tunicam geſtantes ad ſuras vſque demiſſam, pilis caprarum contextam, coloribus albo & nigro diſtinctam, atque ſine arte ruditer conſutam; interulam ferunt longiſſimam, & talarem veſtem ſuperantem, cuius manicæ latæ ſunt & longæ. horum pileus eſt niger & acuminatus. Vtuntur autem in bello arcubus, enſibus, & pugionibus. Eſt etiam in hac regione Thabor mons mira rotunditate ſublimis, cuius Septentrionalis pars inacceſſa eſt; & in hoc montę Dominus noſter Chriſtus transfiguratus eſt.

Galilæa Tyberiadis.

Nazareth pagus.

Thabor mōs.

SAMA-

SAMARIA pulcherrimo & vberrimo in loco Palæſtinæ ſita eſt, licet Iudææ, aut Galilææ, inter quas iacet, magnitudine non ſit conferenda. Hæc à Samaro quondam ſic denominata eſt, & habet ab Occaſu æſtiuo Mediterraneum; à Septentrione & Oriente partim Galilææ confinis eſt proximè lacum Tyberiadis; atque Iordanem egreſſa ad Arabiæ vſque deſerta extenditur. Terra partim montibus aſpera, partim campeſtris eſt, amœna, fertilis, ac fontibus dulcibuſque aquis copioſa. abundat autem hortis, oliuetis, & omnibus ad victum neceſſarijs. Vrbes huius prouinciæ memorabiles fuerunt: Samaria quæ Sebaſten poſtea dicebatur, caput olim Regni decem tribuum, quod Regnum Iſraël dicebatur, ſed hodie dirupta penè eſt, domuſque habet perpaucas, & in ea nunc quoque rudera conſpiciuntur magnificorum ædificiorum. Cæſarea Palæſtinæ, vel Stratonis, iuxta littus poſita, quam nunc Azon nominari cenſet Pinetus. Neapolis quæ etiam Sichar, vel Sichem appellata fuit, nunc verò Napoloſa vel Napolitza & Naplos: hæc amœnitate & delicijs nulli locorum cedit, & in accliui colli ſita eſt, caſtellum habens peruetuſtum. prope hanc conſpiciuntur in valle rudera exigui cuiuſdam templi, vbi puteus fuiſſe perhibetur, ad quem Chriſtus ſedens potum à Samaritana muliere petit, quę tunc aquam ex puteo hauriebat. Napoloſæ vicini colles fructiferis arboribus exculti ſunt; oleæ in magnam craſſitiem adoleſcunt, viſcoque rubris baccis prædito onuſtæ.

Samaria vrbs.

Cæſarea.

Sichem hodie. Neapolis.

IVDAEA, IDVMAEA, ET *Phœnicia regiones.* *Cap. 31.*

IVdæa cæteris Palæſtinæ partibus longè celeberrima eſt, quæ eadem terrarum fertilitate qua olim, etiam nunc gaudet. Iacet autem inter mare Magnum Mediterranei, & lacum Aſpaltitem, qui dicitur mare Mortuum, atque inter Samariam & Idumeam. Nomen ei potiſſima Tribus Iuda indidit, in qua quidem, ſicut in reliquis Palæſtinæ locis, vrbes & oppida complura fuerunt: quorum omnium Hieruſalem clariſſima fuit, Iudææque metropolis, ac totius terrarum Orbis primaria, poſſeſſio patriarcharum, prophetarum, & Apoſtolorum mater, initiatrix fidei, & gloria populi Chriſtiani, quæ Aelia Capitolia Ptolemæi tempore vocabatur, & hodie à Barbaris incolis Coz, ſeu Godz, aut Chutz dicitur. huius autem vrbis particularem paulò poſt deſcriptionem adijciemus. Extra hanc eſt vallis Ioſophat, vbi eſt tumulus diuæ Virginis & diuæ Annæ. Regio autem vicina huic vrbi bene culta eſt, & vinetis, malis, amygdalis, ficubus, & oleis diligentiſſimè conſita. Montana verò loca omni arborum genere, ſylueſtribus & aromatis abundant. excolitur autem in ipſis ſcopulis terra ſcalarum in modum ſumma diligentia, montium pars Occidua vitium, aliarumque fructiferarum arborum, vt olearum, ficuum, malorum punicorum opulentiſſima eſt. Præter Hieroſolymam in Iudæa ſunt etiam alia oppida & loca celebria, vt ſunt Bethlehem

Hieroſolima

Tumulus virg. mariæ.

Montana Hieroſolymæ.

Bethlehem.

hem exiguus pagus in Tribu Iuda, qui olim Ephrata vocabatur, eſtque nunc caſulis malè inſtructus, & elegantiæ nihil continet præter magnificum Franciſcanorum monaſterium, in quo locus eſt vbi Chriſtus de Maria virgine natus eſt. Rama vrbs ampla olim fuit, vt ex eius ruderibus apparet. nam vt ait Bellonius teſtis oculatus, ciſternæ & fornices quæ hodie ſuperſunt, maiores ſunt Alexandrinis, licet non adeò frequentes: Rimetha etiam in Sacris literis dicitur, & à Caſtaldo Lyda. ſita eſt autem in pingui & fœcundo ſolo, ſed adeò habitatoribus deſtituitur, vt pagum ſeu villam potius referat: vnde agri magna ex parte ſunt inculti. potior autem incolarum pars Græci ſunt, qui iſthic frumentum, hordeum, legumina, & paucas vites colunt. Gazata vrbs, veteribus Gaza dicta, peruetuſta eſt, & ad Tribum Iuda pertinebat, ſita autem eſt in littore maris, & tranſit per eam via in Aegyptum. muris autem cincta non eſt, & veterem habet arcem quadrangulam in colle ſitam, ſed non firmam, cui præeſt Sangiacus quidam. Ager circa vrbem fertilis eſt, abundatque ficubus, oleis, ziziphis, malis punicis, & vitibus: alit etiam nonnullas palmas, ſed cuius fructus ſerò maturantur, regio etenim frigidior eſt. Incolæ Græci ſunt, Turcæ, & Arabes, qui vineta ſua diligenter colunt. Nonnulli hanc vrbem ſub Idumæa reponunt.

Rama.

Gazara.

IDVMAEA regio incipit à Caſſio monte, vel ſecundum alios à Sirbonis lacu, & verſus Ortum dicitur vſque ad Iudæam. Hæc autem in ſacris literis Edom dicitur, & referente Nigro, olim Boſra, deinde Nabathæa dicta fuit. Hi populi ſecundum quoſdam

hodie

hodie Bidumi vocantur, quos ortum duxiſſe à Nabathæis referunt, qui Iudęis legibus erant coniuncti. Regio ipſa verſus Mare & Iudæam eximiè fertilis eſt & pinguis: ſed in Arabiæ confinibus ſterileſcit & montibus exaſperatur: abundat palmis, quæ ſcriptoribus celebrantur; & balſamum olim quoque nutriebat. Tradunt ſcriptores regionem hanc inexpugnabilem eſſe ab exteris propter loca deſerta & aquis deficientia. Sunt tamen in ea fontes plurimi, ſed abſconditi, & ſolis incolis noti. Natio incondita olim erat, turbarum cupida, ſemperque ad motus facilis & ſuſpecta, rerum mutationibus gaudens. hodie autem Arabibus vicinis ferè ſimiles ſunt.

Idumæa inexpugnabilis.

Phœnicia. PHOENICIAE prouincia quæ Syriæ pars eſt & Galilææ contigua, ad mare expoſita eſt. Initium ſumit ab Aquilone à riuo Valaniæ, & extenditur ad montem vſque Carmelium, celſum & in ſcripturis celebrem, vbi locus eſt qui hodie Caſtrum peregrinorum vocatur, Incolæ fuerunt olim literarum & nauigationum inuentione celebres, & commerciorum domini. Continebat olim hæc terra complures celebres vrbes & oppida, quæ ſunt: Tripolis, Berytus, Sidon, Tyrus, Ptolemaïs, Capernaum, Emiſſa, & aliæ; inter quas Sidon & Tyrus celebres erant ob purpuram tingendis pannis laudatiſſimam. Tyri vrbs celebratiſſima quondam, & Orbis emporium, Romanorum item Colonia, in Sacris literis Sor vel Tzor vocatur, hodie autem Suri vel Sur dicitur: retinetque veteris ſuæ maieſtatis plurima veſtigia; magnum enim murorum habet ambitum, formam rotundam, rupi duriſſimæ inſidens, & vndique Mari circumdata, præterquam ab Oriente, vbi ab Alexandro

Tyrus.

xandro Magno, dum eam obſideret, continenti fuit adiuncta, cùm prius inſula fuiſſet. iacet nunc tota deſtructa, & receptaculum eſt latronum & contumacium Druſorum. Sedes fuit Archiepiſcopalis, cui ſuberant Epiſcopatus Sidonienſis, Aconenſis, Punicenſis, & Berycenſis. Paulò ante eius Orientalem portam locus eſt in quo Chriſtus prædicauit, & vbi mulier extulit vocem in turba dicens: Beatus venter qui te portauit. Sidon metropolis quondam celeberrima, ſplendore ac potentia Tyro haud cedens, magna ſui parte in ruinis hodie iacet. Solum eius fertile eſt, & cannas mellis ſatis producit. vocatur autem nunc Said ſeu Sait. Acon, quæ apud veteres Ptolemais dicebatur, & Ace etiam teſte Strabone, atque ad tribum Aſer pertinebat, amœno montis iugo clauditur, & eſt, vt ait Brocardus, optimè munita, cincta muris, & antemuratibus, turribus, foſſis, triangularem in modum clypei habens formam, cuius duo latera iunguntur mari, tertium verò terræ planitiem reſpicit. Agrum habet fertilem, optima paſcua, vineas elegantes, hortoſque amœniſſimos, in quibus diuerſi generis fructus colliguntur. Ornatur hæc vrbs hoſpitali inſigni domus Teutonicæ, vnà cùm munitiſſimis caſtris; ſed & non parum commodi habet ab optimo Maris portu, capaci ab Auſtro multarum nauium. Præterluit hanc vrbem amnis Belo, qui etſi lentus curſu ſit & inſalubrium aquarum, nihilominus celebris eſt ob arenas, quæ tot retrò ſeculis pro vitro conficiendo vſui ſunt. Berytus antiqua vrbs, & Iulia olim felix dicta, vulgò nunc Barutum dicitur, diſtatque à Sidone 9. leucis. erat olim Epiſcopalis vrbs, nunc autem famoſa eſt ob commercia

Sidon. *Acon.* *Berytus.*

& mercaturam: namque ad eam naues ex Europa & alijs partibus appellunt, vnde Emporium eſt nobiliſſimum. ſita verò eſt in loco tutiſſimo, peneque inexpugnabili. Emiſſa hodie à Turcis Hamam, teſte Bellonio dicitur, & ab Arabibus Hamza. hæc ſita eſt in latè patenti planitie, quam iucundiſſimi alluunt riui, fuitque olim celebris, vt ex eius mœnijs conſpici poteſt, quæ ex ſolido ſaxo conſtructa ſunt, atque etiamnum integra ferè; ſed interior vrbis pars omninò corruit, nihilque ſpectatu dignum habet. Abundat hodie omnibus ad victum neceſſarijs, magnamque habet ſerici ſtaminis abundantiam. ager vrbis irriguis amœnus eſt hortis, in quibus fructiferæ arbores aluntur.

Emiſſa.

VRBIS HIEROSOLYMITANAE deſcriptio. Cap. 32.

SAnctiſſima ac ſpecioſiſſima vrbs Hieroſolyma, ſi quis tres illas nominatiſſimas Mundi partes Aſiam, Africam, & Europam reſpexerit, ſita fuit in medio harum trium, altiſſimis in montibus ac rupibus, veluti Paradiſus & hortus amœniſſimus, fuitque metropolis totius Iudææ, in vniuerſa terra ſancta conſpicua, pulcherrima imago atque typus æternæ ciuitatis Dei, & primaria ciuitas tribus Beniamin, prius Salem, hoc eſt pacifica, dicta, cùm in ea habitaret Rex Melchiſedech pontifex Dei altiſſimi, qui eam poſt Diluuium ædificauit. nec in principio magna fuit, ſita tantùm in monte Sione. Mons Morias autem illo tempore fuit extra vrbem, nondum vrbi inclu-

cluſus, cùm Abraham filium ſuum Iſaac ibidem immolare decreuiſſet. Poſt obitum Regis Melchiſedech, cui Abraham decimas dedit de omnibus ſuis bonis, regnum & principatum in hac vrbe obtinuerunt Iebuſæi, eamque de ſuo nomine Iebus appellarunt. Dauid autem auſpicijs Ducis ſui Ioab eam expugnauit, & eiectis Iebuſæis, nouo indito nomine, Hieroſolymam, hoc eſt, pacis viſionem appellauit, anno Mundi 5871. Sunt tamen nonnulli qui Ieroſolymam à Salomone ita dictam exiſtimant. Accepit & multa alia nomina: Iſaiæ enim 29. cap. vocatur Atiel, hoc eſt, Leo Dei, & mons Libanus, quòd ex cedris Libani eſſet ædificata. Ieremias cap. 23. nominat eam Ahaliba, hoc eſt, Tentorium meum in illa, quòd Deus ipſe in hac vrbe habitarit. Marmorea autem hæc atque aurea ciuitas in quatuor fuit ſita montibus, quadrangularem conſtituens figuram. ex quatuor verò montibus illis, Sion erat altiſſimus, Auſtrum reſpiciens, arce Dauidis & tota ciuitate ſuperiore ornatus. Moriah mons cum pulcherrimo templo, alijſque præſtantibus ædificijs & arcibus, Solem reſpiciebat orientem. Tertius mons Acra, occidentalem vrbis partem complectebatur, vrbem videlicet inferiorem, in qua habitarunt Hannas, Caiphas, Pilatus, Herodes Agrippa, Bernice, Helena, & multi alij potentiſſimi Reges ac Principes. Bezetha Septentrionalis vrbis Ieroſolymę mons, duobus fuit ornatus ſuburbijs. Quadratam porrò habuit figuram, & in circumferentia quadrata habuit ſtadia triginta tria, vel ſi foſſarum ambitum annumeraueris, ſtadia quadraginta, quæ conſtituunt magnum miliare Germanicum. alij qui de quatuor miliaribus loquun-

error temporis

Quatuor montes vrbis.

Sion.

Moriah.

Acra.

Bezetha.

Ambitus vrbis.

loquuntur, Italica ſubintelligunt, quorum quatuor Germanicum conſtituunt. Mons Sion verſus Meridiem omnes alios montes vrbis altitudine ſua ſuperabat, ideoque dictus eſt Sion, hoc eſt, ſpecula ſiue cuſtodia, quòd tota terra Sancta, & vniuerſæ regiones circumiacentes in eo conſpicerentur. In hoc monte ſita fuit ciuitas ſuperior, quam ſcriptura ciuitatem Dauidis appellat. Dauid enim eiectis Iebuſæis hanc vrbis partem pulcherrimis ædificijs ornauit, præſertim autem domo ſua cedrina, quæ in angulo Occidentali verſus Meridiem oppidum Bethlehem reſpiciebat, & nominatur arx Sion, ſiue domus Cedrina Dauidis, qui in ea regiam ſuam arcem habuit, argento auroque depictam, & adulterium ibidem commiſit cum Batſeba coniuge Vriæ Hetthæi, qui & ipſe cum reliquis miniſtris & conſiliarijs regijs, in eodem monte non procul ab arce regia habitauit. Iuxta arcem Dauidis in eadem rupe Sion, conſpecta ſunt ſepulchra & epitaphia regum Dauidis, Salomonis, aliorumque Regum qui illis ſucceſſerunt. Fuit inſuper in hoc monte & ciuitate ſuperiore, verſus ortum Solis hortus regius pulcherrimus & amœniſſimus, non procul à turri fontis Siloas. Ioſephus tradit, Herodem Magnum Iudæorum Regem ſub quo Chriſtus natus erat, ſuperiorem hanc vrbis partem duobus ampliſſimis ac pulcherrimis ædificijs ornaſſe, quibus ſi quis arcem reſpiceret, ne templum quidem poterat comparari. His duabus arcibus ab amicis ſuis nomina dedit; alteram enim Cæſaream appellauit, ab Auguſto Ceſare; & alteram Agrippam à Marco Agrippa Auguſti genero. atque hæc ſuperior ciuitas pars fuit, cuius ambitus fuit ſtadiorum quin-

Arces Herodis.

quindecim, quæ propemodum conficiunt dimidiam miliaris Germanici partem. Dicitur hæc ſuperior vrbis pars Millo, quod plenitudinem ſignificat, fuit enim in illa omnium rerum plenitudo & abundantia. Cùm autem mons Sion rupes eſſet altiſſima & prærupta, vt nullibi, niſi in medio, ex parte Boreali poſſet aſcendi; gradus erant, qui de ciuitate Dauid deduxerunt in ciuitatem inferiorem, in vallem portarum, quæ vocatur Thyroreion. In inferiori parte horum graduum è regione vallis Cedron, fuit porta Sion, per quam aſcendebatur in montem ad ciuitatem ſuperiorem, altitudine ſeptingentorum & octoginta pedum. fieri tamen poteſt, in alia etiam montis parte obliquam fuiſſe viam, per quam equi & currus paulatim aſcendere potuerint. Verſus Orientem mons fuit Moriah, rupes duriſſima & prærupta, vt nullibi poſſet aſcendi, niſi à parte Orientali, vbi paulatim per gradus aſcēdebatur in templum: in reliquis tribus partibus inſtar muri hic mons fuit præruptus. Et quamuis altitudine ſua monti Sion non reſponderet, celſitudo tamen eius ad ſexcentos pedes ſeſe extendens, aſpicientibus horrorem incutiebat; & in ſummitate planities erat pulcherrima, in qua Abraham olim filium ſuum Iſaac immolare voluit, quo tempore mons extra vrbem adhuc erat; ita vt Melchiſedech ex ciuitate ſua omnia quę ibi agerentur videre potuerit. Poſt annos autem octingentos & quinquaginta, Dauid expugnata Ieroſolyma, & eiectis Iebuſæis, montem hunc cum vicina rupe Acra, muro cinxit & vrbi incluſit. Præterea etiam in monte hoc fuit horreum Araſna Iebuſæi, vbi Dauid ſtructo altari holocauſtum Domino obtulit, eumque re-

Gradus ex Sione.

Mons Moriah in quo templum ſtetit.

conciliauit cùm Angelus peſtis tempore Ieroſolymam candenti percuteret gladio. Et eodem in loco vbi fuerat horreum vltimi Regis Iebuſæorum, Salomon poſtea templum ædificauit.

DESCRIPTIO TEMPLI HIEroſolymitani. Cap.33.

TEmplum in monte Moria ex candido marmore ædificatum, fuit pulcherrimum & artificioſiſſimum: commiſſuræ enim ſiue iuncturæ lapidum videri non poterant: parietes etiam interioris templi fuerunt cedrini, artificioſiſſimè exſculpti angelis Cherubim, ramis palmarum, & floribus varij generis, obducti inſuper auro precioſiſſimo, & ornati gemmis translucidiſſimis. atque ita ſuperior pars domus omneſque parietes fuluo refulgebant auro, imò ipſum etiam pauimentum laminis aureis fuit obductum. Et vt breuibus multa dicam, vniuerſum templum in longitudine & latitudine centum reſpondens cubitis, in altitudine autem ad centum & viginti cubitos ſeſe extollens, intrinſecus vndique fuluo coruſcabat auro; extrinſecus autem candido & expolito ſuo marmore. candidæ gemmæ, ſiue vnionis & margaritæ ſplendidiſſimæ referebat ſpeciem. Tectum templi abiegnis tabulis opertum, laminiſque aureis obductum, aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus auibus pollueretur, aut ſtercore earundem macularetur. Iter ſuſcipientibus Ieroſolymam, candidus ille marmor, tectumque templi fuluo coruſcans auro, nimio ſuo fulgore percutiebat & obcæcabat oculos. Introrſum autem templum Domini verſus Occidentem

Aureum tectum.

tem habuit chorum ſiue adytum ſanctiſſimum, quadratam habens formam, longitudine, latitudine & altitudine ſua ad viginti ſeſe extendens cubitos. In hoc nemini licitum fuit introire, niſi ſummo Pontifici, idque ſemel tantùm quotannis, in feſto nimirum propitiationis. In medio huius adyti duo conſiſtebant Cherubim, ex lignis oliuarum fabricati, & pretioſiſſimo auro obducti, qui duorum iuuenum effigiem repræſentantes, ad altitudinem decem cubitorum ſeſe extollebant, ſolem reſpicientes orientem, alaſque ſuas exteriores extendebant ad parietes ſanctiſſimi adyti, quamuis interiores alæ ſe mutuò contingerent, obumbrantes in priori templo arcam fœderis, quæ tamen poſt captiuitatem Babylonicam in ſecundo templo non fuit inuenta: tunc enim ſoli angeli Cherubim in hoc ſanctiſſimo templi adyto conſpecti ſunt. Paries ante adytum aurò fuit ornatus fulgentiſſimo, & artificioſiſſimè exſculptus, fuitque in eo porta prorſus aurea, cuius fores ampliſſimæ aurò erant obductæ precioſiſſimo, & ſingulari artificio elaboratę. per hanc portam factus eſt ingreſſus in Sancta ſanctorum, vbi Dominus ipſe reſpondebat per Vrim & thummim. Cæterùm in eadem porta pendebat velum ſericum varij coloris, figuras angelorum Cherubim exprimens. hoc velum in morte Chriſti ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque ad imum, hoc ſignificans quòd ſublato ſacerdotio Aaronico, & confecta reconciliatione generis humani cum Deo, per Chriſtum filium ipſius vnigenitum, nunc deinceps omnibus qui in eum crederent, pateret introitus ad thronum gratiæ & cœleſtia gaudia.

Velum ſericum in morte Chriſti ſciſſum.

Ante adytum verſus Orientem fuit & aliud ſanctuarium in templo, habens in longitudine quadraginta, in latitudine viginti, in altitudine triginta cubitos. Hoc ſanctuarium deauratis parietibus erat munitum, vocabaturque ſacrarium ſanctum; nemini enim huc patebat introitus, niſi ſolis ſacerdotibus, qui thimiamata incendebant. In medio huius ſacrarij ſtabat altare thymiamatis, aureis laminis vndique opertum, vbi angelus Gabriel cum Zacharia ſacerdote collocutus eſt. E regione aræ huius ſuffitoriæ, ad Auſtrale latus ſtabat candelabrum aureum, & ad Septentrionale latus menſa aurea cum panibus propoſitionis. Aderant & aliæ decem menſæ, excepturæ lances & crateras ad offerendum in eis ſimilam, & decem alia candelabra, floſculis, lilijs, & lucernis aureis exornata. *Fores ſanctuarij.* Fores portarum ad hanc domum verſatiles, fabricatæ erant ex abiegnis lignis, inſculptis Cherubim, palmiſque & patulis floribus, hiſque tum auro inductis, deſuper vela erant appenſa, illi velo ſimilia, quod oraculari ianuæ erat prætenſum. Fuerunt etiam in templo ad vtrunque latus per circuitum ædiculæ tabulatæ, trina contignatione alteræ alteris impoſitæ, ad quas in dextro latere templi aſcendebatur per cochleam, & conſeruabantur ibidem vaſa templo ſacrata, & cæteræ quæque res precioſiſſimæ. *Aediculæ tabulatæ.* Hæ ædiculæ tabulatæ & cænacula aurea, ſingulari tecto aureo coruſcabant, atque ita factum eſt, vt templum Domini bino refulgeret faſtigio. feneſtræ intrinſecus laxiores erant, extrinſecus autem anguſtiores. Portæ in circuitu templi precioſiſſimo auro obductæ, in latitudine ſedecim, in altitudine autem viginti quinque complectebantur cubitos.

Sed

Sed verſus Ortum præſertim, porta erat templi ampliſſima, quæ ſuperior domus Domini porta dicebatur, quam Iotham inſtaurauit. Hæc porta ad ſeptuaginta ſeſe extollebat cubitos, foreſque eius verſatiles in latitudine cubitos habebant viginti, erantque eis inſculpti Cherubim, flores & palmæ, & præcioſiſſimæ gemmæ obducto auro inſertæ. Paries quoque Orientalis ad hanc portam fuluo coruſcabat auro, vitis referens ſpeciem, cuius aurea folia hominis ſtaturam ſiue magnitudinem adæquabant, quibus vuæ Criſtallinæ eiuſdem magnitudinis erant incluſæ. In porta autem illa altiſſima velum pendebat Babylonicum, Hyacintho, byſſo, & cocco variegatum, mirabili opere factum, neque contemplationis expers, colorum permixtione omnium rerum imaginem præferens: Cocco enim viſum eſt ignem imitari, byſſo terram, hyacintho aërem, & purpura aquam Maris: byſſum enim terra, & purpuram mare gignit. Erat præterea huic velo omnis Cœli ratio, præter ſigna, intertexta. Hoc velum ſpirante vento in morem vexilli agitabatur.

Vitis aurea, & vuæ Criſtallinæ.

DE VESTIBVLIS SIVE Atrijs templi. Cap. 34.

VErſus Oriemtem domus Domini tria habuit veſtibula, omnium quidem generum politis ſtrata lapidibus, marmoreis etiam columnis, ſpacioſiſque porticibus, nec non patentibus portis & excelſis pinnis ac turribus, ſque adeò ſumptuoſa, magnifica, & illuſtria, vt totius Orbis miracula viderentur. In his veſtibulis

ſub dio effundebantur preces ad Dominum, quæ vt Auguſtinus ait, arma ſunt Eccleſiæ. In veſtibulo ſuperiori ſiue ſacerdotum, holocauſta & alia ſacrificia offerebantur Domino, ideoque ſolis ſacerdotibus & Leuitis hoc ipſum patebat. In veſtibulo medio ſiue atrio Salomonis, Chriſtus Mediator noſter docuit, & populus Iudaicus ibidem inuocauit nomen Domini. Veſtibulum autem exterius, contra vetus archetyptum ab Herode Rege templo adiectum ethnicorum fuit fanum, qui & ipſi Ieroſolymam commigrantes, in hoc veſtibulo Deum Iudæorum ſummo afficiebant honore. Hæc tria veſtibula Domini quadrata circumdederunt templum, marmoreiſque lapidibus, columnis argento atque auro fuerunt ornata, præſertim verſus Orientem, vbi hæc atria fuerunt ampliora, vt ex pictura quam Itinerario ſuo Buntingus inſeruit clarius intelligere lector poteſt. Hoc loco & illud conſiderandum, quoties in hac ſancti templi deſcriptione cubitorum fit mentio, cubitus Geometricus intelligatur, qui ſex palmos minores, ſiue ſeſquipedem conſtituit. duo igitur cubiti conſtituunt pedes tres. Deinde & hoc obſeruandum: Salomonis templum à Nabuchodonoſore conflagratum, duo tantùm habuit veſtibula: Sic & ſecundum templum à Serubabel & Ieſu filio Iozedeck renouatum, cui viginti cubiti, ſi cum priore templo conferatur, in altitudine defuerunt, duobus tantùm veſtibulis claudebatur. Herodes autem Aſcalonita, magnus ille ac præpotens Iudæorum Rex, Antipatri Idumæi filius, cùm ſedecim annis ànte natum Chriſtum, ſublato ſecundo hoc templo, vt Ioſephus vult, nouum prorſus conderet; vel quod veriſimilius

Cubitorum menſura.

Reparatio templi.

ſius eſt, ſecundum hoc fanum renòuaret, adiectis in altitudine viginti cubitis, tertium quoque adiecit veſtibulum, vt eſſet atrium ſiue ſanctuarium peregrinarum variarumque gentium.

Fuit & medium veſtibulum, Salomonis videlicet atrium, murorum interſectione diuiſum in partes duas, ita vt à Septentrione fœminæ, à Meridionali autem eiuſdem veſtibuli parte, viri qui ſecundum legem Domini pro immaculatis haberentur, preces ſuas Domino offerrent. Atque hæc eſt cauſa cur Ioſephus contra Appionem quatuor numeret atria, cùm principaliter tria tantùm fuerint veſtibula.

QVOMODO VRBS HAEC, CVM à Tito Cæſare funditus eſſet euerſa ac deleta, ab Aelio Adriano Cæſare inſtaurata ac reædificata, de ipſius nomine Aelia ſit appellata. Cap. 35.

CVM prolixè ſatis & Ioſephus & Egeſippus ſanctiſſimæ huius vrbis excidium deſcripſerint, ſuperuacaneum fortaſſe erit hoc loco de miſeranda iſta vaſtatione verba facere, præſertim cùm eius belli & obſidionis compendioſæ deſcriptiones nuſquam non circumferantur; omnium verò dilucidiſſimè eam percurrat Buntingus in Itinerario ſuo,

quapropter nunc ad nouæ Hieroſolymæ breuem deſcriptionem pergamus, ea verò ſic ſe habet: Poſt exciſionem ac diſperſionem Iudæorum, Imperator Aelius Adrianus ruinas & ſaxa murorum ex ipſis fundamentis erui curauit, omneſque iuſſit lapides in minutiſſimas partes confringi, diminui atque diſſipari. adimpleri enim oportuit vaticinium Chriſti Saluatoris dicentis: Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non diruatur ac frangatur. Cùm itaque Adrianus quicquid de vrbe Ieroſolyma remanſerat, in puluerem atque cinerem redegiſſet, nomenque vrbis Ieroſolymæ prorſus deleuiſſet ac ſuſtuliſſet; nouam deinde vrbem, non in priori, ſed vicino loco, circa ſepulchrum Chriſti videlicet, ædificauit; eamque de ſuo nomine Aeliam appellauit. Hæc ciuitas poſita eſt ad montes Gihon atq; Golgatha, vbi Chriſtus Saluator noſter crucifixus eſt. Ioui etiam atque Veneri hîc templa ædificauit, & in loco prioris templi, vbi fuerat ſanctiſſimum adytum, equeſtrem erexit ſtatuam, ſui videlicet imaginem, ſtantem in columna marmorea. In oppido etiam Bethlehem Adonis idolo idem Imperator ſingulare templum ædificari & conſecrari curauit. Equeſtris autem illa ſtatua, quam in loco ſanctiſſimi Salomonis templi erexerat, ſancti Hieronymi etiam tempore, quadringentis nimirum annis poſt natiuitatem Chriſti, adhuc conſpecta eſt. Porcorum etiam imagines marmoribus inciſas in Iudæorum contumeliam atque ludibrium ſupra portas nouæ huius vrbis conſtituit, eaſq; mænibus includi curauit, vrbemq; vt Dion tradit, de ſuo nomine Aeliam Capitolinã Ioui Capitolino cõſecrauit, omnibuſq; Iudæis ingreſsũ in hãc ciuitatem

Adonis tẽplum.

tatem

tatem in perpetuum interdixit, vitæ atque capitis periculum minitatus ſi accederent. Chriſtianis au- tem alijſque omnibus gentibus erat in hac ciuita- te habitare. Hoc noſtro quidem ſeculo noſtrates plerunque Ieroſolymam hanc vrbem vocant, cùm tamen in alio ſita ſit loco, & vna cum loco nomen etiam mutauerit: nam & hodie ab incolis terræ ſanctæ vero ſuo nomine Aelia appellatur.

Aelia Capitolina.

Conſtantino Magno Imperatore, Iudæi fre- quentes conuenerunt, & ſingulari audacia cona- ti ſunt vrbem Ieroſolymam templumque Salo- monis iuſto in loco inſtaurare & reædificare: Cæ- ſaris autem iuſſu repulſi ſunt, aureſque eis præci- ſæ, quod aures habuiſſent, ſed nec audire voluiſ- ſent nec Chriſto obtemperare.

Helena Conſtantini mater templum Veneris in vrbe Aelia deſtruxit, & in monte Golgatha a- liud ædificauit templum, quod Golgathanum di- cebatur. In monte oliuarum quoque locum aſ- cenſionis Chriſti ſingulari ornauit templo. Ipſe autem Conſtātinus ſepulchrum Domini ampliſ- ſimo ac pretioſiſſimo templo decorauit; quod au- ro, argento, expolitiſſimoque refulſit marmore, totiuſque vrbis decus fuit & ornamentum.

Aures Iudæis præciſæ.

Anno Chriſti 363. Iulianus apoſtata Iudæis conceſſit vt templum Salomonis inſtaurarent, vt ſic Chriſtum dicentem: Domus veſtra relinque- tur vobis deſerta, mendacij arguere poſſet. Iudæi igitur frequentes perrexerunt Ieroſolymam, vr- bemque ac templum priori loco vbi antea ſtete- rant, cœperunt reſtituere ac reponere. Ecce au- tem non ſine maximo miraculo, ingens exoritur terræmotus, qui terribili ſonitu ſaxa ex ipſis fun- damentis diſiecit, & montes atque vales æquauit.

Ignis ſimul è terra erumpens, pariterque de Cœlo decidens, ædificia & Iudæos ſimul qui ædificabant, combuſſit ac diſperſit. Et ne Iudæi caſu idipſum contigiſſe exiſtimarent, crux in Cœlo apparuit: noctu etiam paruæ cruces veluti ſtellulæ, in omnium inciderunt Iudæorum veſtimenta, tam firma impreſſione, vt nullo modo poſſent ablui aut expungi. Hoc tantum miraculum alius deinde terræmotus inſecutus eſt, qui calcem omnemque materiam ad ędificationem collectam per aërem diſſipauit. Atque ita Iudæi nolentes volentes coacti ſunt de ſuo propoſito deſiſtere, nec non ſine maxima animi conſternatione fateri, Ieſum Chriſtum quem patres eorum crucifixiſſent, verum fuiſſe Meſſiam, filium Dei & Dominum gloriæ.

Pœnæ miraculoſæ.

Iudæi lachrymas ſuas emere coacti.

Hieronymus & Nazianzenus ſcribunt, Iudæos quotannis ipſo die excidij Ieroſolymitani eodem in loco vbi olim ſita fuerat, conueniſſe, & miſerabili planctu ac eiulatu vrbis euerſionem ac deuaſtationem defleuiſſe: vtque hoc ipſis permitteretur, maximam cogebantur pecuniæ ſummam enumerare. nulli enim Iudæorum abſque vitæ & capitis periculo licitum fuit locum iſtum adire.

Coſroes.

Anno Chriſti 615. Coſroes Perſarum Rex, homo tantæ impietatis & arrogantiæ, vt pro Deo etiam adorari voluerit, irruptione facta in vrbem Aeliam 90000. trucidauit, ipſamque ſanctam crucem cum Patriarcha Ieroſolymitano multiſq; Chriſtianis captiuos abduxit. Imperator autem Heraclius viciſſim Perſiam ingreſſus, ferro & igni omnia deuaſtauit, Razatem Perſarum Ducem haud procul à Niniue inſigni prælio vicit: Niniuen quoque cepit; Coſroen autem Perſarum Regem in carcere necauit proprius filius Siroës, qui paulò an-

lò antè regnum inuaſerat. Idem quoque Siroës ſanctam Crucem, & Zachariam patriarcham Ieroſolymitanum Heraclio reddidit. His rebus præclarè geſtis, Heraclius finito bello Perſico quod ſex integros annos durauerat, ſeptimo anno primùm Hieroſolymam cum ſancta cruce & patriarcha Zacharia reuerſus, celebri pompa in montem Caluariæ aſcendit; & paulò poſt inſigni etiam triumpho Conſtantinopolim eſt ingreſſus. purpuratus enim aureo inuectus curru, non lauream manu, ſed lignum crucis tenebat, non ſine maximo Populi Rom. applauſu & gratulatione. Non ita diu poſt hanc victoriam, Haumar ſupremus Saracenorum princeps, qui tertius fuit poſt Mahumeten, infeſto exercitu Iudæam & Syriam ingreſſus, has regiones ſingulari crudelitate ſubegit; anno ſcilicet ſexcēteſimo trigeſimo ſeptimo. Sequenti autem anno Sophronius Hieroſolymitanus patriarcha, ſuprema anguſtia & inedia coactus vrbem poſt biennalem obſidionem Saracenis tradit, & paulò poſt mœrore confectus obit. Haumar verò omnia crudeliter vaſtans, ex templo ſancto blaſphemiæ Mahumetanæ oratorium facit. ab hoc tempore Aelia annis quadringentis quinquaginta ſub Saracenorum poteſtate permanſit.

Triumphus Heraclij.

Saracenorũ irruptio.

Anno Chriſti milleſimo duodecimo Caliphas Aepyptiorum Sultanus templum Sepulchri à Conſtantino extructum funditus euertit. Paulò poſt tamen Turci ex Scythia per montana Caſpia progreſſi, & Mahumeticam hæreſin amplexi, præſidium Saracenorum vrbe Aelia pellunt.

Caliphas templum ſepulchri deſtruit.

Ita Saraceni & Turcæ vtrique Mahumetiſtæ, ipſi aliquoties inter ſe de hac vrbe hoſtili manu decertarunt; & Chriſtiani coacti ſunt eis de quarta vrbis parte in qua ſepulchrum erat, tributum pendere. Templum enim ſepulchri à Calipha deſtructum, auxilio Imperatoris Conſtantinopolitani renouarunt.

DESCRIPTIO VRBIS AELIAE ſiue Ieroſolymæ, ſecundum formam quam hoc noſtro tempore habet. Cap.36.

CVM Ieroſolymorum vrbs anno Chriſti 1516. à Selimo Turcarum Imperatore occuparetur, plurima in ea erãt loca deſerta compluresque ruinæ, ita vt ciuitas ad dimidiam fermè partem prorſus eſſet vacua. Solimannus igitur Turcorum Imperator, Selimi filius, anno poſt Chriſti natiuitatem 1542. eam inſtaurauit, pluribusque ornauit ædificijs; murosque extendẽs ampliorem eam reddidit, ita vt hoc noſtro tempore pulcherrima ſit ciuitas altiſſimis rupibus poſita. Habet hæc vrbs multa egregia ædificia, præſertim autem duo templa ampliſſima & pulcherrima, Sancti ſepulchri nimirum, & templum Salomonis. Quamuis etiam Adrianus Imperator antiqua Ieroſolyma funditus euerſa & ſolo æquata, nouam ſuam ciuitatem Aeliam, non priori ſed vicino loco, iuxta ſepulchrũ Chriſti conderet; nunc tamen & illa pars vrbis, vbi antiqua ſita fuit Ieroſolyma, iterum habitatur. licet tantæ vrbis capacitate conſiderata, pauci in ea ſint ciues & habitatores.

tores: incolę enim in continuo fermè timore ſunt conſtituti. Portas habet hæc ciuitas octo, Piſcium videlicet, Veterem, Ephraimiticam, Angularem, Stercoream, Ouiariam, Auream, & Fontalem. Ephraimitica porta, hodie à ſancto Stephano, qui extra eam lapidatus eſt, ſancti Stephani porta appellatur. Aurea verò porta illa dicitur, quæ olim fuit ianua templi ſpecioſiſſima. Ad portam autem fontis Siloæ, hodie monſtratur locus vbi Eſaias propheta ſerra diſſectus fuit, qui ibidem non procul à monte offenſionis dicitur ſepultus.

Portæ S. Ieroſolym.

DE TEMPLO SANCTI SEpulchri. Cap. 37.

TEmplum ſepulchri Dominici, in vrbe Ieroſolyma ſitum eſt verſus Occidentem, & quondam ædificatum eſt à Conſtantino Imp. mira pulchritudine, ita vt candido & expolito marmore, argento atq; auro refulgeret. Cùm autem Caliphas Aegyptiorum Sultanus hoc templum deſtruxiſſet, Chriſtiani illud Conſtantinopolitani Imperatoris auxilio renouarunt, ita vt & hodie ſit conſpicuum, figuræ circularis, habens columnas ſeptuaginta tres intrinſecus, quarum quælibet pręter baſes eſt longitudinis triginta pedum. ſeptuaginta itidem tres pedes idem hoc templum per diametrum inter columnas habet, tectumque eius ex plumbo conſtructum eſt. In medio autem eiuſdem tecti apertura eſt ſphęrica, par ua turri ornata, quæ in circuitu feneſtras habet, vt diei lux per eam intret; atque ita Dominici ſepulchri crypta ſub hac turri veluti ſub dio ſita videatur. Templum Golgathanum huic adhæret, & eſt oblon-

oblongum, choro Sancti ſepulchri contiguum; paulò tamen demiſſius, ſuntq́; ambo ſub eodem tecto.

Spelunca ſepulchri Domini quadrata, tam in longitudine quam in latitudine pedes habet octo & exterius vndique tecta eſt marmore candido. Rupes autem ipſa excauata intrinſecus eſt nuda, ſicut fuit ſepulturæ tempore. Oſtium hæc ſpelunca habet verſus Orientem, demiſſum valdè & paruum, per quod patet ingreſſus ad ſanctum Sepulchrum. Tumba verò ſancti ſepulchri eſt ad dextram ingredientis, iuxta parietem ad Septentrionem, ex marmore griſei coloris, alta à ſuperficie pauimenti palmis tribus, longa autem pedibus octo, ſicut & ipſa crypta intrinſecus æqualem habet longitudinem. Lumen diei hæc ſpelunca, cùm feneſtram non habeat, non recipit, ſed continuè pendent nouem accenſæ lampades ſupra ſepulchrum Domini, lumen adminiſtrantes. Ante hāc cryptam alia etiam eſt ſpelunca, eiuſdem longitudinis & latitudinis, per quam intratur in poſteriorem ſancti ſepulchri cryptam, per parietem, quo hæ duæ ſpeluncæ in duas æquales diuiſæ ſunt partes, quamuis extrinſecus vna videatur ſpelunca. Et in priori quidem crypta pars adhuc eius monſtratur lapidis, qui ianuæ ſancti ſepulchri Chriſti, reſurrectionis tempore obuolutus fuit. altera autem eiuſdem lapidis pars in montem Sionem trāſlata fertur, vt ſupponeretur altari, quod Armenij ibidem ædificarunt. Pendent & in priore ſancti Sepulchri ſpelunca nouem lampades lucem præbentes eis, qui ab ortu Solis per eam ingrediuntur, atque ita in vniuerſum octodecim in ſancto Sepulchro pendent lampades.

Dua lapidis ſancti monumenti partes.

Mons

Mons Caluariæ, ſuper quo Dominus cruci affixus eſt, rupes mixti coloris apparet, ex candido colore interdum paululum rubeſcens; diſtans à loco ſancti ſepulchri pedibus centum & triginta: & aſcenditur ad locum vbi crux infixa fuit rupi, per gradus octodecim, quæ altitudo viginti nouẽ reſpondet pedibus. Foramen in quo crux firmata fuit, tantæ latitudinis eſt vt caput hominis recipiat, & vt monachi eiuſdem templi teſtantur, conſpicitur in illo foramine color ſanguinis benedicti Saluatoris. A latere manus ſiniſtræ Domini pendentis in cruce, ædificatum eſt altare marmoreum valdè decorum: & pauimentum eiuſdem ſacelli ſtratum eſt marmore, & parietes eius marmore tecti, refulgẽtes Muſaico opere ex auro puriſſimo. Monſtratur etiam in templo hoc Golgathano pars columnæ illius, ad quam Dominus flagellatus eſt, coloris ſubnigri, quibuſdam maculis rubeis naturaliter inſertis, quas multi exiſtimant guttas eſſe ſanguinis Chriſti. altera pars eiuſdem columnæ Conſtantinopolim translata creditur.

Columna ad quam Chriſtus fuit flagellatus.

DE TEMPLI SALOMONII hoc noſtro tempore diſpoſitione. Cap. 38.

TEmplum Salomonium in vrbe Ieroſolyma verſus Solis exortum inuenitur. Cùm enim ciuitas ampliaretur, Salomonis etiã templum priori ſuo loco reædificatum eſt à Chriſtianis. Fanum hoc altum & valdè amplum, opere rotundo & Græco labore fabricatum eſt, candido expolitoque conſtans marmore, miræ magni-

magnitudinis, intrinſecus non ſolùm, verùm etiā exterius artificioſiſſimo refulgens opere, plumbóque deſuper tectum, ſectis politiſque ſuis lapidibus marmoreis ſingularem exprimit venuſtatem atque pulchritudinem. Et in ſummitate tecti eclypſim Lunæ poſuerunt Turcæ, ſicut facere ſolent in cunctis ſuis templis, in quorum ingreſſu plerumque dimidiam collocant Lunam. Saraceni atque Turci templum hoc admodum religioſè venerantur, ſummoque in honore habent, & iuxta conſuetudinem Mahumeticam pulcherrimis & artificioſiſſimis idipſum picturis ornarunt, nullique Chriſtianorum quemadmodum neque Iudæorum acceſſum aut ingreſſum in hoc fanum, niſi cum vitæ diſcrimine, permittunt. Ipſi autem Saraceni atque Turcæ quoties ingreſſuri ſunt, puriſſima ſe prius abluunt aqua, & poſtea nudis ingrediuntur pedibus, ac ſeptingentis hoc templum quod ſanctam vocant petram interdiu ſicut & noctu lampadibus illuminant. In medio enim huius fani rupes eſt parua, ferro vndique cancellata, ad quam nullus Saracenorum aut infidelium audet vel præſumit appropinquare, quamuis à procul diſſitis veniant regionibus rupem illam deuotè viſitantes. Multa enim & magna credunt opera admiratione digna, in illa rupe fuiſſe facta: Melchiſedecum imprimis ſacerdotem Dei altiſſimi, panem ſuper eam obtuliſſe atque vinum. Iacobū quoque patriarcham hic per ſomnum ſcalam vidiſſe exiſtimant, cuius ſummitate Cœlos attingeret. quod tamen non Ieroſolymæ, ſed in Bethel contigiſſe ſacræ teſtentur literæ. Dauidem inſuper hic Angelum Domini conſpexiſſe affirmant, euaginato populum percutientem gladio, tempore pe-

Chriſtianis & Iudæis præcluſus in templum introitus.

Rupis huius antiquitas.

re peſtis. arbitrantur etiam, ſacerdotes veteris teſtamenti ſuper hanc rupem olim holocauſta Deo obtuliſſe, quæ iam cœleſti fuerint abſumpta, quod tamen cùm ſacra ſcriptura minus congruit. Deinde iuxta vulgarem etiam Iudæorum opinionem ſibi perſuadent Ieremiam prophetam, circa tempus captiuitatis Babylonicæ huic petræ incluſiſſe arcam fœderis, donec Dominus populum ſuum iterum educeret ex captiuitate Babylonica: quod ipſum cum ſecundo quoque libro Macchabæorum pugnat, vbi arca fœderis monti Nebo exiſtimatur fuiſſe incluſa, in quo Moyſi mōnſtratus eſt ſitus vniuerſæ terræ Canaan. Credunt inſuper Saraceni & Turci, Chriſtum ſuper prædicta rupe fuiſſe oblatum, cùm Simeon iuſtus eum acciperet in vlnas ſuas: & in ea ſediſſe cùm eſſet annorum duodecim in medio doctorum. quód ipſum tamen non in ipſius templi fano, ſed in medio eius veſtibuli factum fuiſſe, ipſæ ſacræ ſcripturæ circumſtantiæ declarant. In medio enim iſtud veſtibulo, in porticu nimirum Salomonis, vbi Chriſtus plerunq; docuit. ibidem etiam populi factus eſt conuentus. Circa templum hoc Salomonis lata quædam planities eſt, vt noſtra ſunt cœmiteria, marmoreis lapidibus ſtrata: huic adiunctum eſt oblongum quoddam templum, plumbó deſuper tectum, olim porticus Salomonis dictũ. Sed cùm Hieroſolyma ſub poteſtate Chriſtianorum eſſet, eccleſia illa à beata Virgine Maria nomen ſortita, Sanctæ Mariæ ædes fuit vocata. octingentas ſemper in illa Saraceni lampades habent, cùm in ipſo Salomonis fano ſeptingentæ tantùm lumen adminiſtrent: Eccleſia enim hæc oblonga ipſum templum Salomonis magnitudine ſua ſuperat.

Planities marmoribus ſtrata.

ignе.

Aegyptiorum Sultanus ante annos centum nouum ædificauit templum,non procul à tẽplo Salomonis,in qua octoginta & octo ſemper habentur lampades accenſæ.Sub ipſa Eccleſia B. Mariæ virginis, quæ & porticus dicitur Salomonis, eſt ſtructura quædam ſubterranea, mirabilis & lata, vt ſexcenti equi commode ibi poſſint locari. Atq; ita videmus templum Salomonis vrbemque Ieroſolymam, non ſolùm in Turcorum iam eſſe poteſtate, ſed locum etiam cum Mahumetis blaſphemo dogmate prophanatum. Atque ita abominatio deſolationis ſtat in loco ſancto,vbi quondam fuit ſanctiſſimum adytum templi.

Structura ſubterranea, equorum ſtabulum.

DE CAETERIS AEDIFICIIS *vrbis Aeliæ, varijsque ſancti ſepulchri ordinibus.*

Cap. 39.

MOns Sion Ieroſolymæ verſus Auſtrum ſitus eſt, & monſtrantur ibidem ruinæ arcis Dauid,& ſepulchra regum Iſraël. quamuis Oroſius & alij hiſtorici ſcribant Cæſaris Adriani tempore terræmotum in Iudæa contigiſſe,cuius terribili concuſſu & cõmotione mons Sion cum ſepulchro Dauidis fuerit collapſus. Omnes quidem inde venientes teſtantur pulcherrima & ornatiſſima etiamnum ibidem ædificia cõſpici.nam & Piſani arcem ibi habent validiſſimã mul: æque ibi ſunt Eccleſiæ & ſacella Chriſtianorum, turribus etiam hæc ciuitas ornata eſt com pluribus,in quarum ſummitatibus Lunata plerũque conſpiciuntur inſignia,Saracenorum, Turcarum

rúmque proprietatem deſignantia. Sunt in vrbe Ieroſolyma ſicut & in vniuerſa Iudæa, tecta ædificiorum plana, cancellis vndique cincta, vt in eis poſſint fieri obambulationes, & communia etiã celebrari, ſicut ſub veteri quoque Teſtamento, & Chriſti etiam temporibus Iudæi facere conſueuerunt.

In Eccleſia montis Caluariæ oblonga, quæ templo Dominici ſepulchri adiuncta eſt, complures habentur Ordines ex diuerſis ac varijs nationibus, Chriſtianos ſe vocantes, cùm tamen in doctrina maxima ſit diſcrepantia: Latini videlicet, Græci, Abyſſini, Armenij, Georgiani, Neſtoriani, Suriani, Iacobitæ, & multi alij monachi ſuas hic habent diſtinctas manſiones & cellas, in quibus ſeorſim ac ſeparatim habitant. Latini Catholicæ ac Romanæ ſunt religionis, Franciſcani nimirum monachi ordinis minoris, nudis incedentes pedibus, hi ſanctum cuſtodiunt & venerantur ſepulchrum. *Varij Ordines ſepulchri Dominici.*

Creantur hic equites aurati, Romanis ceremonijs inaugurati, ſancti Ioannis Baptiſtæ ordinis, dicti Templarij, vt ſeſe Turcis atque Saracenis, qui Catholicam Romanam religionem oppugnanr, viriliter reſiſtant, Pontificemque Romanum cui iuramento ſunt obſtricti, eiuſque doctrinam defendant fortiter. His datur cingulum holoſericum purpurei coloris, de quo dependet enſis formoſiſſimus, fuluo puriſſimoque ornatus auro. Calcaria inſuper aurea adduntur, quæ purpureis alligantur corrigijs holoſericis. *Equites aurati Ieroſol.*

Donantur præterea aurea catena, cuius pretium exiſtimatur centum Ducatorum Vngaricorum. hæc Catena cruce Ieroſolymitana inſe-

rius ornata eſt ad pectus dependente, cuius formam ſeu effigiem in libello inſignium videre eſt. Talem etiam Crucem purpurei coloris, hi equites aurati, Rom. Pontificis beneficio, in veſtibus atq; in clypeis circumferunt: Iuramento ſe Pontifici Romano eiuſque doctrinæ obſtringentes, digitis in ſacrum Chriſti ſepulchrum impoſitis.

Crux Hieroſolymitana.

DE RELIQVIS SANCTI SEpulchri religioſis. Cap. 40.

Monachi Græci.

GRæci monachi qui in templo ſepulchri Dominici, & in Eccleſia montis Caluariæ habitant, ſuas habent manſiones & cellas in loco Golgatha, vbi Dominus noſter crucifixus eſt. Orant autem & Deo ſeruiunt ſingulari pietate, in maiori choro templi Sancti ſepulchri, & in ſacello ſanctorum Angelorum foris iuxta templum. Docent Spiritum ſanctum procedere à ſolo patre, non autem à filio; quod cùm ſacra Scriptura pugnat. Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, iuxta ipſius Chriſti inſtitutionem, contra tamen Sanctæ Eccleſiæ ritum, ſub vtraque adminiſtrant ſpecie, nullam admittẽtes mutilationem, vel etiam aquæ cum vino commixtionem. Non Pontificem Romanum, ſed ſolum Chriſtum caput Eccleſiæ ſuæ iactitant. Purgatorium & pro mortuis inuocationem ex Eccleſijs ſuis prorſus explodunt atque reijciunt. retinent tamen numerum ſeptem Sacramentorum, ſicut & Romana Eccleſia. cultum præterea & inuocationem ſanctorum religiosè obſeruant. Duo etiam quotannis ſeruant ieiunia ſingulari quadam pietate: dies

Religio Græcorum.

bus

bus autem Saturni nunquam ieiunant, ſed carnibus veſcentes ſplendide ac delicatè in eis epulantur. Barbas ſtudioſè nutriunt, & imberbes ſacerdotio reputant indignos. In diuinis officijs vtuntur lingua ſua Græca tantùm, vt laici eorum omnia poſſint intelligere. in alijs verò negotijs & cõtractibus lingua vtuntur Arabica aut Saracenica. Coniugium veluti rem ſacram ab ipſo Deo inſtitutam, non ſolùm laicis, ſed ſacerdotibus etiam atque præsbyteris permittunt, omnibuſque ita hominibus volunt eſſe liberum, vt in hoc articulo Romanæ Eccleſiæ planè aduerſentur. Imagines ex ligno aut quauis alia materia fabricatas reijciunt, picturas tantùm admittentes. In ciuitatibus ſuis inſpectores habent Eccleſiaſticos, quos Patriarchas vocant, eoſque reuerenter colunt, reiecto Summo Pontifice cui ſubeſſe prorſus recuſant. habent inſuper Archiepiſcopos, Epiſcopos & Doctores magnæ eruditionis. Lingua eorum Græca corrupta eſt ac deprauata, in tantum ferè differens ab antiquo idiomate, quantum Italica lingua diſcrepat à veteri Latina. Inuolucra circa pileos geſtant candida, faſciolis cæruleis intermixtis: & à Turcis atque Saracenis magna afficiuntur contumelia, ſuntque apud eos mirum in modum exoſi. *Patriarchæ Græcorum.*

Abyſſini qui & Indiani vocantur, ex Aethiopia ſunt, homines fuſci aut nigri coloris, Dominum habentes atque Regem potentiſſimum, quē vulgò presbyterum Ioannem vocamus. Domicilia ſua atque conclauia habent in templo montis Caluariæ, non procul à porta Eccleſiæ verſus ſiniſtram. Et hi Pontificem Romanum non agnoſcunt pro ſuæ Eccleſiæ capite. Sacram Cęnam ad- *Abyßini Aethiopes.*

miniſtrant ſub vtraque ſpecie. Errores autem magnos habent: Cibos enim in veteri Teſtamento prohibitos Iudæorum more non comedunt. neq; tantùm pueros, vt Iudæi, ſed puellas etiam circumcidunt. Non diem Dominicum, vt Chriſtiani cæteri, ſed vt Iudæi, Sabbathi ſemper diem celebrant. Infantes ſuos igne & oleo baptizant. multaque alia habent & cum Iudæis & cum Chriſtianis communia. Armenij Chriſtianos ſe aſſerunt, qui ex Armenia Ieroſolymam venerint, vbi iuxta locũ Golgatha in ſacello quodam habitant, partim etiam in monte Sion, in templo S. Iacobi maioris. & hi proprium habent Epiſcopum quem Catholicũ vocant. Cœnam Dominicam ſub vtraque ſpecie etiam laicis porrigunt. Sacerdotes eorũ matrimonium contrahunt. Cibũ in veteri Teſtamento prohibitum non comedunt, & ad ſepulchra mortuorum ſingulari ſuperſtitione vlulant. In feſto Epiphaniæ ſolennitatem celebrant de baptiſmo pariter ac natiuitate Chriſti, ipſo natali Domini ieiunantes. Aliud deinde ieiunium circa tempus Quadrag. ſingulari obſeruãt ſtrenuitate, quo tempore non ſolùm à carnibus, caſeis, ouis, & lacte, omnibuſq; animalibus terreſtribus abſtinent; ſed neque piſces manducant, vinum non bibunt, neq; oleo in cibarijs vtuntur, fructus tantũ arboreos & legumina quoties libuerit comedentes. Diebus quoq; Veneris atq; Mercurij per totum annũ ſua habent ieiunia: certis tamen ferijs ſextis, carnibus interdũ veſcuntur. Concionãtes & canentes proprio ſuo vtuntur idiomate, quod in Armenia eſt vſitatum. De indulgẽtijs ac purgatorio nihil ſibi perſuadẽt: circa pileos inuolucra gerunt cærulei coloris, quibus ab alijs nationibus & Ordinibus diſcernantur.

Armenij Chriſtiani.

Geor-

Georgiani populi ſunt Orientales bellicoſiſſimi, Chriſtianæ addicti religioni, à S. Georgio nomen adepti, montana illa longiſſimumq; Orbis tractũ à Trapezunte iuxta Põtum Euxinum celebri vrbe, vſque ad Caſpios montes inhabitantes, omnibus vicinis populis, Turcis, Saracenis, Perſis, Medis, Aſſyrijſq; formidabiles. Sacerdotes eorum vxores ducunt: ſecundæ tamen nuptiæ, priore coniuge mortua, illis ſunt interdictæ. In cæteris verò doctrinæ articulis & cæremonijs Eccleſiaſticis, Græcorum imitantur Religionem & conſuetudinem. Horum multi Ieroſolymis morantur, diuerſa loca ſancta inhabitantes, præſertim aũt Caluariæ mõtem, iuxta foramen illud cui crux erat infixa; & locum vbi Chriſtus hortulani forma Mariæ Magdalenæ apparuit. Complures etiam de his Sanctorũ Angelorum obtinent Eccleſiam, vbi domus Hannæ pontificis olim fuiſſe creditur. Quotieſcunque Georgiani de terris ſuis Ieroſolymam veniunt, loca viſitaturi ſancta, abſq; tributo & erectis vexillis ſanctam ingrediũtur ciuitatem: Saraceni enim atq; Turci eis refragari non audent, metuentes ne ad ſua reuerſi vicinis Turcis atq; Saracenis vicem rependant, vel etiam maioribus eos afficiant malis & contumelijs. Græca litera & lingua in Diuinis tantùm vtuntur officijs & ſcriptis, alias autem Saracenico plerumque aut Chaldaico loquuntur idiomate. Vxores habent Amazonum more bellicoſiſſimas, in armis equitantes, Hi etiam pilos & barbas nutriunt, pileiſque vtuntur varij coloris.

Georgiani bellicoſi.

Neſtoriani Orientales inhabitant Regiones, præſertim autem Niniuen Aſſyriæ metropolin, hodie Moſſel appellatam. Hi Neſtorij præ-

Neſtoriani hæretici.

ceptoris ſui imitantur hæreſin; non duas tantùm in Chriſto naturas, ſed tot etiam perſonas in ipſo conſtituentes: ideoque affirmant Mariam virginem non Deum, ſed hominem peperiſſe, quemadmodum & Iudæi ſolùm hominem, non autem Deum in ara crucis occiderint. Peruerſum hoc dogma, quod magnam Orientis partem infecit, in Epheſina Synodo à ducentis Epiſcopis reprobatum & damnatum eſt, anno Chriſti 1431. ipſeque Neſtorius tantæ blaſphemiæ autor, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Baſſo & Antiocho conſulibus, ab Epiſcopali ſede deiectus, paulò poſt in exilio miſerè interijt. Huius impuriſſimi hæretici ſectatores ac diſcipuli, Neſtoriani dicuntur, qui licet Chriſtianos ſe glorientur, doctrina tamen eorum Mahumetico dogmati affinis admodum eſt. Officia ſua Eccleſiaſtica Chaldaico peragunt idiomate, integram Euchariſtiam tam laicis quàm ſacerdotibus exhibentes. In politicis autem actionibus & contractibus, Ieroſolymæ & in Iudæa, lingua vtuntur Saracenica, ſicut in omnibus alijs etiam prouincijs illorum populorum loquuntur linguis, quorum in terris morantur. Pileos cingũt velamentis ruſſei coloris, & nonnulli presbyteri eorũ inueniuntur Ieroſol. in templo mõtis Caluariæ. Suriani, qui partim in templo habitant ſepulchri, partim etiã in Sancti Marci ſacello, vbi quondam domus fuit matris Ioannis Marci, cuius fores Petrus Apoſtolus pulſauit, cùm ab Angelo Domini de carcere eſſet eductus, Græcorum propemodum in doctrina Chriſtiana ſequuntur profeſſionem atque conſuetudinem, & nomen accepiſſe videntur de ſolitudine Sur, quę Arabiæ eſt contermina. in ſecularibus enim negotijs Arabica vel

Surrianorum religio, ritus & mores.

Sara-

Saracenica vtuntur lingua: in Eccleſiaſt. verò officijs Greca, quamuis Religio illis minus ſit cordi, cùm iugo ſeruitutis, ſummaq; paupertate & inopia oppreſſi, mercenarios plerunque agant, Turcis ac Saracenis ſeruiant, & homines ſint doloſi, duplices animo, amici fortunæ, Chriſtianorum proditores ac delatores, furtum & rapinam flocci pendentes, tametſi ad arma & res bellicas prorſus ſint inutiles. Vxores ſuas Saracenorum more diligentiſſimè incluſas cuſtodiunt: & filias quoque niſi facie velata in publicum prodire non ſinunt. Iacobitę in Oriēte dicti ſunt ſectatores hęretici cuiuſdam Iacobi Syri, cognomento Zantali, qui fuit diſcipulus cuiuſdam Patriarchæ Alexandrini, & paſſim inueniuntur in Iudæa, Aegypto, & Aethiopia, pluribus erroribus infecti & contaminati. docent enim Monothelitarum & Eutychianorum in modum, corpus Chriſti ſtatim poſt primam verbi & carnis vnionem deificatum, & incorruptibilitate donatum, nec crucifigi aut mori potuiſſe. Sicut & Eutyches Conſtantinopoli olim confuſionem naturarum in Chriſto docuit, cùm diceret humanam naturam conuerſam in Logon. cui errori Eucharius quoque aſtipulatus eſt. Sic quoque & hi Iacobitæ vnam in Chriſto & perſonam & naturam eſſe contendunt, prorſus ſublata eius natura humana, quemadmodum & vnam in eo voluntatem conſtituunt, diuinam videlicet, non autem humanam. Infantes ſuos Saracenorum modo circumcidunt, & Abyſſinorum Aethiopumque ritu ferreo calamo eos adurunt, & igne baptizant, cruce impreſſa fronti atque temporibus eorum. Hi inſuper Iacobitæ conclauia ſua habent in ſacello quodam templi ſepulchri

Iacobitarū errores.

chri Dominici retrorſum, non procul ab ipſo ſacro ſepulchro. Atque hæc de variarum profeſſionum Ordinibus Sepulchrum Dominicum viſitantibus & cuſtodientibus.

NOBILISSIMI DVCIS GODEFRIdi Bulonij expeditio in Terram ſanctam. Cap. 41.

ANNO reparatæ ſalutis 1094. Vrbano 2. pontifice Claremontinum concilium celebrante in Gallia, monachus quidam Petrus, quondam Eremita, de ciuitate Ambianenſium prognatus, natione Gallus, de ſacro Chriſti ſepulchro reuerſus, Pontifici Romano cōqueſtus eſt de miſera Simonis patriarchæ Ieroſolymitani conditione, vtpote qui à Turcis, Aegyptijs, atque Saracenis miſerum in modum opprimeretur, illi pro debita erga Deū reuerentia ac pietate ſuccurrendum eſſe. Ideoque Rom. Pont. inſtinctu multi principes ac Domini contracto exercitu aliquot cētenorum millium, in ſanctam Terram profecti ſunt, qui omnes rubrę crucis ſigno in armis atque veſtibus notati, ſingulari feruore atque zelo hanc expeditionem ſuſceperunt. Hoc exercitu progrediente, terribilis Cometa horrendę magnitudinis verſus ſolis occaſum viſus eſt, & ſecuta peſtilentia horribilis, quæ integro biennio Orbem terrarum miſerè afflixit. Illi autem cum vniuerſo exercitu ſingulari audacia & animoſitatę progreſſi, plurimas regiones, oppida, ciuitates, & caſtella, præſertim autem Antiochiam Syriæ metropolim, non ſine maxima difficultate expugnarunt, donec tandem ipſam quoque Ieroſolymam aliquandiu obſeſſam & viriliter oppugnatam Anno 1099. 15. die

Cometa conſpectus.

Iulij

Iulij ſingulari alacritate armata manu caperent, & in ea generoſiſſimum principem ac Dominum Godefridum Lotharingię Ducem, & Bulonię Comitem, Ieroſolymorum Regem deſignarent, quē præfecti militum ſuis humeris ad ſanctum portarunt ſepulchrum, Ieroſolymorum Regem eum appellantes. Quamuis autem Regni gubernationem & adminiſtrationem in ſe reciperet; coronā tamen auream, eo in loco vbi Chriſtus Rex Regū ſpinis coronatus erat, geſtare recuſauit, dicens: Haud equum eſſe, alium Ieroſolymę Regem deſignari, præter Chriſtum Ieſum legitimum Regem Iudęorum: ſicut iniquiſſimum quoque videretur, ſi homo mortalis, omnium delictorum labe contaminatus, Regio diademate, aureaque corona ornatus incederet, ea præſertim in vrbe atque loco vbi ipſe filius Dei, Rex Regum, omniumque creaturarum Dominus ſpinis fuiſſet olim coronatus. Poſtea Chriſtiani ſummum quoque Pontificē elegerunt, quem Patriarcham Ieroſolymitanum vocant, Arnolphum videlicet de Rohes.

Godefridus primus Ieroſolymæ Rex.

Menſe Octobri Cometa arſit horrendę magnitudinis, gladij figuram referens, verſus Meridiem conſiſtens, & ſine dubio omnibus illis qui terreſtrem ſibi propoſuiſſent Ieroſolymam exaltare, gladij minitans percuſſionem perpetuumque exitium. Imminente deinde feſto Natiuitatis Chriſti, factus eſt concurſus omnium Chriſtianorum ex regionibus Orientalibus, ex Syria & Antiochia pręſertim, qui ipſo natali Chriſti, Epiſcopos atque Canonicos conſecrarunt in Templo ſancti ſepulchri, canentes: Illuminare Ieruſalem, &c. Occupatis quoque omnibus ciuitatibus atque caſtellis, Epiſcopos paſſim crearunt, & quatuor conſtitue-

Quatuor Tetrarchiæ in terra ſancta.

ſtituerunt Tetrarchias, primam Ieroſolymæ, ſecundam Antiochiæ in Syria, tertiam Edeſſæ, & quartam Tripoli. Inſignioribus etiam ciuitatibus ac regionibus Comites atque Dominos præfecerunt, præſertim autem Galileæ, Beryto, Cæſareæ, Sidoni, Ioppæ, & Aſcaloni. Hi omnes cogebantur Ieroſolymitarum Regi tributum ſoluere. Hęc facta ſunt Anno Chriſti 1099.

Fama de recuperatione ſancti ſepulchri per vniuerſum Orbem terrarum percrebeſcente, de nouo factus eſt concurſus ex omnibus partibus Mundi, tota Europa fuit in armis, Hiſpania, Gallia, Anglia, Germania, Italia, & Sicilia; plurimæque aliæ nationes innumeram dederunt militum copiam atque multitudinem, qui omnes ſingulari feruore atque zelo in Terram ſanctam peregrinati ſunt. priuſquam tamen eò venerunt, non ſine ſingulari Dei permiſſione omnes ferè partim à Græcis & alijs populis trucidati & occiſi, partim etiam fame atque ſiti miſerè interierunt.

Godefridus Dux moritur.

Godefridus autem Dux febri correptus è vita hac mortali deceſſit, cùm vix vno anno terreſtri huic Ieroſolymorum Regno præfuiſſet, 18. die Iulij. anno Chriſti 1100. ſepultus Ieroſolymæ in templo montis Caluariæ, tumuloque eius hi verſus inſcripti ſunt.

Francorum gentis, Sion loca ſancta petentis,
Mirificum Sydus, Dux hìc recubat Godefridus,
Aegypti terror, Arabum fuga, Perſidis error.
Rex licet electus, Rex noluit intitulari,
Nec diademari, ſub Chriſto ſed famulari.
Huius erat cura, ſua Sion reddere iura,
Catholiceque ſequi pia dogmata iuris & æqui,
Totum ſchiſma teri, circa ſe iuſque foueri,

Et

Et ſic cum ſuperis potuit diadema mereri.
Militiæ ſpeculum, populi vigor, anchora Cleri.
Huic virtute pari frater datur aſſociari,
Balduin inſignis, gentilibus & ferus ignis.

Recitantur & alij in eiuſdem Ducis Godefridi effigiem verſus, quos habet clariſſimi nobiliſſimique viri Henrici Ranzouij Epigrammatum liber hiſtoricus:

Omnibus Europæ lectis heroibus oris,
Nobile ſuſcepi, Iaſonis inſtar, iter.
At mihi non Colchis, non diues velleris aurei,
Terra fuit votis Sancta petita meis.
Hanc validis armis, Solymamque recepimus vrbem,
Quæ fuerat diro capta ſub hoſte diu.
Mœnibus inſilui primus ſublimibus vrbis,
Hinc data cum regno fulua corona mihi eſt:
Vrbe ſed hanc auro Solymâ geſtare negaui,
Qua tulit occiſus ſpinea ſerta Deus.

DE CAETERIS IEROSOLYMORUM Regibus Godefridum ducem ſecutis. Cap. 42.

GOdefrido duci in regno ſuffectus eſt Balduinus primus, qui inchoante anno Chriſto 1101. ipſo die natali Chriſti, à Patriarcha Ieroſolymitano Dagoberto, in ciuitate Bethlehem inauguratus & vnctus eſt in Regem, regnoque præfuit in vniuerſum annis octodecim. Noluit enim, nec præſumſit, in vrbe Ieroſolyma diademate, auro, vel gemmis pretioſis ex altari adornari & in Regem promoueri, vbi Saluator noſter ſpinis horrendis & acutis coronatus eſſet.

Hunc

Hunc Caliphas Aegyptiorum Sultanis memorabili pugna ſuperauit. trucidatis enim & occiſis 13000. Chriſtianorum, ipſe Rex Balduinus cũ tribus equitibus fuga ſalutem ſibi quærens, vix ſaluus euaſit. Hic quoque decimo octauo anno Regni ſui, nullis relictis liberis, è vita migrauit, ſepultus apud fratrem in templo Golgathano, ſucceſſorem ſibi deſignauit Balduinum de Burgo Comitem, patruelem ſuum.

Balduin. 2. Rex 3.

Balduinus ſecundus, Rex Ieroſolymorum tertius, Comes de Burgo ſucceſſit patrueli ſuo Anno 1118. Hic Turcos Regemque Damaſci deuicit. Poſtea venit Balach Parthorum Rex, Regemque Balduinum cum præcipuis nobilibus in prælio captum abduxit, eoſque cuſtodiæ mandauit, donec Rex poſt biennium ſe ſuoſque ære redimeret. Eo abſente VVarmundus Patriarcha rebus præfuit, donec Rex ipſe in Regnum reuerſus thronũ Regium occuparet, ſeque de Aſcalonitarum iniuria & proditione vindicaret. Idem hic Balduinus filiam ſuam natu maximam Meliſendam Falconi Andegauenſium Comiti ex Gallia, matrimonio iunxit, eumque Regni ſui hæredem inſtituit, & deceſſit ſine prole maſcula, Anno 1131. cùm præfuiſſet annis 13.

Falco Rex 4.

Falco Andegauenſium Comes, Phil. 1. Gallorum Regis ex vxore Bertela priuignus, rex 4. cum Turcis ſingulari dexteritate dimicauit, eorumque trucidauit 3000. nec paucos captiuos ſecum Hieroſolymam abduxit. Hic cùm iuxta Acconem ſiue Ptolemaiden, in venatione leporem per ſequeretur, equo in terram prolapſo, humo grauiter alliſus paulò poſt moritur, Anno 1142. Id. Nouemb.

Balduinus 3. Rex 5.

Balduinus 3. ſucceſſit patri Falconi, & regnauit annis 19. Aſcalonem poſt longam obſidionem

nem expugnauit; Gazam funditus euerſam reſtau rauit, præſidiumque in ea collocauit templariorum, qui cunctis infidelibus armata manu ſe opponerent. Edeſſam amiſit idem hic Balduinus, in qua Saraceni cùm in ipſa natiuitatis Chriſti feſto eam expugnarent & caperent, ingentem Chriſtianorum multitudinem crudeliter interfecerunt. Rex Balduinus tandem febri correptus moritur, Anno 1162. Id. Febr. ætatis anno 33. Almericus Fulconis filius & Balduini iam memorati frater, præfuit Regno annis 12. Rex pius & eruditus, hiſtoriarum præ cæteris lectionibus auidus auditor, & fideliſſimus recitator. Hoc regnante Aegyptiorum Sultanus in Terram ſanctam aſcendens, magnam copiam Templariorum in prælio occidit. Almericus Rex hoc ipſum vindicaturus hoſtili agmine Aegyptum ingreditur, vrbemque Alcairum obſidione graui aliquamdiu premit, re tamen infecta coactus eſt Ieroſolymam reuerti. Paulò ante obitum huius Regis Almerici, Henricus Leo dux Saxoniæ & Bauariæ bellicoſiſſimus, terram Sanctam ingreſſus, ſacrum Chriſti ſepulchrum viſitauit, qui ab hoc Chriſtianiſſimo Rege Almerico honorificè exceptus, maximo ab eodem in honore eſt habitus. Obijt Almericus febri correptus Anno 1173 paulo poſt reditum Henrici in patriam. Præter Balduinũ filias reliquit duas, Sibyllam atque Iſabellã.

Almericus ſextus Ieroſolymorum Rex.

Balduinus 4. ſeptimus Ieroſolymorum Rex patri Almerico ſuccedens, annis præfuit duodecim. Quemadmodum autem Deus Vziam Ieroſolymorum quõdam Regem lepra percuſſit, eò quòd templum ingreſſus, contra legem Dei, ſacerdotis officio fungeretur: ita & hic Balduinus contagioſum in morbum incidẽs miſerè interijt, in certiſſimum

Balduin. 4. 7. Rex.

mum iudicium quòd Deo minus curæ eſſet terreſtre hoc regnum Ieroſolymitanũ mortuus eſt enim hic Balduinus elephantiaſi, Anno 1185. ætatis vigeſimoquinto. Cumque prolem maſculam

Balduin. 5. non haberet, hæredem regni inſtituit Balduinum 5. ſororis ſuæ Sibyllæ filium, puerum nouem annorum, natum ex primo eiuſdem Sibyllæ marito, Guilhelmo nimirum Montis ferrati Marchione;

Guido Luſignanus. poſt eius obitum eadem hæc Sibylla nupſit Guidoni Luſignano comiti, cui Balduinus ille quartus veluti vitrico atque tutori iunioris Balduini deſignati iam Regis, adminiſtrationem Regni commendauit donec puer adoleſceret. Sed cùm puer hic Balduinus ſeptimo poſt obitum auunculi ſui menſe, non ſine veneni ſuſpicione, vitam cum morte commutaret, Guido vitricus eius, Sibyllę vxoris perſuaſione atque inſtinctu Regnum occupare tentauit: aduerſarium autem habuit

Raimundus. Raimundum Tripolis Comitem, quem Balduinus 4. abrogato propter inſignem arrogantiam Guidone paulò ante obitum ſuum tum regni adminiſtrationi, tum etiam tutelæ Balduini iunioris præfecerat. His duobus de Regni adminiſtratione inter ſe litigantibus, Guido prædictus cùm in ſuſpicionem dati priuigno ſuo veneni incidiſſet, & à Raimundo Comite bello peteretur, attraxit Saladinum Aegypti Suldanum, qui hac occaſione regnum Ieroſolymitanum deſtruxit.

(·.·)

IERO-

IEROSOLYMA CAPTIS ET DEletis Regibus in Aegyptij Suldani poteſtatem deuenit. Cap. 43.

ANno 1187. quarto die Septemb. facta eſt eclipſis Solis adeo magna, vt ſtellæ per diem viſæ ſint tanquam in nocte. Hanc Solis defectionem proximo menſe ſtatim ſecuta eſt euerſio regni Ieroſolymitani. Paulò enim poſt hanc eclipſin Solis Guido ab Aegyptiorum Sultano (quem ipſe aduerſus Raimundum attraxerat) in prælio capitur cum multis nobilibus, & Hieroſolyma expugnatur, completis annis 88. & diebus 80. ex quo à Godefrido capta erat. Saladinus autem hoſtili agmine, inſtructiſſimoque exercitu Iudæam ingreſſus, capto Guidone, Ieroſolymam & vniuerſam terram Sanctam in ſuam redigit poteſtatem; cæſis triginta millibus Chriſtianorum. Campanas de turribus Ieroſolymitanis eiecit, & ex templis ſtabula fecit equorum, templo ſolum ſepulchri Dominici parcens, quod Saraceni venerantur propter Chriſtum, quem magnum exiſtimant fuiſſe prophetam. Facta hęc ſunt Anno 1187 expugnataque eſt Ieroſolyma 2. Octob. Et quamuis Chriſtiani aliquoties tentarint Regnum hoc recuperare & inſtaurare, omnia tamen eorum conſilia & inſtituta fuerunt irrita. Deus enim in itinere, quoties expeditionem illuc ſuſceperunt, peſte, fame, atque bello miſerè eos oppreſſit ita vt multi prę inedia etiam proprios equos deuorare coacti fuerint. Fridericus Barbaroſſa Imp. magnis copijs Ieroſolymam contendens, equo ſuo rapi-

Fridericus Barbaroſſa in amne perit.

rapidum in Aſia minore ingreſſus amnem, in vndis miſerè periјt. Multi etiam alij principes, ſimilem ſuſcipientes peregrinationem militarem, vt terreſtrem inſtaurarent Ieroſolymam, eadem prorſus fortuna excepti, partim fame & peſte extincti ſunt, partim etiam à barbaris cæſi, amiſſis aliquot millibus ſuorum, quos Saraceni ſingulari ferocitate crudeliter trucidarunt.

Cumque Aegyptiorum Sultanus ab Imperatore Friderico bello ſecundo premeretur, Templarijque Damiatam vrbem obſidione cingerent Anno 1219. Cordirius Sultani filius muros vrbis Ieroſolymæ ſolo æquauit, abſtinens tamen & retrahens manum à templo Salomonis, atque à templo ſancti ſepulchri, Chriſtianorum deprecationibus qui ibi habitabant mitigatus.

Anno deinde 1228. Fridericus ſecundus Imper. in Terram ſanctam cum exercitu progreſſus, Ptolemaidem, quæ & Acon vocatur, venit; vbi aliquamdiu ſubſiſtens, percuſſo cum Sultano Aegyptiorum fœdere ad decennium, Ieroſolymam abſque gladio recepit: vrbemque ingreſſus anno inſequenti, ibidem coronatus eſt ipſius Paſchatis ſolennitate in Regem Ieroſolymitanum. Hoc tempore Fridericus Imp. muros Ieroſolymæ renouauit, Chriſtianorumq; ibidem relinquens præſidium, cùm ciuitatem Nazareth & Ioppen reſtauraſſet, reuerſus eſt in Italiam.

Caſanus Aegyptius. Anno 1246. Caſanus Tartarorum Rex à Sultano attractus, inſtructiſſimo exercitu Iudæam ingreditur, factaque irruptione in vrbem Ieroſolymam, Chriſtianos ſumma crudelitate interfecit, ſanctumque Chriſti ſepulchrum, in furorem verſus, in minutiſſimas partes confregit. Subſequen-

quentibus inſuper temporibus vrbs Aelia à Tamerlane quoque Tartarorum Rege,& Mahumete etiam ſecundo eius nominis Turc. Imper. occupata & deuaſtata eſt:tantumque in conteptum venit, vt nemo eſſet qui eam magnoperè deſideraret. Monachi tamen ſanctum Chriſti ſepulchrum reædificarunt, atque Aegyptiorum Sultano quotannis de eo numerant tributum. is enim ſanctæ terrę poſſeſſor aliquamdiu fuit atque Dominus. *Tamerlas Tartarus.*

HIEROSOLYMA IN SELIMI Turc. Imperatoris poteſtatem deuenit; in qua etiamnum eſt.

Cap.44.

ANno demum ſalutis noſtræ 1516. Selimus Turcorum Imperator 24. die Auguſti, Campſonem Gaurum Aegypti Sultanum iuxta Damaſcum acerrimo prælio vicit, occiſis aliquot millibus Saracenorum. Ipſe quoque Sultanus Campſon Gaurus, fuga ſibi ſalutem quærens, miſerè interijt. Selimus igitur vniuerſam ipſius terram, Syriam, Damaſcum, Iudæam, & alias regiones occupauit. Cumque per Iudæam in Aegyptum deſcenderet, exercitui ſuo Gazam pro miſſo, ipſe Selimus paucis comitatus Aeliam perrexit, vbi celebrem illum locum, de quo tot veteris & noui Teſtamenti extant ſcripta & teſtimonia, ſuis videret oculis; nihil autem aliud inuenit, quàm vicum pluribus in locis deſertum atque vacuum, vbi pauci habitarent Chriſtiani, qui non abſque ſingulari contemptu & ludibrio ſancti Sepulchri gratia Aegyptiorum Sultano tributum coacti ſunt dare ſatis amplum.

Selimus ſuo ibidem Deo, & Mahumeti ſacrificia & dona offerens, Chriſtianorum ſacerdotibus, qui in templo Sancti ſepulchri ſumma premebantur paupertate; ex miſericordia & ſingulari quadam commiſeratione, haud exigua argenti copia numerata, cùm non amplius vna die ac nocte, prima luce ſurgens Gazam profectus eſt ad exercitum ſuum, cum quo quantis potuit itineribus, ſingulari feſtinatione in Aegyptum progreſſus eſt, ad Alcayrum ampliſſimam eius Regni vrbem, de qua ſupra in fine libri primi plura diximus, obſidione cingendam; qua Anno 1517. capta, Tomombeium Circaſſum, vltimum Aegypti Sultanum, qui in prædicti Campſonis Gaurij locum iterum electus erat, à ſuis perfidè proditum, & ex fuga retractum, diuque exquiſitis tormentis excruciatum, vt theſauros Regni indicaret, Idibus Aprilis, mulæ impoſitum, & laqueo de collo pendente, per totam vrbem Alcayrum circumductum, tandem gula laqueo fracta, ad portam Baſuelam vnco ferreo ſuſpendi iuſſit; atque ita vniuerſam Aegypti terram ſuæ ſubiecit poteſtati. Hic igitur finis fuit regni Saraceni in Aegypto: atque ex eo tempore Aelia ſiue Ieroſolyma in Turcorum permanſit poteſtate.

(·.·)

RIDI-

RIDICVLVM QVODDAM VAticinium, ſiue ſtulta perſuaſio Iudæorum, de Terra ſancta tandem recuperanda.
Cap. 45.

QVando venerit Meſſias noſter, ille nos reducet in terram noſtram manu potenti: qui & ante multos annos natus eſt iuxta mentem traditionis, quæ dicit quod Meſchias manſurus ſit Romæ, donec deuaſtauerit eam, haud ſecus quàm inuenimus de Moyſe præceptore noſtro, qui eſt in pace: qui fuit enutritus in domo Pharaonis, donec vindicta ſumeretur de eo, & vniuerſus exercitus cum ipſo ſubmergeretur in Mari: Sed non venit & redemit populum Iſraëliticum Moyſes cùm primum eſſet natus, ſed poſt aliquot annos, ex præcepto Dei benedicti, dixitque ad Pharaonem: Dimitte populum meum vt ſeruiat mihi. Tunc primùm noſtrum videbimus Meſſiam, qui ſecundo adhuc ſtante templo non venit neque fuit: Sicut ne Dauid eo die quo natus eſt, Rex potuit appellari, ſed eo die ac tempore quo vnxit eum Samuel ex præcepto Dei. Sic quoque Meſchias noſter tunc demum veniet & Meſchias nominabitur, quando ex præcepto Dei Elias vnxerit eum, etſi iam natus ſit ante multum tempus, nempe in die deſolationis domus ſecundæ, quemadmodum dixerunt ſapientes in libris traditionum. Sunt tamen nonnulli ex ſapientibus noſtris qui affirmant quòd Meſſias ſit naſciturus tunc demum quando appropinquauerit tempus

Somnium de Messia jam nato sed delitescente.

de M. nasciturus

ipſius, quo nos educturus eſt de captiuitate. Tunc ſubitò veniet, & faciet ſigna magna, & magnificabitur cor eius in vijs Domini.

Prorſus inepta Iudæorũ opinio.

Veniet autem & mandabit Papæ omnibuſque Regibus, vt dimittant populum Dei, nec timebit faciem eorum, nec minas; ſed manebit Romæ donec ſubuerterit eam, atque eduxerit populum ſuum. Omnes enim corruent nationes, nos autem Iudæi conſurgemus, eruntque populi veluti vincti in conſpectu noſtro, nullamque habituri ſunt potentiam aut vim reſiſtendi, vt leuent manum aut pedem, donec prociderint ante faciem noſtram cum omni humilitate. Porro nos erimus coadunati inter gentes, reuertemurque ad dignitatem noſtram, & videbimus gloriam & elegantiam Ieroſolymæ noſtræ, & pacem populi Iſraëlitici cunctis diebus vitæ noſtræ. Qui autem ex nobis fuerint mortui, eos viuificabit creator, iuſtos nimirum qui legi Domini ſatisfecerunt, vt & ipſi viuant & videant pacem ſuper Iſraël.

Peruerſa Danielis interpretatio.

Erit autem conſuetudo & natura eorum, ſicut conditio reliquorum hominum: nam habebunt liberum arbitrium, vt apprehendant iuſtitiam aut impietatem, vtrum voluerint. Et hinc eſt quod dicit Daniel: Iſti ad vitam perpetuam, illi autem ad opprobria. Veriſimile autem eſt, quod non vniuerſalis futura ſit reſurrectio mortuorum, ſed cunctorũ tantùm iuſtorum, & quorundã impiorũ. Populi inſuper Iſraëlitici [illegible] cauſa, Dominus mittet Eliam prophetam, reuocabitque Spiritum eius qui aſcendit in Cœlos, ad corpus creatum, ſimile corpori eius priori: corpus enim primum redijt in terram, cùm quodlibet elementum migrarit in elementum ſuum.

Et

Et poſtquam viuificauerit ipſum in corpore, mittet eum ad Iſraëlitas ante diem Iudicij ſiue aduentus Meſſiæ, vt moneat patres atque filios pariter, vt conuertantur toto corde ad Dominum, & qui conuerſi fuerint, liberabuntur à die Iudicij, hoc eſt, ingreſſuri ſunt in regnum Meſſiæ. Dominus enim viuificabit mortuos noſtros; & non eos tantùm qui mortui ſunt, ſed & eos qui proiecti ſunt in mare & ſubmerſi, aut etiam deuorati à lupis alijſve beſtijs.

Traditur præterea in ſcriptis noſtris Iudaicis, quòd Meſſias orabit pro Iſraëlitis, vt Deus benedictus propitius fiat ſuper iniquitatibus eorum, & ſuſcipiet pro eis afflictiones, quod probat eum hominem tantùm fore, & non Deum. Huiuſmodi autem afflictiones ideo ſuſtinebit Meſſias, quod nimiùm diu remoratur, cùm videat populum ſuum in captiuitate duriſſima.

Abſurdißima Iudæorũ figmenta.

Cæterum quando Iſraëlitæ egredientur ex illa captiuitate, miracula fient multa & magna. Dominus enim ſcaturire faciet fontes in deſerto & in montibus, in medio etiam conuallium, & creſcent arbores in locis deſertis, ne ſiti excrucientur Iudæi in ſanctam contendentes terram: neve Sol aut æſtus eos percutiat aut moleſtet; ſed arbores illæ, quæ in momento temporis creſcent, vmbra ſua ſuauiſſima eos recreare poſſint ac tegere.

Tunc dicturi ſunt filij huius ſeculi, gentes nimirum: Hæc facit Deus vt honoret Iſraëlitas. Ipſe enim Dominus diriget nos in itinere, vt errare nequeamus, ſed omnes Iudæi recta via contendant Ieroſolymam.

Quin & omnis vallis eleuabitur, & omnis mons aut collis humiliabitur, ne ſc. cogãtur aſcẽdere aut

deſcendere Iudæi in illo itinere; & Deus fortificabit vires eorum, ne fatigentur & deficiant in via. Cumque Ieroſolyma & vniuerſa etiam terra ſancta, aliquamdiu in ſolitudinem redacta, habitatio fuerit malarum beſtiarum; tunc quando illuc pertingent filij Iſraël, nullus ibi inuenietur leo, neque ſæuum aliquod animal aſcendet per viam illam, ſed ipſi quieſcent in terra promiſſionis, & lętabuntur in Domino Deo ſuo, atque in Dauid Rege ſuo. Beatus qui expectat & pertingit ad dies illos bonos.

Iudæi ſibi ſomniant totius Orbis monarchiã.

Tunc ſtabunt filij alieni, & ædificabunt muros Ieroſolymæ, & portæ eius erunt apertæ diu noctuque, quia pax erit in Mundo, omneſque gentes & reges terræ munera adducent, venientes in conſpectum Meſſiæ, veluti ſerui ante faciem Domini ſui, & ædificabunt ex arboribus Libani domum ſanctuarij, quæ directè ſubornabitur ſolio maieſtatis, cùm ſcabellum ſit pedum eius. Sed & porta Cœlorum eſt ſupra templum Domini, & ipſum eſt in meditullio Orbis terrarum, pariterque in medio vrbis Ieroſolymæ. eritque ſacrarium ſiue adytum ſanctiſſimum, in ipſius templi medio, vocabiturque ſolium gloriæ, & in medio eiuſdem adyti arca ſtabit Fœderis. Hoc erit Sanctuarium illud de quo Heſekiel & Haggæus prophetarunt. In diebus illis ſeruient nobis gentes in terra noſtra, & adducent nobis pro munere argentum atque aurum, & omnia bona ex regionibus atque prouincijs ſuis.

Das were recht dz gůlden Jahr Platonis mit dẽ Jůden.

Nobis autem Iudæis non erit opus vt egrediamur de terra noſtra, mercaturæ aut lucri gratia, cùm in terra noſtra fruituri ſimus rebus omnibus.

Si

Si quando autem nos deambulandi aut mercandi cauſa, quamuis id nobis non fuerit opus, in terras gentium profecti fuerimus, cognoſcemur & ſuſpiciemur cum magna gloria, incedentes in veſtibus pretioſis atque purpureis, ornati gemmis & auro, non ſine maxima gentium admiratione, dicent enim: Iſti ſunt filij Iſraël, iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. adoleſcentes enim noſtri animi recreandi gratia viſitabunt regiones gentium, in maxima ibidem viuentes exiſtimatione,

Dominus quoque ſingulari ſua benedictione aërem purgabit, vt nos Iudæi filij Iſrael, propter ſalubritatem illam aëris, quàm diutiſſimè ſimus incolumes, & vita noſtra ſeſe extendat in annos multos: terramque ſimul fœcundabit, vt ſit fructuoſa & ſalubris, ſicut ſcriptum eſt: Ecce ego creo Cœlos nouos & terram nouam, & non recordabuntur priora. Nemo occidetur in bello ferro aut gladio, quia non erit ibi prælium, debitumque naturæ nemo perſoluet, niſi poſt multos annos, quādo videlicet homo fuerit plenus dierum, vt etiam non ſint eum deploraturi amici, cùm fuerit mortuus, ſicut in Scriptura legitur. Non audietur Ieroſolymæ amplius vox fletus & vox clamoris, quia ſenex implebit dies ſuos, vſque dum fuerit filius trecentorum annorum & amplius, ſicut patres ante Diluuium in principio creationis Mūdi, poſt primam omnium rerum creationem quā diutiſſimè vixerunt. Immutabitur quoque temporibus Meſſiæ frumenti natura, vt nulla futura ſit ſeminatio, ſed terra ſuapte natura producet fructūm, quem cùm Iudæi decerpſerint, terra inſtar vitis ſequenti anno ſua ſponte iterum germinabit.

Quomodo Iudæi intelligant prophetiam Ieſaiæ cap. 65.

Fruges ſponte naſcentes.

Nullæ tunc fient oblationes aut ſacrificia, præter ſacrificium laudis ſeu gratiarum actionis: nam nõ erunt inter eos impij & tranſgreſſores, ſiquidem omnes cognoſcent Dominum, rebelles enim atq; iniquos, qui ſeſe oppoſuerunt Iſraëlitis aſcendentibus ad terram ſanctam, iudicabit & abſumet De⁹ in deſerto. Tunc omnes nationes cognoſcent, quòd Deus ipſe ſit regnaturus ſuper omnia, venientque Ieroſolymam & diſcent Iudicia Dei, atq; Leges eius, ſicut ſcriptum eſt: Venite & aſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, Meſſias autem noſter erit Rex Regum & Dominus Dominantium (loquuntur Iudæi) & quilibet Rex gẽtium pro honore ducet, ſi filiam ſuam illi dederit in vxorem. Et quamuis filiæ Regum futuræ ſint vxores eius, Regina tamen illa, quæ ex populo Iſraëlitico fuerit prognata, primas obtinebit partes, ſedens ad dexteram Meſſiæ, coronata auro Ophir, vocabiturque coniux præcipua, quod iugiter ſit addicta concubitui eius. Cæteræ autem reginæ ſtatutis tantùm temporibus venient ad concubitum, ſecundum quod vnamquamque earum vocauerit, vt ingrediatur ad Regem. At Regina ipſa, coniunx eius præcipua iugiter erit intra conclaue cubilis regij, ſecundùm quod dicitur: Filiæ Regum in honoribus tuis, aſtitit coniunx ad dexteram tuam in corona auri Ophir. Et ruſum de filijs eius ſcriptum eſt: Videbit ſemen quod prolongabit dies. Poſtquam autem vixerit annis multis, morietur Meſſias noſter cùm honore, & regnabit filius eius pro eo, atque filius filij eius poſt illum, & pater hæreditario iure tradet coronam filio ſuo. Vides quod fides noſtra ſit, Meſſiam nondum veniſſe, ſed venturum eſſe, quod-

Iſaiæ 2.

Meßias Iudæorum multas habebit vxores.

Meßiæ mortuo ſuccedet filius, & filij filiorum.

quodque futurus ſit purus homo, ex patre & matre natus in coniugio, de ſemine Regis Dauid, plenus Spiritu Dei, iuxta dictum: Egredietur virga de radice Iſai.

Hæc eſt ita Iudæorum de fide & religione ſua propria confeſſio, ex Hebræo illorum ſymbolo in Latinũ ſermonem fideliter à Sebaſtiano Munſtero conuerſa.

CYPRI INSVLAE DESCRIptio. Cap. 46.

CYprus inſula nobiliſſima varias obtinuit nomenclaturas. Prius enim Crypta vel Crypton vocabatur auctore Volaterrano id eſt, Subterranea, quòd à Maris vndis videatur abſcondi. dicta etiam fuit Ceraſtis, ob montes frequentes, quaſi cornua quædam prætendentes. Cethin quoque, vel Cethina à primo habitatore ſic vocato. Deinde Amathuſia Straboni, ab vrbe id nominis cuius in agro æs optimum maxima copia euehebatur. Paphia etiam ex Paphio Deo, & antiqua vrbe Papho. Salaminia, ab illuſtri vrbe huius nominis, quæ primas obtinebat partes tunc cùm in nouem regna inſula tota diſpartiretur, Macaria, quia beata luxuriante vbertate, ob quam rem & inibi Veneri dicatum templum: vnde & Citherea, quod potiùs Deæ fuerit epitheton. Adhuc Achamantis, Aſperia, Collinia, & Eroſa æris metallo frequenti, & collium proſpectu. Cyprus denique à Cyro, qui antiquam vrbem Aphrodiſiæ inſtaurauit: vel ab arbore Cypro huic inſulæ peculiari.

Poſita

Poſita autem eſt Ptol.teſte, Septentrionem verſus in medio Iſſici ſinus, vulgò Golfo de Laiazzo, & mari Aegyptio contigua eſt, ac iacet media inter Ciliciæ ac Syriæ littora. Quæ quidem inter maiores Mediterranei inſulas ſextum locum ſibi vendicat. Reſpicit à Meridie Aegyptium pelagus ac Syriacum: ab Ortu Syriaco etiam mari, & Iſſico ſinu clauditur: ab Occidente mare Pamphilium: à Septentrione Cilicum mare habet, & ad aſperam accedit Ciliciam, quæ nunc Turcomania vocatur Mario Nigro, ſeu potius Caramania alijs.

Pars quæ ad Ortum ſpectat, diſtat à Syria, nunc Soria vulgò, minus centum miliaribus Italicis, quod vnius diei itinere peruehi poteſt, & Plinio teſte à Syriæ ipſius continenti terrę motu abſciſſa eſt. Ea pars quæ Meridiem reſpicit, ab Aegypto & ab Alexandria trium vel quatuor dierum velifico curſu, totidemque etiam Occaſum verſus à Rhodo inſula recedit. a Cilicia verò vel Caramania miliaribus ſexaginta abeſt.

Eſt autem totius inſulæ figura altera parte longior, cuius longitudo ab Occaſu in ortum protenditur, & interdum Iſthmos facit in lateribus latitudinem deſinentibus. Sita eſt ad initium quarti Climatis ſub decimo parallelo iuxta recentiorum geographorum obſeruationem, & maximum diē æſtatis habet horarium 14. cum ſemiſſe circiter, complectiturque tres gradus Cœleſtis circuli penes longitudinem. Eius circuitus Straboni eſt 3420. ſtadiorum, quæ 427. miliaria faciunt Italica. Alij etiam tradunt circum nauigationem habere 500. millia paſſuum, longitudinem 200. & latitudinem, vbi latior 50. vel 60. Aliqui etiam ponunt circuitum 550. miliarium Ital. vel 650. longitudi-

tudinem 220. vel 230. miliarium Ital.

Præterea inſula hæc pluribus promontorijs in mare excurrit: nam habet ab Occaſu promontorium Acamas, nunc Capo S. Piſano. Drepanum promontorium, nunc Trapano, vel Melechia; & Zephirum promontorium, nunc Punta Malota vel Melonta, ſeu caput Chelidoni. A Meridie eſt Phrurium promontorium, nunc Capo Bianco; deinde Curias promontorium, nunc Capo Pila; ab Ortu Pendalium, ſeu Pedaſium eſt promontorium, quod nunc Capo de Griego ſeu de Gree; atque in apice ipſius inſulæ eſt Clides promontorium, hodie Caput S. Andreæ: A Septentrione autem eſt promontorium Crommyon, nunc Capo Cormachiti, vel Cornacchietto; ac inſuper Caput Limniti, & Caput Eleni. Cæterùm inter Crommyon promontorium, ſeu Cormachiti Caput, & D. Epiphanij caput eſt Pamphylium mare, nunc Golſo di Settalia, qui ſinus olim periculoſiſſimus nauigantibus erat; ſpacio ſcilicet 300. miliarium Italici. *Capita inſulæ ſiue promontoria.*

In quatuor partes diuiſam hanc inſulam olim fuiſſe apud Ptolemæum conſtat, in Orientalem ſcilicet, quæ Salaminæ tribuitur; in Occidentalem quam Paphia poſſidet; in Meridionalem, quam Amathuſia cum Olympo monte, & denique in Septentrionalem, quam Lapathia occupat. Hodiè verò in duodecim partes, quas vulgo Contrade dicunt, partita eſt, & ſunt Nicoſia, Famoguſta, Paphia, Audina, Limiſſum, Meſotum, Salines, Meſſaria ſeu Siuori, Cruſocus, Pentalia, Cerines, & Carpaſſus. *Inſulæ antiqua diuiſio.*

Cæterùm inſula hæc antiquitus diuitijs abundans, & mollis habita fuit, ac delicijs luxuique plurimum *Recens inſulæ diuiſio.*

rimum

rimum dedita, & ob id Veneri quondam dicatam aiunt. Aſſerunt Pomponius, Diodorus, & Plinius, ipſā nouem Regnis claram extitiſſe, ac quindecim vrbibus, quarum nonnullas terræmotu ea tempeſtate labefactatas dicunt, quæ nunc maiori ex parte interiêre. Ex Regalib. vrbibus præcipuę fuerunt hæ: Paphus noua, in Paphia regione, quam Agapenor præfectus claſſis Agamemnonis Regis authore Pauſania condidit, quæ etiam hodie cum titulo vrbis extat, vocaturque vulgo Bapho teſte Nigro. Paphos vetus, quæ in eadem paphia regione extabat Veneri quondam dicata. Cithera, quæ toti inſulæ nomē dedit, & in qua Venus orta fuit; ſed hodie non amplius extat, & in eius loco eſt oppidum Conuclia ex principalioribus totius inſulæ; ob Goſſipij, Sacchari, & Aquæ abundantiam. Curias, quæ olim erat vbi nunc eſt oppidum Piſcopia vulgò dictum, ex præcipuis totius Inſulæ. Amathus, quæ & ipſa Veneri quondam dicata fuit, iam verò deſtructa eſt. Præter hos Ceraunia vrbs, quæ nunc Cerines dicitur, condita fuit à Cyro, cùm nouem Reges inſulæ ſubiugaſſet. hæc autem poſita eſt à Septentrionali inſulę parte, habetque arcem ſatis tutam, atque clementiore potitur aëre, quàm quæuis alia inſulæ pars. Sed Nicoſia, quæ antiquitus Lettra primò, deinde Leucotum vocabatur, fuit olim Regalis ſedes, quemadmodum etiam fuit præteritis proximè elapſis temporibus, antequam inſula in Turcarum ditionem perueniret. hæc vrbs Archiepiſcopali ſede ornata fuit; & poſita eſt in planitie Meſſaria nuncupata, occupante ſecundum longitudinem 78. miliaria Ital. & 30. ſecundum latitudinem, eſtque frugifera ſatis & abundans. A Nicoſia autem 36. miliaribus

Ceraunia nūc Cirines.

Nicoſia.

abeſt

abeſt Famaguſta, olim Salamis, & deinde Conſtantina dicta, inſignis quidem vibs, & huius inſulæ emporium. Sunt tamen qui putent Famaguſtā olim Tamaſſum fuiſſe; alij verò vnam ex quatuor vrbibus Arſinoës communi nomine vocatis: non autem fuiſſe Salaminam illam quæ ab Arſenis ſcriptoribus propter Iouis templum celebrata maximè fuit, qui ibidem colebatur, vnde ab ea ipſa vrbe Salaminius Iupiter vocabatur. Numerantur porrò præter has vrbes, pagi circiter 850. ſeu oppida muris non cincta, connumeratis inter ea aliquot vrbibus deſtructis, quæ oppida Caſales vulgò dicuntur, & complectũtur circiter 160000. habitatores. Ex his autem multa ſunt quæ amplitudine & populi frequentia vrbibus æquiparari poſſunt, inter quæ præſtantiora ſunt: Lapitho, Siguri, D. Ioannes Carpaſſi, Leſcara, D. Conſtantinus, Limnati, Silicu, Pellendria, Chillani, Colloſſo Piſcopia, Salines, Couuclia, Ctima, Arzos, Omodos, Cruſocco, Solia, Morfu, & Leſca. Omnes autem Caſales in vniuerſum in tres partes diſtributi erant, quorum dimidia pars ad Cameram Regalem pertinebant: reliqui partim ad ſtatum Eccleſiaſticum, partim verò ad nobiles ſeculares ſpectabant: Ex reditu Caſalium ad Regiam cameram attinentium ex Sale, & ex vectigalibus prouentum plus minus 500. millium aureorum Reſpublica Veneta ſingulis annis recipiebat, qui ibi in merces commutati, Venetijs poſtmodum vnum millionem reddebant. Status Eccleſiaſticus tam Latinus quàm Græcus ex ſuis Caſalibus redditum accipiebat 80. & plus millium aureorum. Particulares nobiles laici, tam Veneti quàm Cyprij magnum prouentum ex ſuis caſalibus habebant.

[Fa]maguſta / Fa. vrbs.

Pagorum numerus.

Plures

Montes inſulæ.

Plures ſunt in hac inſula montes, ſed omnium altiſſimus eſt Olympus, Græcis Trohodos vocatus, qui arboribus omnis generis conueſtitus eſt, cuius ambitus complectitur 18. leucas, ſeu 54. miliaria. Singulis leucis adſunt Monaſteria Caloierorum Græcorum ordinis D. Baſilij, & in vnoquoque fontes aquæ viuæ ſunt, ac fructus omnis generis leguntur. Tota autem inſula olim adeò ſyluoſa fuit, teſte Erathoſtene, vt agri eius minimè coli poſſent; quorum lignorum etſi magnam partem in metallis excoquendis, ac in nauibus fabricandis coloni conſumpſiſſent, non tamen ſyluarum luxuriem euincere poterunt. vnde decretis ſtatuerunt, vt quicunque poſſent ac vellent, arbores excinderent: & quod quiſque agri exſtirpatis ſyluis purgaſſet, id tanquam proprium immune poſſideret. Strabo autem ait, Cyprum ſuo æuo præſtantia nulli ceſſiſſe inſulæ: nam & vini oleiq; ferax eſt, & ſuo vtitur contenta frumento. Nunc verò miræ eſt fertilitatis, & omnium rerum ad vſum humanum copioſiſſima. nam præter olei, frumenti atque aliarum frugum vbertatem gignit vinum præſtantiſſimum, quod inueteraſcit vſque ad octogeſimum annum, & vetuſtate ſua ex nigro dealbeſcit, fitque odoriferum ac ſuauiſſimum. Ex Cypro aduehitur vua illa nigra & magna, quæ vulgò Zibibo nuncupatur. & colligi iſthic ſolent omnia fructuum genera, quæ alibi etiam habentur, præcipue autem limones, citri, & medici, cæteros fructus aliarum regionum longè excedentes. Non fert tamen caſtaneas, ſorba, & cæraſa. Profert quoque dactylos, ſiliquas, ſaccharũ quod ex arundinibus excoquitur, crocum, coriandrum, ſummachium, lentiſcum, & præter communes

Vinum Cyprium.

herbas

herbas habet peculiariter braſſicam floridam, fabam Aegyptiam, vel Colocaſiam, & alias ad comedendum præſtantes. Mel triplicis generis etiam præſtat, ex apibus ſcilicet, quod album eſt; ex ſaccharo, quod nigrum eſt, & vulgò dicitur Melazzo; & ex ſiliquis, quod etiam nigrum eſt. Fertilis inſuper eſt rerum medicinalium inſignum, vt terebinthi, coloquintidæ, reubarbari, ſcammoneæ, & huiuſmodi; nec non herbæ ſodæ, ex cuius cinere Sapo conficitur. Abundat & iam mineris auri, chryſocollæ, calcanthi, aluminis, marcaſitæ albæ & rubeæ, aurichalci, & ferri: ſed æris præ cæteris diues eſt. Profert etiam lapillos precioſos nonnullos, vt Smaragdum, Adamantem, Chriſtallum, corallum rubeum & album, atque etiam Amianthum lapidem, ex quo tela confecta non ſolùm non comburitur, imò potius per ignem depuratur & dealbeſcit. Coloni quoque præcipuum faciunt quæſtum ex goſſipio & lana, quæ copioſiſſimè ibi colliguntur. ex caprarum etiam pilis pannos illos conficiunt vndulatos & non vndulatos, qui vulgo Cambelotti vocantur, & per totam Europam diſtrahuntur. Ex lacu etiam magno non procul à Mari ambitus 12. miliarium, in quem modicus amnis cadit ex Olympo monte, qui locus & Mare de Saline modò vocatur, copioſè Sal colligunt, dum ipſe lacus in Salem congelatur, ex quo plures atque magnæ naues quotannis exonerantur. Huius inſulæ olea & vnguenta in delicijs; cetam & arundinem in medicinis valdè commendat Plinius.

Mel triplex.

Metalla.

Gemmæ.

Lana.

Salis confectio.

Cæterum inſula ipſa magno æſtui ſubiacet, propterea quod ſita eſt ſub latitudine graduum circiter 35. vnde Sol paruo interuallo à vertice recedit circa æſtiuum Tropicum. in vico tamen Cerines ſpirat

Boreas, æſtum refrigerans; ac in montibus aër eſt acutiſſimus. Ingratum etiam ac inſalubrem vtplurimum habet aerem ob ſtagna vaporem malum exhalantia. Nulla habet flumina, ſed torrentes potius: vnde quando ij exſiccantur, incolæ ægeſtatem ſummam aquæ patiuntur. Referunt autem ante Conſtantini Magni tempora inſulam ipſam 36. annis continuis, ab incolis derelictam fuiſſe, qui aliò confugerunt; quia nunquam iſthic per id tempus pluit. Vnicum tantùm habet portum nauibus peruium propè Famaguſtam vrbem; tametſi permultos alios olim habere potuerit, qui nunc ob maris impetum repleti ſunt. Olim homines pariter ac mulieres Veneri hîc nudi ſacrificabant, verùm D. Barnabæ Apoſtoli Cyprij precibus deſtructum fuit.

Aquæ penuria.

Obſcœna ſacrificia.

Scribit etiam Trogus Cyprios olim virgines ſuas prius nautis in littore proſtituere ſolitos, quò dotem lucrari poſſent antequam nuberent. Nunc deletis barbaris hiſce ac fœdis moribus, incolæ fidei Chriſtianæ ab ipſis quidem primordijs addicti fuere; quorum maior tamen pars ritum Græcorum ſequitur; ſed mobiles vtplurimùm Latinam Eccleſiam colunt, ſplendidè, lautè, ac ciuiliter viuentes; exterorum etiam amantes, bellicoſi, viribus corporis præſtantes, agiles, ſed tamen ad atram bilem proni.

Incolæ variarum nationum.

Incolæ totius inſulæ diuerſarum ſunt nationũ, eorum tamen plerique Græci, quorum maior pars illuc ex finitimis regionibus tempore Conſtantini Magni commigrauit, ex Aegypto ſcilicet, Iudæa, Cilicia, Cappadocia, Pamphylia, Thracia, multiſque Græciæ partibus, cùm tunc ob aquarum indigentiam inſula tota inhabitata penè fuiſſet. Patri-

vij

rij autem ac nobiles Cyprij maiori ex parte ex Gallia oriundi ſunt; qui poſt amiſſam terram Sanctam ſimul cum Rege Guidone Luſignano in hanc inſulam ſeſe contulerunt, quod accidit circa annum Domini 1193. Verùm poſtquam Regnum hoc in ditionem Reipublicæ Venetæ ceſſiſſet, non ſolùm patricij Veneti qui illic inhabitabant, intelligebantur Nobiles Cyprij, ſed omnes etiam ciues vniuerſi Dominij Veneti, qui per quinquennium Nicoſij commorati fuiſſent, ex conceſſione Reip. fiebant Nobiles Cyprij.

Fuerunt autem inter patritios nuper hi principes viri ſeu titulares, nempè: Princeps Antiochiæ, Princeps Galilææ, Princeps Montis regalis, Dominus Iaeti, Dominus Toroni, Dominus Cæſareæ, Dominus Sur, Dominus Tabariæ, Comes Zaphi, Comes Ruchas, Comes Tripolis, Comes Carpaſſi, Siniſcalcus Hieruſalem, Siniſcalcus Cypri, Comeſtabilis Hieruſalem, Comeſtabilis Cypri, Mareſcialis Hieruſalem, Mareſcialis Cypri, & Zamberlanus Cypri. Sed multi ex his titulis ſublati fuerunt ſub vltimis Regibus Cypri, aliqui etiam ſub Dominio Reipub. Venetæ. Etenim non omnes huiuſmodi tituli hæreditarij erant; verùm vtplurimùm ad libitum Regis Patritijs ipſis conferebantur dum viuerent: quandoque etiam poſt mortem, vt titulus Comeſtabilis Cypri, qui ab vltima Regina Catharina Cornelia aſſignatus fuit familiæ Dauilæ, inter nobiliſſimas ac opulentiſſimas connumeratæ; ex qua ortus eſt Ferdinandus Dauila Epiſcopus olim Rhemi, & nunc Aſculanus, quem in viuis hodiè forſitan agentem, & tum alia eruditione, tum verò eloquentia florentem honoris cauſa nominare fas ſit.

Patritij titulares Cyprij.

Cæterùm incolæ vniuerſæ inſulæ, qui extra vrbes degnnt, quinque diuerſarum conditionum ſunt, nempè Parici, Leffteri, Perpiarij, Albanenſes, & Veneti albi.

Inter hos Pariciorum, id eſt obligatorum, conditio miſerrima erat, quippe qui non dignius quam mãcipia tractabantur: hi namque ſingulis annis vectigal quoddam ſuis dominis perſoluebant, & alijs oneribus grauabantur: ſingulis enim perſoluebant, & alijs oneribus grauabantur: ſinguliſ enim hebdomadis duobus diebus operas Dominis gratuitas locabant; qui Domini omnem in eos poteſtatem habebant, & omne dominium, vt eos tum carcere tum exilio mutare poſſent, fuſtibus cædere, torquere, denique eos omni alia, præterquam capitis ac ſanguinis pœna afficere poterant: hoc enim iuris ſolus ſibi Rex retinebat. quinetiam eos venundare, ac permutare ijs licebat: contraque his à dominis libertatem redimere 60. circiter aureis facultas erat, remanentibus tamen eorum agris paricis, id eſt obligatis ſuis dominis eadem & conditione, ſicut prius. Leffteri dicuntur quaſi liberi, & hic quidem prius erant Parici antequam liberati eſſent, & intelliguntur etiam eorum filij eſſe liberi, exceptis illis qui ante libertatem ipſius generati erant, hi enim in pariciorum conditione permanebant. Leffteri aut quintam aut ſextam fructuum partem quos ex agris ſuis colligunt, domino perſoluunt. Cautum tamen lege eſt, ne hi Leffteri cum particijs matrimonio iungantur, quia omnes filij qui ex ijs naſcũtur, intelliguntur eſſe parici. Perpiarij ſunt quidam ex paricis qui tempore Ducum Cypri libertatem obtinuerunt vnà cum eorum filijs, ac deſcendentibus, hac tamen pactione, vt ſingulis annis perſoluant

Leffteri.

Perpiarij.

uant quindecim perpiros pro ſingulo, qui perpirus monetæ cuiuſdam certæ Conſtantinopolitanę nummus eſt. ſed tamen horum agri remanſerunt parici, id eſt ſubiecti, ſicut prius.

Albanenſes ſunt quidam populi diſpendiarij, qui iſthic ex Albania conducti ſunt olim ad inſulæ cuſtodiam, & hi quidem filios procrearunt continuè, qui ſimiliter vt milites, ſtipendia exigebant, vſque ad captam à Turca inſulam. Veneti denique albi dicuntur quidam Coloni, qui liberi ſunt tam ipſi quàm eorum filij, perſoluentes tantummodò Regibus, vel Reipublicæ Venetæ quandam exiguã pecuniæ portionem. Fuerunt olim Epiſcopatus in vniuerſali inſula 14. & omnes quidem Græcanici: ſed ab Innocentio 3. ſummo Pontifice in gratiam Reginæ Aliſię ad quatuor tantùm fuerunt redacti: & hi ſunt Archiepiſcopatus: Nicoſienſis duplex, alter Latinus, & alter Græcus; Epiſcopatus Famagu- *Status Eccleſiaſticus.* ſtanus itidem duplex, Latinus & Græcus; Epiſcopatus Paphienſis, Latinus & Græcus; & Epiſcopatus Limiſſienſis duplex, Latinus & Græcus. Hi autem Epiſcopatus Latini oppida ſeu caſales, & decimas habebant; ſed Græci Epiſcopi annuum ſtipendium à ſuis presbyteris & diaconis ſubiectis exigebant more Prælatorum Græcorum, aliarum prouinciarum. Cæterùm Archiepiſcopus, & Epiſcopi Græci Latinos Epiſcopos ſibi ſuperiores agnoſcebant, à quibus poſt eorum electionem in Epiſcopos per Conſilium Regium factam, ipſi Græci Epiſcopi cõfirmabantur, & à Græcis ad Latinos Epiſcopos in cauſis dabatur prouocatio. Neque verò in commemoratis vrbibus Græci Epiſcopi reſidebant, ſed alię ſedes ipſis aſſignatæ fuerunt ab Alexandro 4. Pontifice, vt legitur in ſua Summa Alexãdrina. Etenim

Archiepiſcopus Græcus Nicoſienſis ſedem habebat in vrbe veteri Soliæ, & gubernator ſeu adminiſtrator populi Græci Nicoſiæ: Epiſcopus Paphi cōmorabatur in vrbe Arzos: Epiſcopo Limiſſienſi aſſignata fuit ſedes Amathuntæ; ſed quoniam illa vrbs inhabitata erat, commorabatur in vrbe Leſcata. deniq; Epiſcopus Famaguſtanus reſidebat Carpaſſi: temporis tamen progreſſu his ſedibus relictis reuerſi fuerunt in priores vrbes, præterquam Epiſcopus Limiſſienſis, qui ſemper Leſcare permanſit.

Non pretereundum etiam eſt, Archiepiſcopum Nicoſienſem Latinum, qui Archiepiſcopus Cypri appellabatur, nulli patriarchæ, ſed ſoli ſummo Pontifici parere, vnde primas Regni & Legatus natus Summi Pontificis erat. deinde ſub Pio 4. hunc Archiepiſcopatum iuris patronatus Dominorum Venetorum factum fuiſſe, qui ſemper quatuor viros eligere ſolent, quorum vnum à Summo Pontifice Archiepiſcopatus ipſe confertur. Præter Eccleſiam Latinam & Græcam in inſula hac aliæ quoq; Chriſtianorum ſectæ ſunt, vt Armeniorum, Coftorum, Maronitarum, Indorum, Neſtorianorum, Georgianorum, & Iacobitarum, quæ fugatæ fuerunt à Rege Saladino poſt captam Ieroſolymam, & illuc cum Guidone Luſignano commigrarunt. atque hæ omnes quidem ſectæ ſuo vtuntur Epiſcopo.

Dominij huius inſulæ varius ſucceſſus.

Inſulam denique hanc Iaphetum Noë filium omnium primum inhabitaſſe ſcriptores tradunt, quæ poſtea Tyrannis Græcis ſubiecta fuit poſt extinctam Aſſyriorum monarchiam. Nam habuit Teucrum primò, qui Salaminam condidit, eiuſque prolem vſque ad Euagoram & filium eius Nicoclem.

dem.Poſtea Romanis paruit, & horum auxilio in manus venit Ptolemæorum Aegypti Regum, quorum poſtremus veneno ſublatus eſt, & denuò ſub Romanorum Imperio cecidit. Occidente Imperio, Conſtantinopolitani Imperatores eam tenuêre, ſub quibus inſula ipſa à Ducibus regebatur annis circiter 800. poſt Duces ſucceſſerunt Reges Latini ex familia Luſignana Galliæ nobiliſſima. Poſtremò verò ſub ditione inclytæ Venetorum Reipublicæ peruenit Anno 1473. ſub qua vſque ad annum 1570. feliciter permanſit, quo à Selino Turcarum Imperatore maxima Chriſtianorum clade ac miſeria occupata fuit.

GEO-

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER III.

continens Europæ deſcriptionem.

CAPVT PRIMVM.

EVROPA omnium terræ partium quamuis minima, reliquis tamen cũ hominum frequentia, tum etiam fertilitate, ſi non ſuperior, certè æqualis, & cum optimis comparanda, vtpotè populoſiſſima & cultiſſima. Siue etiam terrę excellentiam metiri placeat, vel ex ſua, ad animalium & imprimis hominis vitam ſuſtentandam ac fouendã commoditate, certè modis omnibus principatum tenere videbitur Europa; quippè cùm felix prouentu rerum omnium cùm ad vitam ſuſtentandam, tùm contra morbos tutandam, herbas ferens medicas omnis generis, fructuum variorum lautiſſimorumq́ue gaudens abundantia, vini frumentiq́ue copia: cùm & ea quæ ad delicatiorem quoque vitã iuuant, abundè ſuppeditet. vt nil eorum quod deſiderari poſſit humanis vſibus, ab alijs petendum ſit. niſi quis gemmarum aut aromatum nihil in ea naſci obijciat: neque tamen is negabit compenſari rerum earum penuriam, aliarum cùm non minus vtilium, tum quibus harum vice rectè vti liceat, copia & abundãtia. Aëre Cœloque vtplurimùm fruitur temperatiſſimo ac clemẽtiſſimo. Verùm ſit certè magis Felix vel India, vel Africa, prouẽtu rerum

ad


EVROPA
Gronlandiæ Pars
MARE SEPTENTRIONALE
Oceanus Schitycus
ISLANDIA
Deucalidonius
Oceanus
OCCIDENTALIS
OCEANVS
Orcades
Scetlant
Hebrides insul
SCOTIA
IRLANDA
Oceanus Germanicus
ANGLIA
Londra
Dorsoy
Flandria
Belgica
Normandia
Bretaione
GALLIA
Cantabricus oceanus
Bilbao
Galicia
Navara
Arragona
Barcelona
HISPANIA
Granata
Malorca
Corsica
Sardinia
Sicilia
Malta
MARE MEDITER RANEVM
Candia
Cyprus
Rhodus
AFRICAE PARS
Barbaria
Pyropidium
Alexandria
Aegiptus
Boddia
Finlandia
Biarmia
Corelia
Suecia
Giberga
Gotia
NORVEGIA
Livonia
Prusia
Polonia
Silesia
Boemia
Saxonia
GERMANIA
Russia
Luuania
Podalia
Moldauia
Valachia
Hungaria
Dalmatia
ITALIA
Roma
Napoli
Calabria
Venetia
Lombardia
Macedonia
Albania
Morea
Romania
NATOLIA
Smyrne
Troia
Turcomani
Media
Mesopotamia
Tripoli
Damasco
Aleppo
Ierusalem
IVDEA
Arabia
Persicus sinus
SORIA
Eufrates fl
Tigris fl
Persia
Mare de Bachu olim Caspium
Mare Maggiore
Georgiani
Cattachi
Turchestan
ASIA
Tumen
Volga fl
Mosco
Vologda
Permia
Condora
TARTARIA
Pecora
Cheghloma
Nouogardia
Tripoli
Caffa
Cumani
Circassi

ad delicatiorem vitam deſideratarum (quod vix perſuaſum habeo)non tamen ideo terræ iſtæ videbuntur huic præferendæ, eò quòd non metienda videtur terrarum excellentia, vtenſilium in eis copia,ſed vtentium(propter quos illa creata ſunt)frequentia.Eſt Aſia magna,vaſtaque,habitatores pauci. Africa quamuis paulò minor, Europam tamen triplo excedit. habitatorum verò huius illa vix habet partem mediam;ita vt veriùs à terra hi, quā ab his terra habeatur.Atque hoc ipſum earum inopiæ argumētum magnum(hoc maximè tempore) quo nullum,vel minima fertilitate præditum,ſolùm incultum maneat: quod Riphæi Alpeſque montes perpetuis niuibus albicantes,veruntamen habitati, abundè ſatis teſtatum faciunt.Aſiæ verò Africæq; magnæ & vaſtæ ſolitudines,animantium vitæ nulla in parte ſeruientes, ex Solis ardoribus arenis tectæ,ſqualentes agri,ſordidique, vt viſentibus etiam horrorem incutiant.At hęc Europa,parua quidem;cultiſſima tamē,& populoſiſſima,qua in parte ſola etiam totam ſeu Aſiam, ſeu Africam excedit,nitens,totaque habitata,præterquam in exigua parte,quæ ob frigoris iniuriam vix aut ægrè habitari poteſt:populos gignens pugnaces,forteſque agrorum & vrbium cultores: legibus benè conſtitutas Reſpublicas tenens. fructuum optimorum feraciſſima, metalla etiam ſeu minæralia habens omnia,pecudum mitium ditiſſima,cùm & ferarum nō minus vtilium alat copiam, nociuarumq; raritatē iactet.Incolæ ingenio ſemper acri,animoque forti ſunt,& fuerunt,vt ſæpius his animi & corporis dotibus totum Imperio ſuo Mundum ſubdiderint: & fatale ipſis eſſe videatur reliquis terræ partibus imperare.vt ex fortiſſimè Alexandri Magni geſtis apparet,

Monarchia Europæ fatalis.

 paret,

Atque hodierno etiam tempore videmus, longiſſimè remotas terras à pleriſque noſtratibus Regibus ac Principib⁹ teneri & gubernari. Hanc autē Europā hodiè vulgò Imperiū Ro. Frequentius aūt (quod etiā latius patet) Chriſtianiſmū ſeu Chriſtianatū, ſiue Orbē Chriſtianū vocitare ſolemus: quāuis (proh dolor) plurimis in locis Turcarum crudeli vaſtatione, penit⁹ extirpata ſit fides Chriſtiana. Terminos aūt huius Europæ, eiuſq; amplitudinē, quot, quę, & quanta Regna, Ducatus, &c. cōplectatur, ſuperfluū hîc enarrare ducimus: illa. n. typus libello inſert⁹ ob oculos cuiuis ponere poteſt, præſertim ſi magnā iſtā Vopelij Europā oculis perluſtres. ex ſequētibus præterea capitibus, quæ ſingula huius Europæ mēbra ſint, dilucidè ſatis apparebit. Europa tamē vnde hoc nomen acceperit, quiſve eius autor extiterit, à nullo mortaliū cōpertū eſt: niſi quod dicimus ab Europa Agenoris Phęnicū Regis filia nomē accepiſſe Regionē; nec ante, ſicut cęteras, nomē habuiſſe. occaſio aūt nominis hæc erat: Cū Mercurius iuſſu patris in Phęniciā tranſgreſſus eſſet, vt armenta illius reg. ad littus cōpelleret, Iupiter in Taurū conuerſus eſt; qui cū ſe iuuencis Agenoris Regis immiſcuiſſet, in amorē ſui ſpatiantes in arena virgines conſiſtere coēgit; ac paulatim ad ſingulas alludēs, nouiſſimè Europā Agenoris filiā, cuius amore perculſus auerterat figurā, inſidentē ſibi tergo per Mare in Inſ. Cretā detulit: ibiq; concubitu eius fructus eſt. de quo prolixius Naſo lib. 2. Metamorph. in fine. In 5. autem Faſtorum de hac re ſic loquitur:

Occaſio nominis Europæ.

Idibus ora prior ſtellantia tollere Taurum
Indicat: huic ſigno fabula nota ſubeſt.
Præbuit vt Taurus Tyriæ ſua terga puellæ
Iupiter, & falſa cornua fronte tulit:
Illa iubam dextra, læua retinebat amictus:

Et

Et timor ipſe noui cauſa timoris erat.
Aura ſinus implet, flauos mouet aura capillos,
Sidoni ſic fieras conſpicienda Ioui.
Sæpè puellares ſubduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactus aſſilientis aquæ.
Sæpè Deus prudens tergum demittit inundas,
Hæreat vt collo fortius illa ſuo.
Littoribus tactis ſtabat ſine cornibus vllis
Iupiter, inque Deum de boue verſus erat.
Taurus init Cœlum: te Sidoni Iupiter implet:
Parsque tuum terræ tertia nomen habet.

Occaſio certè fabulæ ſecundũ Mythologos hæc eſt, quòd Cretæ Rex Iupiter raptam Europã in Sidonio littore, naui cui Tauri nomen erat, in Cretã regnũ ſuũ abduxerit. eſt.n. non minus familiare nauibus quã domib⁹ ſua tribuere nomina, præſertim apud Maritimos. Quod ad magnitudinẽ Europæ, habet tota hæc pars in longitudine, quæ cõputatur à Maritimis Luſitaniæ, vtpotè ab Vlyſſibona Conſtantinopolim ad extrema vſq; Græciæ, mil. Germ. circiter 600. ac totidẽ ferè in latit. vbi eſt latiſſima; puta ſi Sept. tractum corpori virgineo adiungas, vt potè ab inſula Sicilia in Schrickfinniã vſq;, extremitatẽ totius continui iſtius Europę Borealis. Iã verò ſingula ac præcipua Europæ regna Germaniã circumiacentia ordine aggrediamur. vna namq; Germania integrum nobis poſtea librum conficiet.

DE ANGLIAE REGNO NOBILISSIMO. Cap. 2.

Cujus tabulam Geographicam accuratè inſertam vid. infra p. 464.

ANglia inſularum quæ ad Europã ſpectãt, omnium maxima, diuerſis temporibus diuerſa nomina ſortita eſt. Anglia autẽ vox Cimbrica ſeu Saxonica eſt, & hamum ſignificat quo piſcatores vtuntur, ait Becanus in Saxon. lib. 6.

Olim

Olim etiam Albion ab albis rupibus, qui ad eam nauigantibus primùm apparent, dicta eſt. Britannia etiam vocabatur, cuius nominis origo iam dubia. ſunt qui à Bruto duce Troiano (quem ex Aquitania huc traieciſſe fuerunt) ſic dictam velint. Beda tamen natione Anglus, à Galliæ populis Britannos appellatos tradit. Angliam alij vocatam volunt ab Angela Saxonum regina, quæ expulſis gigantibus qui tunc eam incolebant, inter ſuos inſulam partiens ac diſtribuens, vt victoriæ gentiſque memoria nunquam intercideret, Angliam à ſe denominari voluit. Paulò aliter refert Volaterranus, qui non à Regina Saxonum, ſed ab Angilis eiuſdem Saxoniæ illuſtri populo appellatam dicit: quos, cùm à Pictis Scotiſque moleſtarentur Britanni, in auxilium vocarunt, atque hanc tandem terræ bonitate ſimul & amœnitate inuitati, eos circumuenerunt, ac Inſulanorum bona inter ſe partiti ſunt. Hos tamen Angilos Sueuos non Saxones fuiſſe author eſt Ptolemæus, qui in media VVeſtphalia ad Amaſij fluuij fontes habitarunt. Secus paulò Ioannes Maior narrat in hiſtoria rerum Scoticarum; ait enim Vortigerum Regem Britannorum, in ſubſidium contra Pictos aliosque hoſtes accerſiuiſſe Engiſtum quendam Saxonum ducem, qui fuſis pulſiſque hoſtibus, ipſe tandem in Regni deſiderium inciderit, à ſeque occupatum & captum Engiſtlant vocari voluerit, atque hinc vnius vel alterius literę metamorphoſi, vt ſæpè fit, Engellant dici arbitratur. Nec deſunt qui credant ſic dictam Angliam, quaſi Anguli terram, vel noſtri orbis angulum. Caledonia etiam quibuſdam ab ingenti in ea eiuſdem nominis ſylua vocatur. Tota ita hæc inſula, natura triquetra, Siciliæque ſimilima eſt vel

Varia Angliæ nomina, eorumq; etyma.

ipſo

ipſo Cæſare teſte. Hodie in duo diuiditur Regna, Angliæ & Scotiæ. Angliæ regnum vocatur pars inſulæ Meridionalis, Galliæ proxima. Terra eſt eximiè fertilis, ac metallis diues: habet enim aurum & argentum, argentum viuum, cuprum. ſtannum, plumbum, ferri autem exiguam copiam. Nec caret Salis fodinis: quin & margaritas terra producit, & miræ naturæ Gagatem lapidem, in aqua ardentem, oleo autem extinguibili; lapis nigro gemmeus, nullius ferè ponderis, attritu calefactus applicata detinet vt ſuccinum. Pecoribus alendis non alia aptior terra: lanarum ibi diues mercatura, regioque nobili panno celeberrima, qui inde in longinquas exportantur regiones. Lupos non fert vllo modo, nec vllum venenoſum animal, aut rapax, præter vulpem. Terræmotus in ea rari, quemadmodum & fulmina. Diuiſum autem eſt Angliæ regnum in triginta circiter Comitatus: villæ & vici in ea plurimi ſunt, vrbeſque permultæ. Archiepiſcopales ex ijs ſunt duæ, Eboracum & Cantuaria. Scholæ ſeu Vniuerſitatis duæ, Oxonium & Cantabrigia. Londinum totius Regni metropolis, Trinouantum olim, & Troia noua dicta, ad Tameſim fluuium magnis nauibus peruium, celeberrimum ditiſſimumque emporium, ſimul & ſedes Regia. Eiuſdem regni fluuij nauigabiles, æſtu Marino affluentes & refluentes, ſunt Seuerinus, qui per VValliam labens, in Verginium Oceanum effunditur: Humbria, qui Eboracum præterlapſus Oceano Germanico excipitur. Incolæ rerum nauticarum peritiſſimi, nullum ferè Orbis angulum inexploratum relinquentes. Multa regnum hoc nobilitate pollet: & quamuis longæua fruatur pace, bellicoſiſſimos tamen ac planè intrepidos producit viros. Legibus

Metalla Angliæ.

Panni Anglici.

Fluuij.

vtun-

vtuntur Angeli municipalibus, cùm Scoti ciuilibus vtantur. Eadem vtrique genti in bello ferocia: ſagittis Angli, haſta longa Scoti in acie præualent. Rara inter eos pax, dum illi propagare, hi retinere imperium ſtudent. Lingua Anglica ex multis mixta eſſe creditur, vt etiam apparet, præſertim Germanica & Gallica; quamuis olim merè Germanicam fuiſſe veriſimile eſt. Porrò de antiquitate ac præ nobili Anglorum Regum origine & ſucceſſione hæc ſcitu digna breuiter adijciemus: Brutum ſupra nominatum ſecuti ſunt Reges ſexaginta octo; eorum poſtremus erat Caſiuellanus, qui cùm Regno potiretur, in Angliam venit Iulius Cæſar, inſulamque armis ſuperatam imperio Romano ſubiecit quam poſtmodo Romani annos ferè quingentos tenuêre: donec Aetius Burgundionibus Galliã vexantibus, legionem Romanam, qua vna tum quieſcebat Britannia, ex inſula in ſubſidium reuocaret; quo tempore Scoti Pictique in Angliam irrumpentes totam inſulam deuaſtarunt. Verùm Aetio nullas ſuppetias inſulanis ferente, quamquã ſæpè illius opem ſubſidiumque implorarunt; indignati Britanni Vortigerium ſibi Regem elegerunt, animumque recipientes Saxones Anglos adiutores in Inſulam accerſiuerunt. qui cùm fortiter hoſtes pugnando omnes eò Britannia pepuliſſent, ipſi eam ſibi vindicarunt, Angliamque primi appellauerunt, atque in ſeptem regna diſtribuerunt, quorum ſeptimum ac poſtremum Occidentalium Saxonum Regnum, anno aduentus Anglorum ſeptuageſimo ſecundo, Salutis humanæ 520. exordium à Cerditio primo Rege ſumpſit, cuius poſteri toti deinde Britanniæ imperarunt. Horum 36. Rex Heraldus fuit. hunc prælio ab ipſo ſuperatũ atq; occiſum ſeque

Regum Anglicorum origo.

ſequebatur Guilhelmus Conqueſtor, anno Chriſti circiter 1070. a quo vigeſimus eſt Hẽricus octauus pater Edouardi, Mariæ, & Elizabethæ etiamnum ſceptrum regale tenentis.

ORDO REGVM ANGLIAE, A Guilhelmo Conqueſtore, ad præſentem vſque Regni præſidem.

Cap. 3.

POſtquam Heraldus, Eduardo abſque liberis mortuo regnum occupaſſet, Guilhelmus hic Normaniȩ dux, qui vt legitimo hæredi ab Eduardo inſtituto, Regnum ſibi iure euenire prædicabat, propterea quòd illum ſecundo & tertiò cognationis gradu attingeret, Legatos ad Heraldum miſit, vt abdicato Regno filiæ connubium, quam illi dũ in Normania erat ſpoponderat, maturaret: quorum dum neutrum ſe facturum ille reſponderet, armata manu in Angliam venit, & occiſo Heraldo, Caſtriſq; direptis, confeſtim Londinum properans, à magnatibus in vrbem receptus, & ab Aldredo Eboracẽſi Epiſcopo Corona redimitus fuit: qui poſt extructas diuerſis in locis 4. arces, durius atque inhumanius ſuos regebat. Suſcepit ex vxore Machtilde filia Comitis Flandriæ tres filios, & quatuor filias. Vergente ad ſenium ætate, tria magnifica Cœnobia condidit; duo in Anglia, vnũ eo in loco vbi Heraldum prelio ſuperauerat quod D. Martino dedicatum Cœnobium de bello appellari voluit: alterũ propè Londinũ S. Seruatoris Cœnobiũ appellatũ, tertiũ verò Cadomi in Normania. Tandem multis rebus inſigniter geſtis dum finitimorum Frãcorum agros deuaſtaret, in Normania *1. Guilhelmus Conqueſtor.*

læſis

læſis ex ſaltu equi inteſtinis, mortuus vigeſimo-primo regni ſui anno, Aetatis verò 74. & Cadomi in templo D. Stephani ſepultus eſt, anno Chriſti 1087.

2. Guilhelmus Rufus. Cùm Guilhelmus cognomento Rufus Guilhelmi filius, ex patris Teſtamento Regnum eſſet adeptus, graue bellum exarſit inter hunc & Robertum natu maiorem Fratrem: verùm conſilio Lanfranci Cantuarienſis Epiſcopi, ex cuius arbitrio regnum legitimè adminiſtrabat, ſuperior euaſit: nam hic vt antea primi Guilhelmi duritiem leniuerat, ita huius Rufi feram naturam coërcuit, vti poſtea clarius patuit. quoniam hoc antiſtite mortuo, Rufus perinde vt ſolutis vinculis, omnia repagula iuris, pudoris & officij refregit: ac primùm auaritię ſtimulis actus profanos ac religioſos ſimul intolerabilibus, exactionibus vexauit. In cælibatu vixit perpetuo: ſtatura corporis humilior, bello tamen ſtrenuus erat. Decimo autem regni ſui anno, dum vrgente fato in eos ſaltus quos vulgo nouam foreſtam vocant venatum iret, à Franco quodam milite inter venandum ſagitta transfixus, magna ſuorum lætitia perijt, & Vintoniæ in templo S. Petri & Pauli ſepelitur, anno Chriſti 1101. ætatis verò 43.

3. Henricus primus. Henricus Guilhelmi filius minimus patre Rege natus, Roberto in Hieroſolymitana expeditione procul abſente, poſt fratris mortem Londini Rex coronatus eſt. qui vt hominum ſtudia in ſe verteret, cùm dando tum pollicendo munera, etiam leges quas pater tulerat iniquas ac populo graues ſuſtulit. Compeſcuit Gallos ac VVallos: cepitque fratrem ſuum in Normania prælio ſuperatum. mox reuerſus in Angliam magno ſuorum plauſu exci-

excipitur. Ex filia Regis Scotiæ habuit filium Guilhelmum: qui cùm dux eſſet factus Normaniæ, paulò poſt in Mari perijt, & filiam Machildem: quæ propter inſignem formam nupſit Cæſari Henrico: & deinde Gaufrebo cognomento Plantagenete, Comiti Andegauorum, Turonum, & Cenomanorum: ex quo liberos genuit. Hic trigeſimoquinto regni anno in Normania mortem obiens ſepelitur in oppido Redingio, non ſine magno ſuorum luctu, anno Salutis 1135. ætatis verò 67.

Stephanus ex ſorore Adela Henrici nepos Stephani Bleſenſium Comitis filius, poſt Henricum iniuſtè contra ſuum ipſius iuſiurandum regnum obtinuit. Quare Mathildis Henrici filia adiuta à filio illum è regno expellere conata eſt magna incolarum clade: regnoque in diuerſas factiones diuiſo, Rex ab vna parte, Robertus Comes Gloceſtriæ ex concubina Mathildis frater, ab altera parte captus eſt: Tandem Rex ac Comes carceris moleſtia defatigati & fortuna belli confiſi, nulla pacis facta mentione ſe cuſtodia liberarunt. Hic genuit filium Euſtachium ex Mathilde Comitis Boloniæ filia: cuius immatura mors peperit Anglis certam ſtabilemque pacem. Nam Stephanus prole deſtitutus, Mathildis filium Normaniæ ducem regnique ſucceſſorem conſtituit. Qui paulò poſt vndeuigeſimo regni ſui anno mortuus, ſepelitur in Cœnobio ab ipſo in Cantio ædificato, prope vicum Feuerſanu, anno Chriſti 1154. ætatis 49. *IIII. Stephanus primus.*

Henricus Mathildis filius magno cum triumpho 4. Cal. Ian. coronatus eſt. hic inito principatu delegit ſibi viros graues, Senatores conſiliarioſque doctiſſimos, quibuſcum primùm leges recognouit atque correxit; dein VVallos rebellantes domuit. *V. Henricus ſecundus,*

Hic filium Henricum annos natum ſeptemdecim coronandum curauit, cuius eum poſtea pœnituit: cùm filius immatura regnandi cupiditate accenſus patri ſe oppoſuit, adiutuſque à Gallo ſocero eſt, ſed fruſtra. Huic Ricardus ſecundus filius quoque reſtitit: neceſſitate enim coactus, ad patrem ſupplex veniens, precibus priſtinum dignitatis gradum obtinuit, pacemque inter patrem & fratrem compoſuit. Dum hæc in Gallia fiunt, Angli Scotorum Regem prælio victum in Angliam captiuum ducunt. Ex Alconora filia principis Aquitaniæ genuit tres filios & quatuor filias. Corpore fuit opimo & validiſſimo, artis militaris peritus, atque in rebus bellicis fortunatiſſimus. Obijt cùm triginta quinque regnaſſet annos, ſepultuſque eſt Chinonæ in Normania, aut vt quidam aſſerunt in Cœnobio ſancti Ebrulphi in Principatu Alenconienſi, anno Chriſti 1189. ætatis 61.

VI. *Ricardus primus.*

Ricardus Henrici filius ſuſcepto regno magnam claſſem ex Regni decreto apparat, &ad obſidēdam Ieroſolymam proficiſcitur: ſed cùm audiuiſſet fratrem Galli opera adiutum in Normaniam irrupiſſe, obſidionem ſoluit, ortaq; tempeſtate in Dalmatiam delatus, per Germaniam mutato veſtitu iter faciens, à Leopoldo Auſtriæ Duce Viennæ capitur: propterea quod ex muris captæ Ptolemaidis indecenter ſigna Leopoldi ſuis loco poſitis deieciſſet: vbi quindecim menſes cuſtoditus, tandem ingenti pecuniæ ſumma redemptus dimittitur: & in Regnum reuerſus, fugatis hoſtibus deuaſtauit eorum regiones; fratrem tamen conſilio atque interceſſione amicorum in gratiam recipit, ac deinde pacem cum Gallo componit, Vxorem habuit Be-

rengariam Garſiæ Regis Nauarræ filiam, verùm nullos ex ea genuit liberos. moritur decimo regni anno vulneratus ſagitta dum oppidum Calacum in Pictonum terra obſideret; ſepultus in Cœnobio S.Ebrulphi ad pedes patris, anno Chriſti 1200. ætatis 43.

Ioannes poſt mortem fratris regnum adeptus, promittendo multa ſubditos deuincire ſibi conabatur, quia Ricardus nepotem Arthurum ex fratre Gaufredo teſtamento Regem eſſe voluerat, qui ob id negotium Ioanni faceſſebat: tandem in prælio captus cuſtodiæque Rothomagi traditus non diu ſuperſtes manſit. Quod vbi Philippo Gallorum Regi nunciatum eſt, Ioanni bellum indixit, atque breui totam Normaniam in ſuam poteſtatem redegit. Hic in bello gerendo parum felix, animo tamen ſæuo, ſed parum forti erat. cumque illi non bene conueniret cum ſuis principibus & præſulibus fauorem omnem ſubditorum amiſit. Ex Iſabella Comitis Angoliſmi filia genuit duos filios & tres filias: & quia ſuis grauis erat atque moleſtus propter leges diui Eduardi, contra promiſſum non reſtitutas, aſſciſcitur in Regnum Ludouicus Galli filius, qui eum prælio ſuperauit, ita vt metu fugeret in arcem Neuuarcum; vbi magnis animi doloribus potius quàm corporis conſumptus perijt, poſtquam ſeptendecim annos regnaſſet; ſepultusque eſt Vigorniæ in ſummo templo, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, ætatis verò quinquageſimo primo.

VII. Ioannes primus.

Ioanne mortuo Principes Henricum filium annos natum nouem Regem ſalutant, atque bonis artibus inſtituendum curæ Guilhelmi Comitis Glo-

VIII. Henricus tertius.

Gloceſtriæ tradunt: quamobrem Ludouicus Gallorum Regis filius certam pecuniæ ſummam pactus ex Anglia abijt: ac ſtatim Henricus Londini ab omnibus Nobilibus magna cum pompa coronatur. Deinde cùm Leolini VValliæ Principis filij Griffinus & Dauid de principatu inter ſe contenderent, exuuntur ſuis ditionibus, quas Rex ſuo Regno adijciendas cenſuit. Huic vxor Alcorana filia Comitis prouinciæ peperit duos filios & tres filias. Cumque bellum in Gallia gereret, tradidit Gallorũ Regi Normaniam certo fœdere: nimirum vt ille totam Aquitaniam Gallis cederet. Porrò cùm decreta ſtatutaque in Conſilio Oxonienſi ſuis non ſeruaret, exortum eſt bellum ciuile grauiſſimum. Cùm iam quinquaginta ſex regnaſſet annos moritur, & VVeſtmonaſterij ſepelitur, anno ſal. 1273. ætatis autem 65.

IX. Eduardus primus.

Edouardus Henrici filius poſt Guilhelmum Normanum primus eius nominis annum agens quintum & trigeſimum Rex factus eſt. Hic initio Regni ſanctiſſimos quoſque ac fortiſſimos viros ad res bene gerendas in domeſticum ſuum conſilium delegit, ac bellum in rebellantes ſuſcepit: quorum regionibus pacatis, in Gallos contendit qui Aquitaniam recipere conabantur. Scotorum quoque Regem adortus eſt, quod is Gallo ſubueniſſet: quo tẽpore Angli Scotiam valdè affligebant & deuaſtabant: adeò vt ipſum Regem ceperint, captumque in Angliam deduxerint. Huic vxor erat Alcorana Regis Hiſpaniæ filia, quæ peperit illi quatuor filios & quinque filias: qua mortua duxit Margaretam Philippi Regis Galliæ ſororem, ex qua genuit duos filios & vnam filiam. Cùm autem Scoti alium ſibi elegiſſent Regem, bello eos ſuperatos imperata facere

cere coëgit. Rexit annos triginta quinque, & mortuus ſepelitur in Monaſterio Occidentali, magno ſuorum luctu, anno ſalutis 1306. ætatis 69.

Eduardus Princeps VValliæ poſt mortem patris in Scotiam profectus, proceres in ſua verba iurare fecit: deinde relicto in Scotia militum præſidio, Londinũ reuerſus magno omnium applauſu Rex eligitur. Initio ſuis charus, dum conſilio bonorum acquieſcebat. Mox electo Petro quodam Ganeſtonio regni Vicario, viro parum probo, improborumque fautore, amiſit gratiam omnium bonorum Principum. Cumque iam bene conſulentibus minus minuſque auſcultaret, irruperunt Scoti in Angliam nullo reſiſtente. Ex Iſabella Philippi pulchri Regis Galliæ filia genuit duos filios, ac totidem quæ in maritum conſpirans cum Regni Nobilibus eum latitantem in arce quæ eſt ad oppidum Brygnorthum compræhendit, captumque deduci iubet in arcem Keneluorthem vbi ſe illi imperio abdicat, atque in filium regnandi ius transfert. Anno autem Vndeuigeſimo poſt regnum ſuſceptum vulneratus in carcere moritur: & Gloceſtriæ ſimplici funeris apparatu ſepelitur in Cœnobio S. Benedicti, Anno 1327. ætatis 43. X. *Eduardus ſecundus.* *filias.*

Eduardus Rex coronatus eſt admodnm adoleſcens: quamobrem mater eius ad tempus Regnum adminiſtrabat ex bonorum Principum conſilio. Mox adultus vicit Scotos, recuperauitque ſibi omnia quæ pater amiſerat, ipſum Scotorum Regem capiens. Gallorum quoque exercitum in Picardia fudit. Hic ordinem Garterium inſtituit, ſymbolumque Ordinis eius ligaculum geſtauit primus. Vxor ei fuit Philippa filia Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, quæ peperit ei tres filias & ſex filios, quorum XI. *Eduardus tertius.*

natu maximus Eduardus factus Eques, Regem Galliæ Ioannem prælio victum triumphantis more in Angliam captiuum duxit: verùm adoleſcens hic ſtrenuus ante patrem obijt, relicto vnico filio Ricardo ex vxore Ioanna Comitis Cantij filia. Eodem quoque anno Rex præ mœrore, vti videbatur, in morbum illapſus, vita defungitur, altero & quinquageſimo regni anno, magnoque cum luctu in Occidentali monaſterio ſepelitur, anno 1376. ætatis 64.

XII. Ricardus ſecundus.

Mortuo auo Ricardus annos natus vndecim Regnum ſuſcepit, prudentique patruorum ſuorum conſilio omnem tumultum Cantianorum repreſſit. Hibernos ſylueſtres domuit, ac multa bella in Gallijs geſſit. Tandem mortua coniuge Anna Imperatoris VVencelai filia, cum Carolo Gallorum Rege pactis triginta annorum inducijs eius filiam Iſabellam in vxorem duxit. Quamobrem dux Gloceſtriæ patruus ipſi infenſus non ceſſabat omnia tentare quibus inducias frangeret: quem Rex veritus ne vt antea, illi negotium faceſſeret ex inſidijs captum necari iuſſit. Duces verò Lancaſtrius & Eboracenſis cognita fratris nece, confeſtim exercitum parant, atque Regem polliceri in poſterum omnia ex ipſorum ſententia facturum coegerunt. Nihilominus Rege omnia pro libidine agente, ac iam demortui Ducis Lancaſtrij fortunas inuadente, Regni proceres Henricum Lancaſtrij filium præter meritum exulem ex Gallijs accerſiuêre: qui in Angliam veniens Ricardum nullo negotio captum in turrim coniecit: vbi omni ornatu Regio depoſito ſceptrum atque coronam ſuis manibus Henrico tradidit. Anno regni ſui vigeſimo ſecundo

do in carcere perijt, ſepultuſque eſt in VVeſtmonaſterio, anno milleſimo treccenteſimo nonageſimo nono, ætatis 33.

XIII. Henricus quartus.

Henricus filius patrui Ricardi, à Thoma Cantuarienſi antiſtite, eodem anno quo Ricardus mortem obierat, more maiorum Rex eſt conſecratus. Et licet omnes à Ricardo aut in exilium actos reuocaret, aut carcere damnatos in libertatem aſſereret, tamen Ioannes dux Exceſtriæ, multique alij nobiles ab ipſo alieni, Regium honorem illi inuidebant, expellendi eius quærentes occaſionem: quæ res illis malè ceſſit, cùm in inſidijs Regi ſtructis depræhenſi capite plecterentur. Habuit vxorem Mariam filiam Comitis Hereſordiæ & Eſſexiæ, quæ illi peperit quatuor filios & duas filias. Sed hac mortua aliam duxit coniugem Ioannam viduam Ducis Britanniæ, ex qua nullos genuit liberos. Bellis ciuilibus hic perpetuò fuit exagitatus, adeò vt nulla vnquam quiete frueretur. Cùm claſſem in expeditionem Ieroſolymitanam pararet, cæpit ægrotare apud VVeſtmonaſterium, ac ibidem mortuus eſt decimoquarto Imperij anno, & ſepultus eſt Cantuariæ in templo Chriſti, anno milleſimo quadringenteſimo decimotertio, ætatis quadrageſimo ſexto.

XIV. Henricus quintus.

Poſt mortem patris ſucceſſit in Regnum filius Henricus: qui ſtatim laſciuos homineſque improbos ex aula regiaque ſua ſuſtulit, ac loco illorum fortiſſimos grauiſſimoſque viros in familiaritatem recepit, vt eorum conſilio, monitis, prudētiaq; iuuaretur. Bellum decreto Principum Gallis intulit, ſuperauitque eorum exercitum prope viculum

Dangicurtum, viuoſque cepit Duces Aurelianenſem & Borbonienſem cum multis alijs nobilibus: eoſque ſecum in Angliam abduxit, vbi magno cum triumpho à ſuis fuit exceptus. Deinde ducentis nauibus in Galliam traijciens, duxit Catharinam Caroli Gallorum Regis filiam: ea conditione, vt mortuo ſocero in Regnum ſuccederet; quod omnes proceres Galli incipiente Philippo Burgundiorum Duce iureiurando futurum illi affirmantes, Franciæ Regentem appellabant. Quare perpetuò ipſe Carolum Delphinum oppugnabat, omni qua ante præditus fuerat dignitate deiectum: quem ſæpè cõpulit fugere in Bituriges arcem tum natura loci, tum populi fidelitate illi tutiſſimam. Mortuus eſt anno regni ſui nono apud Vincentianum nemus prope Lutetiam, ſepultuſque maximo ſubditorum dolore VVindeſoriæ in templo S. Georgij, Anno 1421. ætatis 36.

XV. Henricus ſextus.

Patre mortuo Regnum adeptus eſt filius Henricus, qui cùm per ætatem regno moderando impar eſſet, Principes Hunfredo patruo Glოceſtriæ duci viro prudenti ex patris mandato Anglici regni moderationem commiſerunt: atque Ioannem ducem Bedfordiæ caput omnium rerum gerendarum in Francia eſſe voluerunt. Quo facto fœdere cum Philippo Burgundionum Duce multa præclara bella feliciter geſſit, atque Henricum annum agentem Lutetiæ in æde Virginis Mariæ ſolitis Ceremonijs à Cardinale Henrico coronari fecit. Verùm poſtea mutata fortuna Angli inferiores facti, Galliam relinquere coacti ſunt, cùm vrbe Pariſijs annos 15. eſſent potiti. Hinc exorto in Anglia inter Principes diſſidio ciuile bellum exarſit: quo durante Henricus ſemel in Scotiam fugatus, atque bis captus fuit.

Ex

Ex vxore Margaretha Renati Andegauenſium Ducis filia, vnicum filium Edouardum genuit: quæ bellicoſa ac ſtrenua erat mulier: adeò vt maritum captum è manibus hoſtium eripuerit, Regnumque ipſa adminiſtrauerit: cùm Henricus pacis quàm belli amantior, adeoque modeſto ac pio eſſet animo, vt ſibi tot mala cum ſuis, tum maiorum permultis peccatis eueniſſe prædicaret. Oppreſſus in carcere Regni ſui anno trigeſimo octauo, ſepultuſque eſt VVindeſoriæ in Templo S. Georgij, anno ſalutis 1472. æt. 52.

Cùm Henricus in Scotiam profugiſſet, Edouardus Ducis Eboracenſis filius conuocato more maiorum conſilio, ad VVeſtmonaſterium Rex creatus, Henricum cum armata manu in Angliam redeuntem in fugam conuertit. non multò poſt per veſtitum diſſimulata perſona reuerſum, locorum cuſtodes capiunt, atque Londinum ad Eduardum mittunt captiuum, qui ipſum cuſtodiæ tradidit. Decem autem exactis annis, Dux Clarentiæ & Comes VVarvvicenſis capto Eduardo regnum Henrico reſtituerunt. Verùm Eduardus à Præſidio quod erat in arce Middelamia emiſſus, primùm Eboracum ſe contulit, poſtea in Flandriam fugit: cùm poſt ſex menſes rediiſſet in Angliam, ſtatim ditionem ſuā Eboracenſem recuperat; mox ſubſidio fratris Ducis Clarentiæ prælio vicit Comitem VVaricenſem: profectusque Londinum, Henricum in ædibus Epiſcopi ibidem capit, quem vnà cum filio Edouardo non multò poſt in prælio ſuperato crudeliter necari iuſſit, quò ita Regnum præter ius adeptum in poſterum ſtabiliret. Erat hic Edouardus corpore eminenti, atque ita procero, vt inter omnes excelleret natura. Ex vxore Elizabetha filios genuit duos

XVI. *Edouardus quartus.*

ac ſeptem filias. Cùm bellum pararet in Gallos moritur decimotertio regni ſui anno, & VVindeſoriæ ſep. litur, anno Chriſti 1483. ætatis ſuæ quinquageſimo.

XVII. Edouardus quintus.

Mortuo patre, Eduardus filius admodum puer, ex VVallia principatu ſuo, vbi tum temporis ſub tutela auunculi Antonij Comitis Riuerij viuebat, Eboracum ad Ricardum Gloceſtriæ Ducem eius patruum, cui ſoli pater moriens filium commiſerat, venit: qui ſtatim conuocatis vndique nobilibus, ipſo incipiente cunctos in Edouardi principis verba iurare iuſſit: cumque honorificè Londinum deducens militum caterua ſtipatus, Antonium Riuerium compræhendit, & ad arcem Pontifractenſem cuſtodiendum miſit. Cùm verò huius indignæ rei fama Londinum perueniret, Eliſabetha Regina cnm altero filio in aſylum ad VVeſtmonaſterium ſe abdidit. Ricardus omnium rerum adminiſtrationem in ſe recipiens diſſimulato dolo, per Archiepiſcopum Cantuarienſem effecit, vt mater tandem poſt multas pollicitationes ac fidem publicam alterum filium Ricardi fidei committeret, vt noui futuri Regis pompæ coronationis intereſſet. Ricardus qui planè aliud animo agitabat, præda potitus, nepotes ex ædibus Epiſcopi ad Turrim duxit: quod etiam ſuſpicione carebat, quòd illic pompa Rex coronandus ad VVeſtmonaſterium perduci ſoleat: vbi non multò poſt Regios filios, per Iacobum quendam Torellum exemplo inaudito necauit, Deo (vti videbatur) parentum ſcelera in filijs vindicante. Verùm quo genere mortis miſelli pueri affecti fuerint, non ſatis liquet. Obijt anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, ætatis 13.

Ricar-

Ricardus ſumto de Antonio Comite Riuerij ad Pontifractum ſupplicio, occiſisque regijs filijs, Rex vnà cum vxore Londini creatur. atque ita populo ob metum non repugnante, per potentiam quorundam præter ius & æquum Regno potitus paſſim diuulgauit nepotum ſuorum patrem ex illegitimo thoro natum fuiſſe; atque ob id illum & illius filios Regno indignos, ſeque iure optimo Regnum occupaſſe. Verùm dum omnia pro libidine agere non intermitteret, Dux Buchyngamiæ cum Epiſcopo Elienſi in ipſum conſpirauit: communicatoque conſilio cum Eliſabetha Edouardi Regis vidua, Henricum Richemontij Comitem Henrici ſexti nepotem è Gallijs in Angliam acceſſiuit: vt ducta in vxorem Edouardi Regis filia, innocentium ſanguinem vlciſceretur, pulſoque Tyranno regnum occuparet. Henricus rei bene gerendæ opportunitatem nactus, cum paucis nauibus & armatorum millibus duobus in VValliam delatus eſt, multorumque Principum acceſſione auctus, non procul à pago Boſvvorth cum Ricardo conflixit, atque ipſo interfecto, exercitum eius profligauit. Hic habuit ex Anna vxore, VVarvvicenſis Comitis filia, vnicum filium, qui tertio menſe poſtquam Princeps VValliæ factus fuerat ante patrem obijt. Duos tantùm regnauit annos, magna crudelitate in ſuos vſus. Corpore erat puſillo ac deformi, facie truculenta. Mortuus ſepelitur in monaſterio Franciſcanorum Leceſtriæ, ſine vllo funeris honore. Anno Domini 1486. ætatis ſuæ 51.

Poſt adeptam victoriam Henricus Londinum veniens maxima omnium lætitia ac congratulatione, quòd tyrannum occidiſſet, excipitur: coactoque ad VVeſtmonaſterium concilio, Principum ac

XIX. Henricus ſeptimus.

ac populi iuſſu Rex creatur. Henricus ita præter ſuam multorum opinionem Rex factus, publico edicto voluit omnibus parci, ac bona reſtitui, qui in eius fidem veniret; quo ita placatis aduerſariorum animis, ſublataque omni ſeditionis anſa Regnum optimis legibus adminiſtrare poſſet. Verùm Comes Lincolnienſis fictitium quendam Clarentiæ Ducis filium Regem facere volens, ad vinculum Stoke prælio ſuperatus, cum multis alijs coniurationis Principibus occubuit. Quo inteſtino bello ſuperatus, dum in Gallos bellum pararet: ecce Margaretha Ricardi ſoror vidua Caroli Audacis, fratris filii loco, iuuenem quendam Petrum Varbechum ab ſe educatum, probeque in Eboracenſi ſtirpe edoctum, in Henricum armauit: quem compræhenſum, ætati Rex parcens, viuum ſeruabat: tandemque è fuga retractum laqueo necauit. Suſcepit ex vxore Edouardi Regis filia, quatuor filios totidemque filias, reliquit ſuperſtites tres. Pulchro & procero erat corpore, prudens, virtutibuſque multis ornatus, qui cum tres & viginti annos Regno præfuiſſet moritur, magnoque cum luctu ad VVeſtmonaſterium ſepelitur, anno Domini 1509. ætatis ſuæ 52.

XX. Henricus octauus.

Eodem anno quo pater è vita exceſſerat, Henricus filius annum agens decimum octauũ ad VVeſtmonaſterium vnà cum vxore Catharina ab Epiſcopo Cantuarienſi corona redimitur. Qui ſtatim conſilio Vintonienſis Epiſcopi & Thomæ Surrij in ſumma tranquillitate regnum adminiſtrabat. Deinde duobus exactis annis principum decreto, in gratiam Pontificis aduerſus Gallum ſociale bellum ingreſſus, exercitum conſcripſit, atque in Continẽtem profectus, Ludouuicum Francorum Regem fugauit redactis in ſuam poteſtatem ciuitatibus Torna-

Tornaco & Morino alijſque quibuſdam locis. Dũ ita felici ſucceſſu bellum in Gallijs gereret: ecce Iacobus Scotorum Rex armatorum millibus quadraginta in Angliam irruens ad radices montis Floddanis prælio ſuperatus ab Anglis occiditur. Hic ſuaſu conſilioque Thomæ Volſci Cardinalis Eboracenſis repudiauit vxorem ſuam Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filiam, ſuperinducta Anna Comitis Herfordienſis filia. vnde varij motus, magnaque rerum commutatio exorta eſt. Mortuus eſt regni ſui anno trigeſimo octauo, relicto vnico filio Edouardo, & duabus filiabus Maria & Elizabetha, ſepultuſque eſt VVindeſoriæ, anno Domini 1546. ætatis 57.

Edouardus nouem annorum puer poſt patris mortem Rex factus, vixit ſub tutela auunculi Comitis Riceſordiæ: qui procerum conſenſu Scotis bellum intulit ob fidem violatam: quòd Hameltonius Arraniæ Comes Scotiæ præfectus vnicam Iacobi Regis filiam Edouardo pactam in vxorem dare recuſaret. Cumque iam bonam Scotiæ partem in ſuam poteſtatem redegiſſet, exorto inter nobiles Anglos & plebeios tumultu, ab externo bello Rex prudens deſtitit. Tandem pacatis domeſticis diffidijs, Thomas Crammerus Archiepiſcopus Cantuarienſis vir inſigni doctrina præditus, Regi author fuit, vt acceſſitis ex Germania Bucero & Paulo Fagio, Religionis ſtatum innouaret. Verùm ſummæ & indubitatæ ſpei Princeps, in morbum tabificum incidens, re deliberata cum conſiliarijs Regni, & Archiepiſcopo Cantuarienſi, Ioannam Suffolciam Henrici è ſorore proneptem hæredem Regni inſtituit, idque contra extremam patris Henrici voluntatem: qui Mariam filiam regni hæredem ſecundã,

XXI. Eduardus quintus.

& Eli-

& Elizabetham tertiam teſtamento eſſe voluerat. Moritur ſexto regni ſuſcepti anno. Corpus magno cum luctu maiorum ſepulchro ad VVeſtmonaſterium illatum eſt, anno Domini 1553. ætatis ſuæ decimoquinto.

XXII. Maria Henrici filia. Cùm poſt mortem Eduardi Regis Ioanna proclamaretur Regina: Maria per Nortfolciam confugit in arcem Framingam, ſeque pro Regina gerens amicorum opem implorauit. Quo cognito Dux Northumbrius collectis copijs Londino mouens, ipſam vt compræhendat, perſequitur. Interim qui in vrbe erant conſiliarij offenſionem populi non ignorantes, mutata voluntate, Mariam eligunt reginam, & Ioannam cuſtodiæ mandant: datiſque ad exercitum literis, rem omnem aperiunt, atque Northumbrium Cantabriæ à ſuis captum in vrbem adduci iubent: quem populus multis probris atque conuitijs excepit: quoniam ſuſpitio erat illum, vt nurum ſuam ad regalem dignitatem produceret regis vitæ inſidiatum fuiſſe. Maria Londinum veniens, liberatis è carcere pontificiæ ac Catholicæ religionis Epiſcopis, Northumbrium leſæ maieſtatis damnatum capite plectit. Poſt hæc regno inaugurata Hiſpaniarum regi Philippo nupſit, & Romanam inſtaurauit religionem: vnde tumultus paſſim in regno exorti: quorum autor Dux Suffolcius pòſt compræhenſus, vnà cum ſorore Ioanna atque eius marito Northumbriæ filio ſecuri percuſſi ſunt. Sexto regni ſui anno abſque liberis mortua ſepelitur ad VVeſtmonaſterium, anno Domini 1558. ætatis ſuæ 47.

XXIII. Eliſabetha Henrici 8. filia. Eliſabetha ſorori ſuæ Mariæ in regnum ſucceſſit, anno 1559. ætatis verò ſuæ vigeſimo tertio. hæc

abro-

abrogata rurſus Catholica & Romana religione, reformatam introduxit. Præ reliquis omnibus in hoc felix ac fortunata eſt, quod in magna rerum tranquillitate, ampliſſimi iſtius ac periculoſiſſimi Regni habenas in hunc vſque annum feliciter ac fortiter tenuerit, cùm interim alias Chriſtianorum prouincias miſerè deuaſtari hinc inde videamus.

SCOTIAE REGNI DESCRIPTIO. Cap. 4.

BRitannicæ inſulæ Borealior pars, quæ aſpera & montuoſa valdè eſt, Scotia dicitur. Hæc olim Albania à Latinis ſcriptoribus vocata fuit, atque etiamnum ab incolis, qui auitam adhuc ſeruant linguam, Albania appellatur. ipſam quoque Caledonium à Tacito in vita Agricolæ vocatam fuiſſe percenſet cum Beato Rhenano celebris ille Ortelius. Scotos verò populos ex Hiſpania Cãtabrica oriundos eſſe, atque inde in Hiberniam migrantes, tandem in Scotia ſedem fixiſſe author eſt Lhuidus: tametſi alij putent hos ex Scythia primò in Hiberniam nauigaſſe. Hæc autem regio duobus fluuijs, Tueda ſcilicet qui ad Orientem fertur, & Solueo ad Occaſum labente, vbi fretum eſt Soluuay, ab Anglia ſeparatur: ab alijs partibus vndique Oceano pulſatur. Forma eius admodum æqualis eſt: nam pluribus promontorijs Oceano ſeſe variè immiſcet, pluresque peninſulas facit, in qua quidem deſcribenda longè aberrauit Ptolemæus, eam longo tractu in Ortum proijciens ac inflectens, cùm in Septentrionem feratur. *Forma eius.*

Eius

eius tamen longitudinem, ab amne ſcilicet Tueda vſque ad vltimum Borealem terminum, vbi in cuneum attenuatur, 480. miliaribus Anglicis quidam definiunt. Regio inſuper ipſa aſpera ac montuoſa eſt, nec adeò fœcunda ſicut Anglia, licet piſcoſior. Multos paſſim portus habet, & aditus Marinis aquis peruios, inter quos eſt Letha portus commodiſſimus, qui freto impendet, quòd Boderia Ptolemæi eſt, Scotis verò Forth & Frith, eſtque æſtuarium nobiliſſimum, in quo plures fluuij obuij Oceani exæſtuantis acceſſibus in magnam amplitudinem diffunduntur. Eſt etiam in Roſſiæ regione Maris ſinus commodiſſimus, qui vulgò portus Salutis dicitur. Adeò itaque Oceani brachia ipſam regionem ſcindunt, vt nulla domus in ea ſit, quæ ab aqua Marina vltra viginti leucas diſtet. Mare autem ipſum Regnum hoc alluens abundat oſtreis, halece, corallis, mytilis, aliiſque conchis. in vallibus plurimi ſunt lacus, paludes, fluuij, fonteſque piſcibus refertiſſimi; quorum quidem lacuum maior pars à monte oritur Grampio, in quo etiam ſuos habent fontes tres nauigabiles fluuij, qui ſunt Cluda, vulgò Cloyd, & olim Alchlud, in Oceanum ſeſe Hibernicum exonerans; Taus, cæteros Scotiæ magnitudine ſua excellens, qui partim in Argile regione à lacu eiuſdem nominis, partim in Stathera regione exoritur, & ad Oceanum Germanicum fertur: Forthea qui ad Oceanum perambulans Germanicum, magnum illud æſtuarium facit, quod vulgò Mare Scotiæ appellatur. Celebres quoque fluuij ſunt Spaye, Neſſa, & Louth, præter Tuedam, qui Scotiam ab Anglia ſcindit. Sunt prætereà montes iſthic æquatam agri planitiem habentes, pecoriſq; pabulum vbertim ſuppeditantes: inter quos non-

Qualitas regionis.

Fluuij.

nulli

nulli ſunt marmorei & alabaſtrini: & ſyluæ ſunt feris plurimum abundantes: inter quas eſt quam Caledoniam olim dixerunt, quæ Lucio Floro dicitur Saltus Caledonius, & Romanorum ſeculo in immenſum diuiſa fuit ſpatium; ſed nunc non adeò vaſta, feris tamen repletiſſima; inter quas boues fert albos, adeò feroces, vt domari nequeant, quorum crines ad inſtar leonum ſunt. Eſt locus quidam Carbonum area nuncupatus, terreno bitumine abundans, & partim non ſine incolarum damno ardet. Metallifera inſuper eſt terra, ac in ea auri, argenti, argenti viui, ferri, plumbi, ac cupri magna effoditur copia, & inter Craufordię teſqua aurifodina reperta eſt, & aurum ſine vllo labore eruitur. Sunt hic quoque gemmæ quædam, præſertim Gagates, quę in aquis ardent, oleo autem extinguuntur. Regio porrò ipſa valdè munita eſt per montium ſuorum aſperitatem ſyluarumque copiam, vnde inſuperabilis eſſe putatur: nam incolæ montes pro azylo habent, quo vrgente neceſſitate confugiunt, ibique ferinis carnibus, piſcibuſve vitam ſuſtentant. Ex hac regione viliores cariſæi, carbones foſſiles ad vſum fabrorum ferrariorum, hordeum & malta ſeu pyne adferuntur. Eſt autem in duas partes, Meridionalem ſcilicet & Septentrionalem intermediante Grampio monte aſpero & informi diuiſa, qui vulgo Graſebaim ſeuGratzhaine, id eſt mons incuruus vocatur. is enim à Germanici Maris littore ad oſtia Deæ fluuij per mediam hanc regionem in Hibernicum mare tendens, ad lacum Lomundum ſiſtitur: qui etiam mons Pictorum olim Scotorumque regni ferè limes erat. Auſtralior pars, quæ & ſuperior dicitur, longè fertilior eſt quàm Septentrionalis, cuius incolæ humaniores ſunt & ciuiliores, beneq;

Metalla.

Scotia inſuperabilis.

Scotia diuiſio.

inorati,qui etiam lingua vtuntur Anglica,& hi Altæ terræ viri vocantur. Qui verò Borealiorem partem incolunt, quæ Inferior dicitur, vt plurimum aſperi ſunt, inculti, & agreſtiores, vocanturque Scoti ſylueſtres. Ex Cœli namque rigore truciores ſunt, & ex ſanguinis abundantia audaciores, & hi Imæ terræ viri dicuntur. Hybernorum ſiquidem mores, à quibus originem trahunt, linguam etiam, & arma retinent. ſago enim & interiore tunica croco tincta veſtiuntur, nudiſque genibus ac tibijs incedunt. Arma eorum arcus ſunt & ſagittæ, & latus admodum enſis, pugionem ex vno latere tantùm acutum ſub Zona ſemper ferunt. Cæterum in vniuerſum Scoti ingenio & induſtria pollent, ſed ad vltionem proni ſunt, ac feroces. ſunt præterea in bello fortes, laboris, inediæ, ac vigiliæ patientes: aſtuti etiam, & ad factiones ſeditioneſque propenſi.

Incolarum ingenia & mores.

Plurima porrò miranda in hac inſula eſſe ſcriptores memorant, quorum inter alia hæc ſunt: In Gallouidia lacus eſt Myrrtoun dictus, cuius vna pars aliarum aquarum more gelu hyeme concreſcit; altera nullis frigoribus congelari poteſt. Sunt in Caricta regione ingentis magnitudinis boues, quorum caro tenera ſuauiſque eſui eſt; cæterum pingue nunquam concreſcit, ſed olei liquidi inſtar ſemper fluens. In Coyl prouincia haud plus decem millibus paſſuum ab Aër oppido ſaxum eſt duodecim vix pedes altum, extenſum 33. cubitorum ſpiſſitudine, haud immeritò ab incolis Surdum appellatum: nam quantumuis ingentem ſtrepitum ſonitumque, vel etiam bombarda edas ab vno latere, ex aduerſo haud exaudiri queat, niſi quàm remotiſſimè abſis, tum enim ſonus facilè percipitur. In Lennos, quæ Ptolemæo Lelgouia dicitur, lacus eſt. longè maxi-

Miranda Scotiæ.

maximus Loumond vernaculè dictus, ſupra 24. miliaria in longitudinem extenſus, octo in latitudi-nem: triginta inſulas complectitur, quarum pleræ-que vicis frequentibus habitatæ, templa ſacellaque Diuis dicata habent. tria in hoc memoratu digna eperiuntur: nam piſces illic eſui humano ſuaues innis carent: lacus interdum nullo flante vento a immenſè concitatur, vt vel audaciſſimos nau-as, quò minus ſoluant, deterreat; vnde vento ceſ-nte, naues medio curſu correptæ cùm maximo iſcrimine iactantur, & niſi portus quiſpiam fortè dſit, plerunque euertuntur. Denique eſt inſula uædam gregibus armentiſque paſcendis vber, d quæ natans fluctuanſque quo venti impellant, uc illuc feratur. Conſtans fama eſt lapidem in rgadia naſci, qui ſi paulò diutius ſtramentis ſtu-ſve ſupponatur, incendium faciat. Ad Slanis ca-ellum in Buthquhania antrum eſt admirandæ aturæ; aqua enim in id inſtillans tractu temporis candidiſſimum conuertitur lapidem: ac niſi cer-annorum curriculo eximerentur, olim iam op-etum illis fuiſſet. Nullus in hac regione mus ma-r (quem glirem vocamus) conſpicitur: nec ſi im-rtetur, vitam illic ducere poteſt. In Fiſa regione foditur ingenti numero lapis niger, ecutiendo ni ſupra modum accommodus. Ad oſtium For-eæ fluuij, in medio Maris altiſſimus ſcopulus eſt, cuius ſummitate fons aquæ dulcis largiſſimè mirando naturæ miraculo ſcaturit. Ab Edim-rgo plus minus duobus paſſuum millibus fons, i olei guttæ innatant, ſcaturit; ea vi vt ſi nihil in-collegeris, nihilo plus confluat: quantumuis au-n abſtuleris, nihilominus remaneat: & valet hoc cum contra varias cutis ſcabrities.

Aqua in lapidem concreſcens.

Oleum aquæ innatans.

Status Eccleſiaſticus. Duo autem ſunt in Scotia Archiepiſcopi, Sancti Andreæ ſcilicet, olim Pictis Rigmud, totius Scotiæ metropolis; Glaſguenſis, vulgò Glaſquo vel Glaſco. Epiſcopi verò 13. ſunt, olim Eboracenſi Archiepiſcopo ſubiecti; nunc verò Sancti Andreæ Archiepiſcopi Suffraganei ſunt, hi ſcilicet: Coſuuel, Vuhitterne ſeu Quhythyrne, Dumblay, Brechen, Oldaberdy, Elgyr, Catnes, & Dumkeledon ſeu Dumkeldyn. Vniuerſitates autem duæ ſunt S. Andreæ, & Alberdonia vulgo Aberdene, perantiqua ſanè vrbs ad Denam fluuium, nunc Don, & Ptolemæi Deuana, poſita; ac olim Regia ſedes, quamuis & Glaſguenſis vrbs ob ſtudia ſua celebris eſt.

Edinburg. Primaria Scotiæ vrbs eſt Edinburgum, in Landoniæ prouincia ſita, quæ Hiberno Scotis Dun.Eadem, id eſt, oppidum Eadem dicitur: hanc procul dubio eandem eſſe cenſet Candemus quæ Ptolemæo Caſtrum alatum dicitur. Vrbs hæc Scotorum Regia ſitu editiore, longitudine ab Oriente in Occidentem mill. paſſ. porrecta, latitudine dimidio minore, multis opibus referta, & muro ſatis firmo circumdata: ad Ortum habens geminos montes, quorum alter ad Auſtrum vergens Arcturi ſedes; qui verò ad Boream Apricollis vulgò Euersberch nominatur. Ager vndique fertiliſſimus eſt, amœna prata, ſyluulæ, lacus, riuuli, arceſque plures centum intra ~~intra~~ miliare Germanicum. ad Occaſum vrbis mons aut rupes alta, & arx in rupe, ſub qua vndiq; profunda eſt vallis, niſi ea in parte qua reſpicit vrbem: eoque nomine arx inexpugnabilis, niſi ex vrbe; nec eam conſcendere aliquis poſſet, etiam ſcalis, tam præceps & dura eſt petra, in qua vultures nidificant. Vocatur hæc arx Caſtrum puellarum quia olim Pictorum filię illic ſub ferula detinebantur

tur opificijs inſtruendæ, donec nubiles eſſent. Sunt iſthic aliæ etiam vrbes & oppida inſignia, nempè Scone in Anguſiæ regione, inaugurandis Scotorum regibus notiſſima. Alherdon nobile propugnaculum ad Mare Germanicum. Sterlinga, vbi Regni diætæ celebrantur: nam cùm Regis auctoritas non admodum ampla ſit, nihil de rebus publicis deliberare poteſt abſque primatibus regni. Fordunum oppidum in Mernia, tutiſſimum obſitum, & celebre ob S. Paladij reliquias & alia plura. Poſtremò hoc Scotiæ Regnum in plures Regiones & pagos diſtributum eſt, quæ ſunt hæ: Laudonia, vulgò Lauden, olim Pictlandia, id eſt terra Pictorum, quę montuoſa eſt abſque arboribus, ſed humanitatis cultu laudata; in hac enim plura ſunt oppida, inter quæ Edinburgum eſt ſedes Regia: Merchia, vulgò Merch, id eſt terminus Angliæ & Scotiæ: Tifedalia id eſt, Vallis ad Teifium fluuium, inter abruptas ru- ...lum crepidines Anglis proxima, à bellicoſa gente inſeſſa; ſed quæ rapinis infamis, in quibus Ladeni ſeu Gadeni olim inſederunt: Eſchedalia, vulgò Eſcedale, iuxta Eſcam fluuium, in qua olim Horeſti fuerunt. Euſdalia: Nidiſdalia à Nido fluuio, vulgò Nyth: Anandiæ vallis, Anandale vulgò, à fluuio eius nominis; & in his quidem regiunculis Selgouæ Ptolemæi ſeculo habitarunt: Gallouidia, vulgò Galbuuay, ſiue Gallovvay, ad Occidentem, quæ paſcuis magis quam frugibus abundat: Caricta, paſcuis ferax eſt: Coila vulgò Cyl, tenui & ieiuno ſolo; & in his fuerunt olim populi Nouantes: Sterlinga: Mendethia: Cluidsdalia: Lelgouia, vulgò Lēnos, à Leuino fluuio; in quibus Damni habitarunt: Ernualia: Strathernia: Storia: Roſſia, & Argathelia, vulgò Argile, lacubus refertiſſima; ſed magis paſcubus

Scotiæ diuiſio.

cubus quàm ſegetibus abundans: atque in his Caledonij populi inſederunt, quorum vniuerſa regio Albania dicitur. Cantira, vulgò Cantire, id eſt Terræ angulus ſiue caput, vaſta regio, & crebris paludibus interciſa: Loquabria, in quibus Epidij fuerunt: Strathnahernia, vbi olim Cerones: Fiſa regiuncula fœcundior cęteris, vbi S. Andreæ oppidum: Anguſia, regio amœna prope Tauum fluuium, à quo abluitur: Marnia & Marria maritimæ regiones, in quibus omnibus Vernicones habitarunt: deinde Buquhan, vbi Taizali: Roſſemurray, Neſſeland, & Tarbath, vbi Vacomagi: Beanroſſen, & Suiderland, in quibus Lugi & Mertæ; & tandem Cathnes, vbi Catini & Cornabij.

DE HIBERNIAE INSVLAE regno. Cap. 5.

HIbernia inſula in Oceano inter Angliam atque Hiſpaniam poſita, ab Ortu habet Britanniam ipſam, vnius diei naturalis nauigatione (ſi modò ventus & fortuna aſpirarint) propinquam ab Auſtro Galliam habet; Hiſpaniam (Euris fauentibus) trium dierum nauali curſu affinem habet ab Occidente; Oceanum infinitum à Septentrione; nec multùm diſtat à Scotia. Forma eius oblonga, ad ſimilitudinem oui, à Meridie in Septentrionem protenſa. Vnde nomen iſtud ſortita ſit, incertum eſt. ſunt qui ab Iuerne ciuitate, alij ab Hibero duce homine Hiſpano nominatam ferunt, qui primus magna hominum congregata multitudine eam occuparit. ſiue vt alij ſentiunt, id nomen tulit ab Ibero flumine Hiſpaniæ celeberrimo, quòd illius accolæ primi inſulam inhabitaſſent. aut ab Hyberno tempore, quòd ad Occidentem vergat. Veriſimilius tamen eſt vt vel à duce Hiſpano,

[V]nde dicta [H]ibernia.

ſpano, vel à flumine Ibero dicta ſit: quando Hiberni cùm habitu corporum tum viuendi ritu ac moribus non admodum diſcrepant ab Hiſpanis vicinioribus. ab Hyeme hyemalis inſula appellari nequit, aliâs Noriuegia & Suetia eadem ratione vocari poſſent Hybernię, quum hyems illarum regionum non minor ſit hyeme Hybernię. Spatium Hyberniæ dimidio minus quàm Britanniæ æſtimatur, quod non amplius miliarijs Germanicis ſeptuaginta in longitudinem, & viginti tribus in latitudinem pateat. Porrò & ſolum & Cœlum huius inſulæ, haud multum differt à ſolo & Cœlo Angliæ, niſi quòd Hybernia montoſior eſt & aquarum abundantior, quippe quæ in editiſſimis etiam montibus paludes paſſim & ſtagna habet. Mira Cœli temperies. fertilitas terræ inſignis, etſi Hyberni agriculturæ parum ſtudeant. Nullum gignit venenoſum animal, nec aliunde illatum nutrit. Maleficum habet lupum & vulpem. reliqua omnia animalia manſueta & corpore minora ſunt quàm alibi. Hibernia omnis diuiſa eſt in quatuor partes, quarum vnam quæ Auſtrum ſpectat, Momoniam appellant; alteram Borealem, Hultoniam; tertiam quæ ad ortum Solis vergit, Laginiam; quartam Occiduam, Connaciam. Et quoniam parent Regi Anglo, imbibunt mores honeſtiores. Momoricam à Laginia Suerus fluuius, qui ad Vatfordiam portum facit, quo ex Anglia breuior eſt tranſitus, & à Connacia Sinneus diuidit, cuius principalis Occidentalis oræ ciuitas eſt Limiricũ, quod Simeo omniũ totius Hiberniæ fluminũ maximo alluitur. Anno Chriſti 433. miſit Cęleſtinus papa ſanctũ epiſc. Patritium in Hibern. (erat autẽ ipſius D. Mart. ſororis filius hic Patritius) vt illi prædicaret Chriſtum atq; fidem eius.

Qualitas regionis.

Diuiſio eius.

Viſitur etiamnum in Hibernia ſpelunca quædam ſubterranea, multis ſpectris horrenda, quod purgatorium Patritij appellare ſolent. Tradit Hector Boëthus, ſupra Amarcanam in ſtagno quodam paruo, ſi pertica in vado defigatur, & exactis aliquot menſibus refellatur, partem quæ luto inhæſerat, in ferrum conuerſam iri; quæ in aqua remanſerat, in cotem; reliqua manente ligno. Habet Hibernia multos equos qui ſuauiter incedunt, ſtudentque veluti data opera mollem facere greſſum, ne inſidẽti moleſtiam vllam inferant. Terra huius inſulæ adeò pabuloſa eſt, vt ibi pecora, niſi æſtate à paſtibus arceantur, in periculum agat ſaties. Nullum animal noxium gignit, non araneam, non ranam, nec alit aliundè inuecta. Omnia noxia animalia ab alio aſportata ſolo, pulueri iniecta necat. Imò affirmat Beda presbyter, vidiſſe ſe raſuram è paginis codicũ inde allatam, & ictis à ſerpente in potum datam, extemplo veneni vim reſtinxiſſe, totumque infecti corporis tumorem ſedaſſe. Apes in ea non reperiũtur, mira Cœli temperies, fertilitas inſignis. gens tamen inhoſpitalis. inculta & crudelis, atque ob id bello gerendo non inepta: ſummum etiam honorem ponunt in armis & rebus bellicis. Mare inter Hiberniam & Angliam ſemper ferè ſæuit, vt non liceat traijcere illud niſi certis quibuſdam diebus.

Incolarum ingenia.

Sunt etiam inter Hiberniam & Scotiam multæ inſulæ, quarum maximè Meridionalis Mama quindecim Leucis longa eſt. ea autem ad Angliæ regnum hodiè ſpectat. Nauigant vimineis alueis, circumdatis loris tergorum bubalorum. Freti latitudinem in centum & viginti millia paſſuum diffundi dicitur, ab ijs nimirum qui fidem ad verum rationati ſunt. Ad Orientem inſula mari Hibernico alluitur; ad

Meri-

genti co-

bal.

appellatam Tarraconem, quæ cùm Hebraica vox ſit, Latinè boum poſſeſſionem ſignificat. Succeſſit Tubelo in regno Iberus, à quo fluuius quidam Iber *Iberus.*

HISPANIÆ REGNVM



Meridiem Oceano Virginio; ad Occidentem Athlantico Oceano;ad Septentrionem Deucalidonio.

DE POTENTISSIMO HISpaniæ Regno. Cap.6.

REgnum hoc magnificentiſſimum vndique alluitur Oceani ac Mediterranei maris fluctibus, excepta ea parte qua Galliam contingit,vbi altiſſimis montibus, quos Pyrenæos vocant ſeparatur à Gallia. Appellantur autem montes illi Pyrenæi à crebris fulminū ignibus vel quòd ſyluæ in Pyrenæo frequentes,& habitationes iniecto à paſtoribus igne priſci temporis flagrauerunt, durante autem incendio aliquot diebus, ex montium concoctione cœperunt deſcendere ſtillicidia argenti liquefacti: & cùm habitatores illorum locorum vſum argenti non haberent,contemnerentque metallum illud, ſuperuenientes mercatores è Phœnicia,emerunt vilibus mercibus magnam vim argenti. Diuiſa fuit olim Hiſpania in tres prouincias; Beticam quæ hodiè eſt Granata, Luſitaniam quam nunc Portugalliam vocant, & Tarraconem quæ hodiè continet Cataloniam, Caſtiliam, Nauarram,& Galliciam.fuitque(ſi Ioſepho & Beroſo credimus)Tubal Noë nepos primus Rex Beticæ,ex struxitque in ea regione ciuitatem quam à ſe denominauit Tubal.hic operam dedit rei pecuariæ, ſicut omnes primi patres pecoribus alendis ſtuduerunt. quæ & victum & amictum homini miniſtrāt. Hinc quoque putant maiorem Hiſpaniæ partem appellatam Tarraconem, quæ cùm Hebraica vox ſit,Latinè boum poſſeſſionem ſignificat. Succeſſit Tubelo in regno Iberus,à quo fluuius quidam Iber

Argenti copia.

Tubal.

Iberus.

eſt appellatus,& adiacens regio Celtiberia: Betus à quo Betica:Hiſpanus,ſeu vt aliqui malunt, Hiſpalus,à quo omnis terra deinde Hiſpania denominata eſt: Heſperus à quo eadem terra Heſperia dicta: Luſus à quo Luſitania. Poſteaquam verò Romani Hiſpaniam ſibi ſubiugaſſent, in duas diuiſa eſt prouincias, Beticam & Terraconenſem, durauitque partitio illa vſque ad tempora Attilæ, tunc rurſum alia adminiſtratione Hiſpania eſt gubernata. Nouiſſimè ſub Saracenis diſcriminata eſt in quinque regna. Gallicia m,Nauarram,Caſtiliam ſiue Legionem,Cataloniam cui & Arragonia annexa eſt,Portugalliam, & Granatam. Porrò Gallicia non diu proprium& diſtinctum manſit regnum,ſed amiſſo legitimo hærede,incorporata eſt Tarraconenſi. Alij adhuc plura numerant regna,Valentiæ, Toleti, Algarbiorum,Murciæ, & Cordubæ. Noſtro tempore omnia hæc regna in vnum contracta ſunt, præter Portugalliam quæ proprium habet Regem.

Recens diuiſio Hiſpaniæ

Status Eccleſiaſticus.

Habet Hiſpania ſeptem Archiepiſcopatus,quorum ſedes ſunt in Terracone, Cæſarauguſta, Toleto Compoſtella,Bracara,Vlyſſibona,& Granata, alij, nouem ponunt, ſub quibus tamen ſunt plurimæ Epiſcopales ciuitates. Modico interuallo diſtant Granata & Mauritania. ibi namque ingreditur Oceanus per magnas anguſtias in mare Mediterraneum,vbi & duo montes eriguntur in Cœlum vn' in Mauritania qui Abila vocatur, & alter in Hiſpania cui nomen eſt Calpe,& hi à quibuſdam vocantur columnæ Herculis, putantque olim vnum fuiſſe montem ſiue ſaxum perpetuo iugo coniunctum quod Hercules ſuo robore perfregerit, intromiſeritque Oceanum in ipſam terram, alij inſulam Gades aſſerunt fuiſſe Herculis columnas: alij in Gadibu

Columnæ Herculis.

bus fuiſſe templum Herculis, in quo poſitæ fuerunt duæ æneæ columnæ, altitudine octo cubitorum, in quibus ſignatus fuit ſumptus pro ædificio illius templi factus, & nautæ ibi Herculi ſua perſoluebant vota: fuitque locus ille ſecundum veterum opinionem finis mundi; nec auſi fuerunt Hercules aut vlli alij longius naues in Oceanum deducere citra vitæ periculum. Eſt autem Gades inſula parua, habetque tam pinguia paſcua, vt nullum ſerum à lacte ſegregent, ſed cogantur affundere aquam, cum lac in caſeum coagulare volunt. Multis quidem in locis Hiſpania inculta iacet, idque ob ſaxeum fundum, vel ob ſolitudines ſqualentes, aut alias ob cauſas, quamuis multò quàm Africa ſit fertilior. Suppeditat autem Hiſpania multis in locis abundè ea quibus homo opus habet, vt ſunt frumentum, vinum, fructus, oleum, pecora, linum, ferrum, & metalla, mel, cæra, piſcoſæ aquæ, & ſimilia: Non coquunt Salem, ſed effodiunt è terra. Non fatigatur terra tot ventis vt Gallia, nec inficitur aer peſtiferis paludibus ac nebulis. Aurum, argentum, & ferrum bonum & probabile nullibi in tanta copia vt in Hiſpania eſt inuentum, reperta namque olim in Hiſpania ſunt fragmenta auri depurati, magnitudine dimidiæ libræ. Eſt & ſemper Hiſpania equorum pernicitate commendata, quos lenis armaturæ equites tibijs contractis pulchrè obequitant. Nomen magnum ab aliquot annis bellica fortitudine Hiſpani ſunt adepti, plurimis ab hoſte partis victorijs, vt qui laborum, ſitis, ac famis in acie ſunt tolerantiſſimi, & in ſtratagematibus cautiſſimi, leui corpore, vt facilè hoſtem fugiant & ſequantur. Oceani nauigationibus ad incompertas regiones toto Orbe ſunt clariſſimi.

Gades inſula

Hiſpani bellicoſi.

NB Sal è terra effoditur

Haben-

Habentur etiam Hiſpani in religionis ritibus ſupra omnes mortales ſuperſtitioſi; per Regis ſolium & vitam eius gentilicio more iurant, & oſculo manuum in ſalutationibus ſupplicant. Porrò de moribus & ritibus antiquorum Hiſpanorum Strabo & Poſſidonius mira ſcribunt.

DE PORTVGALLIAE Regno. Cap. 7.

REgnum hoc Luſitania olim appellata fuit à Luſo quodam Sicelæi deciminoni Hiſpaniarum Regis filio; isque nominatus ſic erat, quòd more Aramæo vbique Sacra ludis & ſaltu ageret. Eius loco nunc Portugalliæ viget vocabulum, à Porto vrbe, aliquando Lauaria, & à priſcis Portogallo nuncupata, præter cæteros authores Franciſcus Tarapha à Gallis populis appellationẽ ſortitam ait: nam Galli (inquit) in Hiſpaniam nauigantes Portugallo ciuitati, vicinoque Oceano, ac toti Regno nomen dedère, quaſi Portus Gallorum. Oſtio Durij fluuij quem nunc Duero incolæ nominant, ea ciuitas propinqua eſt. Iam verò nec omne id quod olim Luſitania erat, Portugalliæ tribuendum: neque etiam omne id quod Portugallia nunc ſibi vendicat, olim Luſitania fuit. Cùm autem in vniuerſa Hiſpania regna numerentur circa quatuordecim: duo tamen ex his principatum tenent, reliquis ſubſe compræhenſis; quorum alterum generali Hiſpaniæ ſeu Caſtiliæ vocabulo denotatur, alterum verò ſub Luſitaniæ ſeu Portugalliæ vocabulo. Cępiſſe autem Regnum hoc dicitur circa annum Chriſti 1110. idque ea occaſione: Henricus Lotharingiæ Comes è Gallia veniens, magnas aduerſus

Occaſio regni Portugalliæ.

ſus Saracenos res geſſit, pro quibus meritis Alphõſus VI. Caſtellæ Rex filiam notham Tireſiam nomine ei locauit, Galliciæ partem, quæ in Luſitania, Rex eſt appellatus, primus item qui Vlyſſibonam à Saracenis recepit, quorum quinque ſimul Regibus vno prælio ſuperatis, quinque ſcutorum inſigne facinoris monumentum poſteris reliquit. Populi antiquitus eam coluêre Oretani, ad Anam fluuium conſidentes: Orientaliora verò loca Carpetanorũ, Vacceorum, Vetionumque pars tenuêre. oram verò quæ Durij fluuii ripis contigua eſt Lubeni Narbaſijque habitarũt. Chalybis autem fluuij tractum Celtici Gallorum populi occupauêre, vbi & pleraque alia Hiſpaniæ loca: tandem etiam Gothi ac Saraceni eò irrepſere. Regnum autem hoc terræ haud multum complectitur, & cum reliqua Hiſpania haudquaquam comparandum, Galliaque multò anguſtius. Metropolis eius Vlyſſibona dicitur, vrbs ampla & inſignis, loco amœniſſimo ſita, diuitijſq; ſupra modum affluens, mercium quippe, quarum per vniuerſum id Regnum negotiatio eſt luculentiſſima, exiſtens emporium, vndequaque aduentantium nauium commodiſſimum ac fama celebre receptaculum. Regis inſuper aula ac ſede fortunatum, cæterarumque prouinciarum caput; Romanis aliquando Iuliam felicem appellatam credunt nonnulli. Vna eſt ex tribus eius Regni Archiepiſcopalibus; earum verò Braga ſibi primatum vendicat cuius Præſul metropolitanus vniuerſæ Hiſpaniæ ſalutari contra Toletenſem iure contendit. Tertia verò eadem dignitate gaudens eſt Funchala. Vetuſtos populi ritus tradunt Coſmographi eiuſmodi fuiſſe: Luſitanni (aiunt) Hiſpanorum omnium ſunt fortiſſimi, ſcrutatores. inſidioſi, veloces, agiles atq; verſa-

Vlyßibona metropolis Portugalliæ.

Incolarum mores.

verſatiles.iaculum longè iaciunt,& ſumma arte, in acie diutius perſeuerant, mobili corpore leuique, vt facilè & fugiant hoſtem & inſequantur. Omnes montium habitatores victu ſimplici vtuntur, quarum potores, humi cubitores, montani homines duabus anni partibus querna veſcuntur glande, quam cùm ſiccauerint, frangunt, molunt, panes conficiunt,& ad tempus reponunt. Hordeaceo vtuntur vino, nam vitis inopia laborant. Omnes verò pullis amicti veſtibus & ſagis, in quibus inuoluti per ſtramenta cubant. Nummorum loco graui admodum ſarcinarum permutatione vtuntur, vel extenſi argenti laminæ fruſtum abſciſſum exhibēt. Deſtinatos neci lapidibus obruunt: parricidas extra montium confinia vel vltra flumina reiectos, ſaxis opprimunt. Aegrotos vetuſto Aegyptiorum ritu in plateis deponunt, vt qui eo morbi genere tentati ſunt, commonefacere eos valeant. Amnibus paruis & magnis irrigua eſt regio, qui omnes Tago ab Ortu pariter disiuncti ſunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque auri grumulis abundantes, vicina autem Tago cæterorum opulentiſſima ſunt oppida. Ager pleriſque in locis argilloſus, atque ob id minus fructibus fœcundus. Conimbriæ autem territorium totius Portugalliæ cenſetur optimum. Cùm autem vitium penuria id regnum laborare dicatur, commendantur tamen apud exteros Algarbiorum vina. Circumcirca etiam agrum Tagus habet bonitate conſpicuum, aduerſus etiam aquis nauigationes habens admodum faciles, etiā grandioribus magnum ad ſpatium nauibus: reliquum verò ad curſum fluuiaticis vtuntur lembis, amnis ipſe piſcium feraciſſimus eſt, oſtreorumque redundans. Hunc ſequitur Muliadas fluuius quem dein-

Tagus.

Munda.

deinceps Mundam, hodie Mondegam appellatam videmus. Durius longo fluens curſu penes Numantiam, magniſque nauigijs permeabilis ad ſtadia ferè octoginta. Canado hodie & Morilho dictus, quem Nibim antiquorum eſſe ſuſpicari licet, & cui ab obliuione Lethes nomen inditum eſt. Mimus omnes Luſitaniæ fluuios magnitudine ſuperans, ad ſtadia 800. nauigabilis. Montes Luſitania paucos habet, eoſque haud magnos, lucubus pleroſque nemoribus conſitos. Mineræ in hoc Regno ab auctoribus nullæ traduntur. Salem tamen foſſilem illis eſſe, aut olim fuiſſe, ex Strabone liquet. Cumque fontium perennium in hoc regno numerentur vltra vigintiquinque millia: thermas tamen nullas ab vllis vſquam authoribus prædicatas reperimus. *Durius.* *Canado.* *Minius.*

DE INSVLIS HISPANIAE. Cap. 8.

Hiſpaniæ nonnullæ adiacent inſulæ, quæ ſunt Baleares, quarum vna dicitur Maiorica, altera Minorica; & Pithiuſſæ, & aliæ paruæ minus celebres. Baleares inſulæ Gymneſiæ olim à Græcis vocabantur ab incolarum nuditate, qui Aeſtatis tempore abſque veſtibus incedunt. Aetate noſtra à maioritate & minoritate earum vna dicitur Maiorica, altera Minorica, quæ inter ſe quatuordecim miliaribus Italicis diſtant. Maiorica, vulgò Mallorca, vicinior eſt Hiſpaniæ, quàm Minorica, nec niſi vnius diei nauigatione ab ipſa Hiſpania diſtat. Huius ambitum nonnulli ponunt mill. 240. alij 300. quidem etiam 480. Longitudinem notat Strabo 600. ſtadiorum, quæ faciunt 75. miliaria, & latitudinem 25. mil. *Maiorica.*

Sed

Sed moderni latitudinem multò maiorem depræhenderunt, vtpotè circiter 100. miliaria Ital. Vnde multò etiam erit maior longitudo, quàm Strabo poſuerit. Eſt autem populo frequens, cuius incolæ circiter triginta millia ſunt. & vnicam tantummodo habet vrbem eiuſdem nominis in ſtrictiori Inſulæ parte fabricatam. Alij ſcribunt hanc inſulam complecti triginta terras, in quarum vnaquaque dicunt eſſe à 300. in 600. domus ſeu habitationes. Metropolim aiunt eſſe palmam Viceregis huius, ac Inſularum circumuicinarum ſedem: in qua Gymnaſium eſt publicum, vbi non Ariſtotelis, ſed Raymundi Lullij Maioricani doctrina profitetur: qui ſanè vir ingenio, & inuentione mirabili polluit, ac multa edidit volumina, præcipuè autem Chimica facultate. Ager ad Mare aſper eſt, ſed alibi colles, planities, & valles ſunt ſatis vino, oleo, frumento, ac fructibus fertiles. Portuum etiam bonitate Inſula præſtat. Gens hæc Diodoro teſte, ad vini potum, qui rarus apud eos tunc erat, promptior eſt, & mulierum adeò præ cæteris appetens, vt vnam à prædonibus captam tribus aut quatuor rediman viris. Fundatores, ſeu fundorum optimi iaculatores olim habebantur; apud hos ranas è Continente delatas muteſcere dicunt, nullumque noxium animal hic eſſe, præter cuniculos, à quibus olim multa damna perpeſſi ſunt. Non procul à Maiorica ſunt Dragonera & Cabrera paruæ inſulæ. Minorica, vulgò Menorca, Orientalior eſt quàm Maiorica, & eius circuitus eſt miliarium 150. latitudo autem miliarium 60. Italicorum. Diſtatque à Continenti Hiſpaniæ 160. mil. Fuerunt in ea Ptolemæi ætate duæ vrbes: Iana, quæ nunc vulgò Cittadella dicitur; & Mago, quæ nunc Minorica ab inſulæ nomine vocatur.

Raimundus Lullius.

Minorica inſula.

catur.

tur.Hæc autem inſula,etſi minor ſit altera, bonitate tamen agri nihil ei cedit: imò hîc maiora boum & pecorum armenta nutriuntur, & muli admodum magni, vocequè ſonora hîc proueniunt. Duos autem hîc portus ſatis commodos inuenimus, nempè Maon,& Fernellum.

Pithiuſſæ inſulæ olim à frutice pinæo cognominatæ fuerunt, quarum vna Græcis dicitur Ophiuſa, Latinis Colubraria, nunc autem Frumentaria, quæ 70. miliaria complectitur,& à Continenti 80. mill. diſtat. Hæc maiori ex parte deſerta eſt propter angues qui in ea multi ſunt hominibus infeſti, à quibus etiam nomen traxiſſe inſula videtur, Ophin etenim latinè ſerpentem dicimus. *Pithiuſſæ.* *Ophiuſa.*

Altera eſt Ebuſus, vulgò Euiſa, vel Ieuiza, decem mil. ab illa recedens, & à Continenti 50. ferè diſtans cuius circuitus eſt pluſquam 100. miliarium. Huius terra ſerpentem fugat, omniumq; animalium nocentium expers eſt, præterquam cuniculorum, qui ſæpius inſulæ meſſes populantur, cùm alioquin inſula hæc fructuum omnis generis & frumenti fœcundiſſima ſit. Principalis huius inſulæ vrbs eſt Yuica. Hic abundè ſal colligitur, quò non tantùm Hiſpania, verùm etiam Italia ex parte ſibi prouidet. Circa duas has inſulas tres aliæ paruæ inſulæ, nempè Vedran, Conirello, & Dragomago. Supra verò quiſam inter Maioricam & Iberi oſtia eſt Moncobre inſula deſerta, & in ipſo Iberi oſtio Alfaques inſula iacet, quam dictus fluuius vnà cum Mari efficit. Poſtremò non longè à Cartagenæ portu ſita eſt Herculis inſula, quæ Scombraria vulgò à piſcibus huius nominis vocatur, qui numeroſiſſimè circa ipſam congregantur. *Ebuſus.* Yuica

GALLIAE REGNVM. Cap. 9.

GAllię appellatio perampla quidem eſt, cùm ſub ipſa non tam Franciæ Regnum, quàm bona Germaniæ atque Italiæ pars cadat. Etenim Galliam priſci olim diuisêre in Ciſalpinam & Trãſalpinam. Ciſalpina Gallia eſt ea Italiæ pars quæ Lombardia hodie dicitur, de qua in Italiæ deſcriptione dicetur. Tranſalpina autem Gallia, quã Comatam Plinius cognominauit, & Ptolemæus Celtogallatiam, ea pars dicitur quæ inter Rhenum fluuium, Oceanum, Pyrenæos montes, Mediterraneum, & Alpes concluditur. Quam ſanè Cæſar in ſuis Commentarijs in tres diuidit partes, in Belgicam nimirum, Celticam, & Aquitanicam. ſed Ptolemæus, quemadmodum & Auguſtus poſt Cæſarem, Galliam quadripartitam proponit, nempè Aquitanicam, Lugdunenſem, quæ eſt eadem cum Celtica Cæſaris, Belgicam, & Narbonenſem quæ etiam Braccata eſt. Ex his autem Belgica maiori ex parte ad Germaniam nunc ſpectare videtur, vt in Belgij deſcriptione conſtabit. Quare hoc in loco de ea tantùm Galliæ parte pauca dicere propoſitum, quæ propriè Regnum Franciæ vocatur. Non ignorandum tamen eſt, Galliam hanc Græcis prius Galaciam fuiſſe dictam à Gala, quod Lac ſignificat, quia lacteos, id eſt, albos homines producit. Nonnulli tamen cum Diodoro opinantur, huic regioni Galatam Herculis filiam nomen dediſſe. Alij etiam aliter de origine huius nominis tradunt; communis nihilominus opinio eſt, eos à Gala nuncupari. Comatæ verò Galliæ cognomen accepiſſe dicunt à cæſarie, quam incolæ, ſicut olim, nunc quoque nutriunt. Hodiè autem Francia vocatur à Francis, ſeu

Diuiſio Galliæ.

Gallia vnde dicta.

Fran-

GALLIAE REGNVM



Franconibus Germaniæ populis, à quibus olim ferè tota ſubacta eſt. Huius itaque prouinciæ, quæ Regnum Galliæ ſeu Franciæ propriè dicitur, fines hi ſunt. Ad Septentrionem, & pro parte ad Occidentem Oceanus, quem peculiari nomine Britannicum ad Septentrionem, & Aquitanicum ad Occidentem vocant: reliqua pars ad Occaſum, quæ nonnihil in Meridiem flectit, Pyrenæi montes, ad quos Hiſpania terminat: à Meridie Mediterraneum Mare, quod à ſe Gallicum vocatur. Et hi quidem ad has plagas antiquæ etiam Galliæ termini fuêre: ab Ortu verò Alpes habet in confinio Italiæ, & ad Septentrionem non parum reflectendo linea ab Argentorato ad Iccium portum, quem Caletum eſſe hucuſque multi opinati ſunt, finitur. Includitur autem Regnum hoc inter parallelum 13. & 19. à medio ſcilicet quinti climatis, vbi dies longiſſima Aeſtatis eſt horarum quindecim, vſque ad medium octaui, in quo longiſſima dies eſt horarum ſedecim cum ſemiſſe. At penes longitudinem accipit Meridianos omnes, qui ſunt inter gradus 15. & 29 Galliæ longitudinem nõnulli tradunt eſſe 520. miliarium ſuæ regionis, ab Alpibus ſcilicet ad Occidentalem vſque Oceanum; latitudinem verò miliarium 584. ab vrbe Marſilia ad Britannicum Oceanum. Porrò Gallia in vniuerſum, etſi Septentrionalibus ventis obnoxia ſit, aëris tamen ſalubritate ac temperie, agrorũ itẽ fertilitate inter vberrimas fertiliſſimaſq; Europæ prouincias connumeranda eſt: cuius ager maiori ex parte planus, amœniſſimis collibus ac vallibus ornatus, fœcunditate mirus, pluuiarũ multitudine abundãs, nulla ferè ex parte otioſus eſt. triticum enim & alias ſegetes copioſiſſimè profert, vnde bona pars Hiſpaniæ & Portugalliæ triticum ibi parat.

Fines Galliæ.

Magnitudo eius.

Qualitas eius.

Prata atque alia Galliæ loca compaſcua, armenta nutriunt quàm plurima; vnde carnis, caſei, lactis, butyri, lanæ, & ſimilium hic ingens copia. vino etiam optimo ſupra modum diues eſt, adeò vt non tantum ad eam ipſiuſmet Galliæ partem, quæ ad Oceanum Britannicum expoſita eſt, mittatur; continens Britanniam, Normaniam, & Picardiæ partem, vbi ob frigidiorem aërem vuæ ad maturitatem non perueniunt; ſed etiam in Belgium, Angliam & Germaniam copioſiſſimè aduehitur. Oleum ficus, crocum, & ſimiles fructus, qui calidiore aëre gaudent, in Meridionali Galliæ parte abundè proueniunt. reliqua pars ad Boream his vt plurimùm caret; alios nihilominus fructus ad ſaturitatem abundè profert. Sal hic conficitur non tantùm ipſi Regno ſufficiens, ſed pro circumuicinis quoque regionibus: lini inſuper & Cannabis mirus hic prouentus, quem abundè in Hiſpaniam & Portugalliam pro nauium & claſſium vſu & ornamentis mittunt: ex his etiam telas conficiunt, quæ in diuerſas regiones exportantur. Nemora perampla hîc non ſunt; ſed tamen frequentia, ex quibus ad omnem vſum lignorum maxima copia cæditur, & in quibus aucupium & venatio magnoperè exercentur adeò vt plures altilibus, etiam ſi carius emptis, quàm alijs carnibus veſcantur potius. Sunt etiam hîc *Iura mons.* montes, qui Galliam Narbonenſem ab alijs diuidunt, nempè Iura, nunc mons S. Claudij vocatus, & Cemenni, hodiè Aluerniæ montes vocati, qui quidem omnes (præter herbas medicinales, quas ferunt optimas) paſcua vndique optima habent, ex quibus greges & armenta numeroſa aluntur: vnde carniũ, butyri, caſei optimi, & talium ingens trahitur copia. Multos inſuper ac commodos Maris portus

habet,

habet, quorum principalior famoſiorque eſt tutiſſimus portus ad Mediterraneum Mare, qui catenis ferreis clauditur. Fluminibus præterea magnis ac paruis prouincia hæc Galliæ mirificè lætatur, qui eam vndique irrigant, & ad nauigationem ac piſcaturam magno emolumento ſunt; horum celebriores numerantur Garumna, Lygeris, Sequana & Rhodanus. Garumna, vel Garyna, hodie Garonne qui ex Pyrenæo monte delapſus nonnullis amplificatur amnibus, æſtate vadoſus, hyberno verò tempore liquatis niuibus augetur, ſtagnatque, Marino æſtui obuius, atque adeò vt freti ſimilis appareat, qui interdum ſæuiente vento atrociter iactat. Lygeris, hodie Loire, vel vt alij dicunt, Lecher, amplior cæteris, perſpicuitate aquæ inclytus, in quem alij plures fluuij concurrunt, ex quibus ad Ortum Era eſt, ex Aluernis montibus proueniens. Hunc amnem Lygerim patrem fluuiorum Galliæ vocāt, & hi quidem ambo in Oceanum Occidentalem percurrunt. Sequana, nunc Seyne, qui in Alſeti regione Ducatus Burgundiæ exoriens non longè à vico Monaſterij S. Sequani, atq; in ſeſe Matronam, vulgò le Marne, recipiens, Lutetiam primùm Pariſiorum, vulgò Pareis, deinde Rothomagum (vulgò *Rovvahn*) bifariam diuidens, in Oceanum Britannicum erumpit: vbi & æſtuarium, & admiranda æſtus Marini ratio, non & eandē cum aliis fluuijs qui in Oceanum labuntur Occidentalem, ſeruans naturam: repentè enim & inopinato quodammodo ex Oceano affluit, & aſcendit horribili cum ſonitu, ad haſtæ longitudinem & vltra: vnde & plurimæ naues, quæ negligentius intrò nauigant, naufragij ſubeunt periculum. Rhodanus, vulgò Rhoſne, Galliæ rapidior, qui non longè à Rheni fontibus oriēs,

Flumina Galliæ.

Garumna.

Lygeris.

Sequana.

Rhodanus.

prope montem cui nunc Briga nomen eſt, & infra Lugdunum Arari, vulgò à la Sone, ſeſe immiſcens, in Mediterraneum mare ſeſe exonerat. Sola autem Britannia fluminibus inſignioribus caret, quibus tamen non indiget, cùm in ſe Oceani vndas vbiq; recipiat. Lacus Gallia celebres non habet, ſed horū loco ſtagna quàm plurima & piſcoſiſſima ſuccurrunt.

Gallorum ingenia.

Gallorum temperatura frigidior & humidior calor mollis, albicans color, grandioribus corporis membris muniti, ignea illis mens, mobile pectus, curioſi & rerum ſitibundi nouarum, ore libero, læti, alacres, & in conuiuia proni, merum potant vinum, & apud eos aduenæ humaniſſimè hoſpitijs excipiuntur, nullum eis denegatur officium, ad victum omnia parata proponuntur. ſermo eorum ſuauis, facundi potiùs quàm eloquentes, creduli, inquieti ac pacem fugientes: voluptatibus ac ſenſibus dediti: in primis motionibus vehementes ſunt, ſed in progreſſu lenti: pietatem ac religionem ſummoperè colunt, ligitioſi admodum ſunt, & cauſidicorum nomen olim & nunc tenent, vt qui forenſia litigia pro re interim minima concitent; vnde Iuriſperitorum & foro litigantium magnus hic numerus, hypocriſim & grauitatem refugientes; ad rē bellicam prompti ſed impetuoſi, & qui maiori ferocitate quàm arte pugnant; & plus virium quàm conſilij in bella ferunt. Gallorum cataphracti equites ſunt in pretio. Nobiles vt plurimùm liberales ſunt, magnanimi ac bellicoſi: plebs autē tenax, abiecta, & imbellis, ijs tamen exceptis qui in Hiſpaniæ ac Belgij confinibus poſiti ſunt. Mulieres ſolæ, vel cum vna tantùm pediſſequa domo egrediuntur.

Galli famoſi.

Gallorum nomen magno fuit olim Romanis, Græcis

cis,& Aſiaticis terrori,capta dirutaq; ab eis Roma, victis Macedonibus,& ſubacta ea Aſiæ parte, quæ ab eis Galatia ſiue Gallogræcia dicta eſt. Mira Gallicarum fœminarum fuit & eſt fœcunditas,vt quæ plurimas ſemper emiſerit Gallia colonias, nec hodie poteſt Gallicum ſolum nos ferre, cùm multa millia inferioris ſortis homines in Hiſpaniam,Germaniam,atque alio quotannis migrent. Sunt enim in Gallia circiter 30000.populationes cum diœceſi, & habitatores quindecim milliones ſuperant,inter quos ſunt 18.millia nobilium. Tota autem Francia vni Regi ſubeſt,cuius ſedes eſt Lutetia Pariſiorum, eiuſque primogenitus,ſeu qui Regi in Imperio ſucceſſurus eſt, vocari ſolet Delphinus Franciæ à primo natiuitatis die. Regno & Coronæ Franciæ octodecim ſubſunt ducatus, vnà cum 35. comitatibus illorum clientelaribus, tanquam perpetuum patrimonium & hæreditas. Ducatuum autem nomina hæc ſunt:Orleaus,Burgundia,Narbona,Britannia,Aniou,Berry,Normannia,Auernia,Guienne, Tours,Barleduc,Valoys,Nemeux;Alēcon,Reims, Laon,Langres,& Borbon.Præterea ſubſunt etiam immediatè Coronæ Franciæ 14. Comitatus ipſi Regno patrimoniales.nempè France,Dampmartin Beaumont,Champaigne,Vermādois,Meſſy,Chartres,Montfort,Melun, Perche, Eureux, Eſtampes, Dunois,Tholouſe.Olim verò Arteſiæ & Flandriæ Comitatus ſub Corona Franciæ erant, qui tamen nunc ad Regem Hiſpaniæ ſpectant. *Regum potentia.*

Senatorum ordines, quos Parlamenta vocant, in aliquot huius Regni vrbibus pulchrè ſunt inſtituti, vt Pariſijs, Rothomagi, Tholoſæ, Burdegaliæ, Gratianopolis & cæt. quatuor cuique *Senatorius ordo.*

præſides, & conſiliarij plurimi ſunt, qui de rebus magnis, & appellatione remota ſententias ferant. Duodecim inſuper viros ex omni Nobilitate electos, Franciæ Pares appellatos, à Caroli tempore obſeruant Galli, ſex ſcilicet Eccleſiaſticos, quorum tres Duces ſunt, nempè Remenſis Archiepiſcopus, Laudunenſis, & Lingonenſis; cæteri tres Comites Epiſcopi ſunt, nempè Bellouacenſis, Nouionenſis, & Catalaunienſis. Reliqui Franciæ pares ſæculares ſunt, quorum tres Duces, Burgundus ſcilicet, Normannus, & Aquitanus: & tres Comites, Flandrenſis; Tholoſanus, & Campanus. horum tamen ſex nullus hodie in Gallia extat, ipſomet Rege illos ſibi titulos vendicante. Sunt in hoc Regno Archiepiſcopi ſeptendecim, nempè Aquenſis (Aix) Auxitanus (vulgò Auchx) Arelatenſis vulgò Arle, Auinionenſis v. Auiqnone, Bituricenſis v. Bourges, Biſuntinenſis v. Beſenzon, Burdegallenſis v. Bordeaux, Ebredunenſis v. Ambrum, Lugdunenſis v. Lion, Narbonēſis v. Narbona, Rothomagēſis v. Rovvhã, Remenſis v. Reims, Senonenſis v. Sens, Tholoſanus v. Tholouſe, Turonenſis v. Tous, Tarantaſienſis v. Tarantaſio, & Viennenſis v. Viennæ in Delphinatu. Quibus tamen 108. circiter ſubſunt Epiſcopi, etenim Auxitano ſubſunt Auraicenſis v. Aire, Baſenſis v. Baſaz, Beyonenſis v. Bayona, Commigenſis, v. Connigye, Conſerenenſis v. Conſerans, Aquenſis in Vaſconia v. Dax, Lectorenſis v. Lectore, Leſcurienſis v. Leſcar, Tarbienſis v. Turbe. Sub Aquēſi Archiepiſcopo eſt Segeſtenſis v. Ciſteron. Sub Arelatenſi Aurenſicenſis v. Oranges, Maſſilienſis v. Marſilia, Tricaſtinenſis v. Tricaſte vel S. Pol, Tolonenſis v. Tolone. Auinionenſi ſubſunt Carpentoratēſis v. Carpētras, Cabellionenſis v. Cauaiglion.

Archiepiſcoporum numerus.

Sub

Sub Bituricenſi Albienſis Alby, Claramontenſis Clermont, Caturcenſis Cahors, Caſtrenſis Caſtres, Ingoliſmenſis Angolem, Lemouigenſis Lymoges, Menatenſis Mende, Ruthenenſis Rhodez, Sancti Flori San Flur, Tullenſis Tulle, Xantonienſis Xante. Sub Biſuntino Baſilienſis Baſilea, Bellicenſis Beuges, Loſannenſis Loſanna. Sub Burdugalenſi Aginenſis Aagen. Sub Ebredunenſi Dignenſis Digne, Graſſenſis Graſſe, Glautacenſis S. Glaude fort vel Glandeue, Nicienſis Niza, Senetenſis Senez, S.Pauli S.Pol in Delphinatu, Vancienſis Vence vel Vap aut Gap. Sub Lugdunenſi Caualonenſis Cialon ad amnem Saone, Heduenſis Autun, Lingonenſis Langres, Matiſconenſis Maſcon. Sub Narbonenſi Agathenſis Agde, Electenſis Alect, Bitterenſis Beziers, Carcaſonenſis Carcaſſone, Eluenſis Eaule, Foroiulienſis Freius, Lodouenſis Lodeſve, Magalonenſis Meguelone, Nemauſenſis Nimes, S.Pontij Temeriarum San Pons da Tomeres, Vticenſis Vzez. Sub Rothomagenſi Abricenſis Auranches, Baiocenſis Baieux, Ebroicenſis Eureux, Lexouienſis Liſieux, Seſſuienſis Scez. Sub Remenſi Ambianenſis Amiens, Atrebatenſis Arras, Belluacenſis Beauois, Cathalaunienſis Cialon, Cameracenſis Cambray, Laudunenſis Laon, Morinetenſis Terouana, aut Boulogne, Nouiodunenſis Noion, Sueſſionenſis Senlis, Tornacenſis Tornai, Siluanectenſis Santis. Sub Senonenſi Aurelienſis Orliens, Antiſſiodorenſis Auxerre, Carnotenſis Ciatres in Beauſſe, Meldenſis Meaulx, Niuernenſis Neuers, Pariſienſis Pareis, Trecenſis Troze. Sub Toloſano Lucionenſis Luſſon, Vaurenſis, fortè Lauour, Lomberienſis Lombres, Melliacenſis Meilezais vel Mailezay, Montis Albanenſis Mont Al-

ban,Mirapicenſis Mirepois, Pictauienſis Poictiers, Apamiarum fortè Pamiers,Riuenſis Rieux,S.Pauli S. Paul. Sub Turonenſi Andegauenſis Angiers, Briocenſis S. Brieu, Cariſopinenſis Corneuaille, Cenomanenſis le Mans, Dolenſis Dol, Leonenſis S.Pol de Leon,Maclouienſis S.Malo, vel Aler, Nanetenſis Nantes, Reonenſis Renes, Trecorenſis Tregoir, Venetenſis Vannes. Sub Tarantaſienſi Auguſtenſis Auguſta,Sedunenſis Sitten.Sub Viennenſi Gebennenſis Gineura, Gratianopolitanus Granoble, Mauriacenſis Sant Iuuan de Mouinna, Valentinenſis Valenze, Viuarienſis Viuiers. Gymnaſia publica ſunt, Lutetia Pariſiorum, Toloſa, Burdigala, Pictauia, Bourges, Aniers, & Dola. De illuſtri autem Pariſiorum ſchola & republica hi extant panegyrici verſus Architremij poëtæ, quos ſubijcere placuit:

Exoritur tandem locus altera regia Phœbi
Parrhiſius,Cyrræa viris,Chryſea metallis:
Græca libris, Inda ſtudijs,Romana poëtis,
Attica philoſophis,Mundi roſa,balſamus Orbis
Sidonis ornatu,ſua menſis & ſua potu,
Diues agris,fœcunda mero,manſueta colonis,
Meſſe ferax,inoperta rubris,nemoroſa racemis.
Plena feris fortis domino,pia regibus,aura
Dulcis,amœna ſitu,bona quælibet,omne venuſtum,
Omne bonum,ſi ſola bonis fortuna faueret.

LEODIENSIS EPISCOPATVS. Cap. 10.

EPiſcopatus hic ampliſſimus populos ſub ſe complectitur Cæſari veteribuſque notos ac celebratos Eburones,quorum veſtigium retinet

tinet Ebura oppidulum, miliario vno ab Leodio diſſitum. Tungros qui ſe Germanos primi dixêre, à Leodio & Traiecto ad Moſam æquis inſterſtitijs trium miliariorum Ieckræ fluuij ſiniſtræ ripæ inſiſtens oppidum. Centrones eo loco habitaſſe contendunt multi, vbi hodie oppidum eſt. Sanct Truden, quod nonnihil mutata voce à Centronibus nomen retinuiſſe imprudenter crediderunt; ſed neque etiam ſancta Gertrude ſic dictum vt alij putarunt, verùm à ſancto quodam Trudone, ſepulto in Abbatia iſta Benedictini ordinis, diſtatque oppidum hoc à Leodio ſex, à Tungris autem tribus miliaribus. Cereſinos autem, quorum meminit Cæſar, apud Cerei caſtrum habitaſſe, quod à Leodio tribus abeſt miliaribus. Continet verò Leodienſis Epiſcopatus territorium, Ducatum Bouillonenſem: Marchionatum item Franci Montemſem; Comitatum Burchlonenſem; & Comitatum Hasbaniæ, cuius ciuitas præcipua eſt Borchvvorm. Baronatus verò plures complectitur: Abbatias opulentiſſimas, numero ſupra quinquaginta. oppida autem ciuitateſque muris valliſque munitas, præter eas quæ Traiectenſis ſunt Diæceſeos, viginti quatuor. Earum prima & maxima eſt Leodium, eademque metropolitana, mirum in modum inter montes celſiſſimos in amœniſſima quadam valle exſtructa, Moſa fluuio perluitur, is duobus ramis vrbem ingreſſus in compluſculas inſulas elegantiſſimas eam diſpeſcit. abundat inſuper vrbs ipſa fontium perennium perpetua ſcaturigine; complures enim domos inuenias tribus aquarũ viuentiũ fontibus ornatas. ciuitas eſt ampliſſima, vtpotè quæ ſuo cõplexu cõtineat montes altiſſimos, torrẽtes cõplures, vineta haud pauca, ędificijs conſtat lapideis pulcher-

Vrbes & oppida Leodienſia.

Leodienſis ciuitas.

cherrimis, palatium habet Epiſcopale magnificen-tiſſimum, collegia, monaſteria & xenodochia permulta, templa tum in vrbe, tum in ſuburbijs magnificentiſſima eaque vltra centum. populus in ea frequentiſſimus, incolæ induſtrij, & ad quęuis idonei, lingua vtentes Gallica, eaque admodum corrupta, quòd in Germaniam & Galliam poſiti ſint, & ab vtriſque nonnihil mutuentur. Omnis ferè præterea Leodienſis vrbis vicinia vinum profert, quanquam admodum tenue & ignobile. Carnis, piſcium, ferinarum venationis ingens copia eſt. vix tandem poſſibile exiſtimant regionem quampiam reperiri pulchriorem, magiſve fertilem aut feliciorem hac ipſa, ſiue aërem ſpectes, ſiue limpidiſſimos fluuios vndique agros irrigantes: ſeu ſyluas opacas, montes, valleſque vineta & fructus per omnem vicinum agrum producentes. Reliquæ vrbes ſunt Bouillon, Ducatus titulo inſignis: Borchloon Comitatus dignitate pollens, quemadmodum & Borchvvorm. Tungri ciuitas olim maxima ac metropolitana, Epiſcopali dignitate clara, anno ſalutis 101. Epiſcopatus eius poſtmodo tamen Moſætraiectum, anno videlicet 138. tandem verò Anno 713. Leodium translatus eſt per ſanctum Hupertum. fuit autem is Betrandi Ducis Aquitaniæ filius tempore Theodorici Regis Francorum: atque à ſancto Lamberto Epiſcopo Traiectenſi in fide & religione diligenter inſtructus, bonis ſuis in pauperes diſtributis, in eremum ſeceſſit, & vitam ſatis arctam annis aliquot duxit: inde Angelica admonitione Romam ſe confert, & à Sergio Pont. Max. Traiectenſis Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus, Lamberto iam martyrio coronato, dabaturque ei clauis aurea & ſtola, qua poteſtas abſoluendi & ligandi ſignifi-

Regionis præſtantia.

S. Hubertus Epiſcopus.

gnifi-

gnificata fuit. Inde Leodium translata ſede, templum beatæ Mariæ primarium in honorem diui Lamberti conſtruxit, nomenque ciuitati Leodium impoſuit, cùm antea Legia vocaretur. Tungrorum autem ciuitas nobiliſſima ab Attila Hunnorum Rege funditus euerſa deſtructaque fuit; præter cætera inſignia & magnifica ædificia, vltra centum templorũ ruinas videre erat; vnde amplitudo eius quę fuerit facilè colligi poteſt. poſtmodum tempore Caroli Calui Imp. denuo à Nordmannis exciſa fuit; vt hodie exiguum atque imbecille tantùm ſit oppidulum. Haud ſecus Hoi ciuitas olim famoſa, ampla potenſque propter crebras euerſiones à barbaris nationibus perpeſſas, vix quicquam retinuit. quin & ipſum nomen mutauit; hac enim ętate Hoy à torrente quodam impetuoſo ibidem in Moſam influente dici cœpit, cùm antea Benefacta appellaretur. Fluminibus amnibuſque limpidiſſimis regio vndique rigatur, quorum maxima pars Moſæ miſcentur. Syluis affatim plena, quæ Arduennæ portiones ſunt. Montibus hinc inde tumulatur, vnde minerarum fodinas cernere eſt. præter enim ferri fodinas, quæ iuxta Hoy ac Dionantum oppida exercent, vbi alabaſtri, marmoriſque variegati ac diuerſi coloris ingens copia eruitur, plumbi quoque aurique nonnihil reperitur. Ipſe etiam Leodienſis ager foueis cuniculis in imum actis, ad miraculum profundis, aſſiduè fatigatur; vnde & ferri & carbonum quos lithanthraces vocant, vernacula lingua Steinkolen, ingens eruitur copia. Thermis inſuper aquarum calidarum haud minus regio hæc à natura donata eſt. Tungrenſium thermarum meminit Plinius libr. 31. Nat. hiſt. his verbis: Tungri ciuitas Galliæ fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillan-

Tungrorum vrbs euerſa.

Hoy vrbs.

Carbones lapidei

Thermæ.

lantem, ferruginei ſaporis, quod ipſum niſi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. eadem aqua igni admota turbida fit, ad poſtremum rubeſcit. Hæc Plinius. Verùm is fons non ipſa Tungrorum vrbe, ſed octo miliaribus ab ea diſtante loco viſitur, à Leodio quinque, à Limburgo duobus cum dimidio, haud procul à Spay oppidulo, eum fontem acidum, lingua autem vernacula Saurbron vocant accolæ. Salis etiam nitri vix vſquam plus fit quàm in hoc Leodienſi agro.

Spaywaſſer.

LOTHARINGIAE DVCATVS. Cap. II.

Lotharingia antea cum alijs quibuſdam regionibus Auſtraſia dicta. ſortita autem nomen ſuum eſt à Lothario Caroli Magni nepote, & incorporata Romano Imperio ſub Othone I. A Carolo enim Magno vſque in generationem quintam poſteri eius ſimul gubernarunt Franciam & Germaniam, aliquando per diſtinctas perſonas, ſed ſanguine iunctas, aliquando etiam per vnam perſonam. Extincta autem in quinta generatione tota poſteritate ſaltem virili Caroli Magni, Galli proprium ſibi elegerunt Regem, relicto Germanis Imperio, quod prius & Gallis & Germanis commune fuit. In illa autem Imperij ſciſſione Otto Dux Saxoniæ factus eſt Romanorum Imperator, qui Lotharingiam & Burgundiam reduxit ad Imperium. Lotharingia etiam olim & Brabantia vnitæ fuêre ſub Principe Auſtraſiæ, manſeruntque ſic coniunctæ vſque ad tempora nepotum Caroli Magni: tunc enim diſiungebantur; ceſſitque Lotharingia Lothario, & Brabantia fratri ſuo Carolo,

anno

anno ſcilicet Chriſti 956. aut circiter. Latius autem olim Lotharingiæ nomen extendebatur; compræhendebat enim ferè omnem terram quæ Rheno, Scaldi, & Voſago monte continetur; diuidebaturque in ſuperiorem & inferiorem Lotharingiam, compræhendebatque inferior Brabantiam, Hasbaniam, Geldriam & Cliuiam. ſuperior autem Epiſcopatum Leodienſem, Lucenburgum, ac Limburgum: ducatum præterea Moſellanum, Palatinatum Surenſem, tractum Obrincanum, atque hodiernum ducatum Lotharingenſem de quo in præſentia agimus. Regio interim hæc pecorum eſt ditiſſima, frumenti quoque ac vini feraciſſima, nec deſtituitur paſcuis, ſyluis, piſcinis, thermis, ſale, ferro, plumbo, ſtanno, argento, gemmis, ſpeculis, ac Chalcedonio. Fluuijs irrigatur permultis, horum quatuor præcipui ſunt: Moſa in Alſatiæ monte Voſago oriens, à quo potior Lotharingiæ pars Voſagia dicitur, fines perfluit Nouicaſtri (vrbs autem ea & propter loci amœnitatem, & propter aëris ſalubritatem commendatur valde) Lotharingiam à Comitatu Barrenſi diſtinguens. Moſella inter Ortum & Meridiem haud procul à Romerico monte oritur. decoratus eſt autem locus ille cœnobio nobiliū virginum, reditus vberrimos quotannis habēte; diſtantq; circiter ſex ab eo miliarib. thermæ, ad quas varijs afflicti morbis homines ſe cōferūt: celeri inde curſu Spinallum, Chermas, Leucam & Mediomatries perfluit, inde Treuiris, ac tandem confluentiæ Rheno miſcetur. Murtha fluu. in valle erumpit Deodatenſi, in qua & diui Godeberti fons, eſt qui ad multiplices ſanandos morbos diuina gratia efficax eſſe perhibetur: hinc ipſam vrbem Deodatenſem perfluit, ac deinceps munitiſſimas

Lotharingia duplex.

Fertilitas eius.

Moſa flu.

Moſella flu.

Murtha flu.

illas

illas & ad omnem belli euentnm inſtructiſſima
vrbes Rauonum ac Luneuillam,inde S. Nicolai pa
gum petit, ac porrò totius Ducatus metropolin
Nancium vrbem, inſignem quidem ac celebrem
vallis quoque & aggeribus firmatiſſimam: duplic
namque eaque præaba & foſſa & muro circumda-
Sar flu. ta eſt. tandem Moſellæ miſcetur. Quartus eſt Sa
fluuius, ex Oriente per Auſtraſiam Moſellæ influ
ens. Quamuis autem rebus permultis affluat Lo
tharingiæ ducatus; ex ijs tamen quibus maxim
commendatur præcipua hæc ſunt. Principio qui
Mineræ argenti. dem montes habet omnis metallorum generis ab
undantia Pyrenæos montes longè ſuperantes:ma
ximè autem argenti fodinę ſupra quàm dici poſſit
fœcundæ ſunt; ex qua quidem argenti vbertat
Salis fodinæ. haud paruus Ducatui fructus accedit. Neque Sali
fodinæ deſunt, qui & ſuauiſſimus, & Scythica niu
candidor ibidem conficitur.atque hæ fodinæ dem
ptis omnibus impenſis ſupra centum millia Fran
corum (vt vocant) Principi ſuo important. Reperi
tur & materia quædam in ea, ex qua ſpecula & po-
cula vitrea conficiuntur; neque vſquam regionum
in tota Europa ad hunc vſum inuenitur præſtan-
Gemmæ. tior. In Voſagi montis valle fontes conſpiciuntur
tanta gemmarum ac vnionum ſeu margaritarum
aut baccarum copia abundantes,vt in tota Germa-
nia nullæ ijs frequentiori in vſu ſint, quæ vel ab i-
pſis gemmarijs longè præferuntur Indicis ac Ori-
entalibus. Lazuli etiam lapis quidam,quem & A-
zurum vocant, nitore & coloris præſtantia omnes
ferè gemmas ſuperans. Calcedonius autem tantæ
magnitudinis ibi naſcitur,vt mediocris magnitudi-
nis poculum ex vno ſibi tornari curauerit præfe-
ctus Dolenſis,quod fide digniſſimus Abraham Or-
telius

elius vidiſſe ſe affirmat. Præterea & lacus eſt, quauordecim miliaria in circuitu complectens, carpiones producens mirandæ magnitudinis, tres videlicet pedes longos, & vnum latum, & ſaporis adò ſuauis, vt totius Europæ carpiones longè ſuperent. Atque hic lacus triennio quoque retibus expiſcatur, ex eaque piſcatura, quod vel pueris notum ſt, circiter ſedecim Francorum millia Lotharingiæ Duci proueniunt. Quid, quòd & generoſiſſimorum equorum fœcunditate celebratur? feritate ſi-nim Turcicos, celeritate ac dexteritate Hiſpanos, magnitudine Anglicos ſuperant. Similiter & viros roceros atque agiles, fœminas autem benè formatas regio hæc procreat. denique omnium rerum prouentu quæ ad vitam humanam ſuſtentandam requiruntur, felix eſt. Franciſcus quidam Rosus librum ſingularem conſcripſit, in quo copiosè git de ſtemmate & origine, rebus item præclarè eſtis ducum Lotharingiæ. Munſterus etiam eorundem Ducum ſeriem accuratè ſatis in Coſmographia ſua percurrit. Equi generoſi.

Terminatur autem Regio ab Ortu Alſatia; à Medie finibus Burgundiæ; ab Occidente Campania montibus Heluetijs; à Septentrione verò Eyphaea, ſiue montibus & ſyluis quæ à Lucenburgenſi Ducatu Flandriam verſus protenduntur.

BVRGVNDIA INFERIOR, *quæ Ducatus nomine cenſetur.*

Cap. 12.

AB antiquis temporibus ſæpè tentatum fuit vt Burgundia erigeretur in Regnum, ſed nunquam diu conſtitit in hoc faſtigio.

Quin & Carolus vltimus Dux Burgundiæ labora-
uit apud Fridericũm Imperatorem vt coronaretu
in Regem, at non fuit illi conceſſum. Anno Chriſt
1020. factus eſt Rex Burgundiæ Rudolphus gene
Burchardi Ducis Sueuorum, cuius filiam Bertham
habuit vxorem & idem ſocer Conradi Imperato-
ris. Complectebatur tunc Burgundiæ Regnum Se
quanos, ſuperiorem Burgundiam, Allobroges qu
hodie vocantur Sabaudi, Delphinatum, & territo
rium quod eſt circa vrbem Arelatenſem, vbi ſcili
cet Rhodanus exoneratur in MareMediterraneum
Sed non longè pôſt diuiſa eſt terra in multa Domi
nia, vbi Regum filij ſunt multiplicati: Burgundi
fuit diuiſa in Comitatum & Ducatum, habuitqu
anno Chriſti 1300. ſuos peculiares dominos, ſicu
& terra Lugdunenſis obtinuit ſuum Principem
Porrò Ducatus Burgundiæ, de quo hoc capite age
mus, in ea Galliæ Lugdunenſis parte eſt, quam o
lim Hedui tenuerunt. Terminatur autem verſus Se
ptentrionem Campania & Velaunodunis; verſu
Occidentem Niuernenſibus & Bōrbonenſibus
Meridiem verſus Lugdunum reſpicit; verſus Or-
tum Rodel fluuius eum à Sabaudia & Comitatu
Burgundiæ diuidit. Metropolis eius olim erat Au- *Authum ciui-*
thun, hodie verò Digion ſiue Dijon, in qua ſum- *tas antiquiſ-*
mum tribunal ſeu parlamentum (vt vocant) eſt. ſi- *ſima.*
ta verò eſt ad Ouſche amnem piſculentum, in agro
planè frugifero, cuius finitimi montes (vt accura-
tiſſimus terræ huius deſcriptor Turonenſis teſta-
tur) vini precioſiſſimi feraces ſunt. Cùm aliquibus
ab Aureliano Imperatore condita exiſtimetur,
non deſunt tamen qui antiquiorem ipſam eſſe cre-
dant; hodie autem vrbs eſt admodum amœna, arte
& natura benè munita. Hanc ſequitur Beaulne, eu- *Beaulne.*
iu

s vinum, quod Belnenſe dicitur, cuiuis probatur:
dificijs egregiè exornata, atque arce à Ludouico
I. ibi locata, inexpugnabilis effecta. Xenodochiū
bet quod vel magnificentiſſimo Regis palatio ę-
iari poſſit. Grammatophylacio quoque non de-
tuitur. Anno 1098. Otto Dux Ciſtertienſe extru- *Monaſteriū*
monaſterium in vrbis huius territorio, loco ſyl- *Ciſtertienſe.*
ſtri & paludinoſo, vnde etiam à Ciſternis nomen
mpſiſſe creditur, atque hoc iſpum Belleforeſtio
te 1800. virilium monaſteriorum caput eſt, ac to
lem muliebrium. Tertium locū ſibi vendicat Au-
n ſiue Auttun; quæ Bibracte quibuſdam (nullius *Auttun*
nen probati ſcriptoris teſtimonio munitis) eſſe
thibetur. Cùm ex alijs, tum præcipuè ex Cæſare
uet ampliſſimam ac populoſiſſimam olim vrbē
ſſe. conſpicitur autem & hodie collapſa ac diru-
heatri cuiuſdam ſtructura, præter ſtatuarum ac
lumnarum ruinas, deſtructa aquagia, deiectaſq́
angulas columnas; aliaque innumera propemo
m antiquitatis monumenta: quin & numiſmata
ud pauca, vaſa quoq; & alia olim vſurpata ſupel-
tilia quādoq; reperiūtur. euerſiones namq; duas
peſſa eſt inſignes, alterā in bello Gallico, Caio
eſare ſummo belli duce, alterā ſub Gallieno Imp.
tauratā verò deinceps eā eſſe à Conſtant. Claud.
o, ex Panegyrico Eumenij liquet; dū ipſam Fla-
m Heduorum appellat. Hodie etiā tēplis & pub-
s ædificijs magnificè exornata eſt. Poſt hanc Au *Auſonius.*
ne ponitur, in qua Matiſconēſe caſtrū Antonini,
die Maſcon nūcupata, ol mq; Comitatus titulo
bilitata; probare conatur Paradinus ex Gunthra-
edicto in hac primū vrbe diem Solis pro Sabba-
à Chriſtianis ſanctificatū. De huius vrbis rebus
tis peculiarem libellum fecit Philippus Bogno-

nius.Hæc olim Gunthrami ſedes fuit Regia, qua
tamen poſtea Lotharius Ludouici Pij Aug. fili
exuſſit, funditusque ita euertit, vt vix alicuius i
vrbis veſtigia agnoſci potuerint: hodie nihilom
nus florida eſt ciuitas, & ad merces euehendas a
tiſſima.Habet prętcrea Ducatus hic ciuitates & o
pida haud vilia,vtpote Chaſtillon, Flauigni, Salo
gne,Noiers,&c. quas omnes copioſius perſequit
Belleforeſtius. Illud denique ex Petro Saniulan
dijciemus,quòd contra omnium, qui huc vſque v
Burgundiæ ἔτυμον. xerunt, ſententiam contendat Burgundiæ voce
non compoſitam eſſe ex Burgis vndique conſtr
ctis;ſed à loco quodam peculiari Burg Ogne dict
inter Luzam enim ac Thilaſtellam planitiem e
ait,quam Valdogne indigetarunt,in eaque olim
ue Burgum, ſiue vrbem munitam fuiſſe, ex eoq
nomen traxiſſe Burgundos ſeu Burgundione
quos vernacula lingua Bourgognons vocant. A
que idem eorum ridet ſententiam qui ex Sarma
& à Mæotide palude in hanc terram olim migra
incolas opinati ſunt, cùm reuera ipſos Aborigen
eſſe aſſerat.

ANTIQVISSIMA AC NOB liſſima Italia. Cap. 13.

COnſentiunt in hoc veteres Scriptores, I
num, qui & Ogyges, eo tempore veniſ
in Italiam, quando Mundus adhuc fuit a
reus,& homines iuſti. Ipſe docuit homines plant
re vinum & frumentum, & de eis facere oblati
nes atque temperatè inde viuere: fuit namque I
Ianus. nus ſacerdos & vir religioſus,doctus, philoſophu
imò & Theologus:fuit, inquam, pater Deorum a
homi

minum, caput & rector totius primi generis hu-
ani, à quo ſuo æuo magni & lati Orbis pendebat
ſtodia. Egreſſus eſt Ianus iſte poſt diluuium ex
am, ea quæ poſtea Armenia, in Italiam, condi-
que in ea ciuitatem quam de ſuo nomine Ia-
am appellauit, qui hodie Genua dicitur. poſtea *Genua.*
ò tota regio ab eo Ianicula eſt denominata.
rò vxorem eius aiunt veſtam fuiſſe. Deriuatur
em Iani vox ab Hebraica voce Iaijn, quod vi-
n ſignificat, denominaturque ex eo Ianus, quòd
nus fuerit inuentor vini, & conſeruator generis
nani in diluuio. is autem fuit patriarcha Noah,
m & gentiles agnouerunt ex maiorum ſuo-
n dictis. Sub eo recenti Mundo pura illa vixit æ-
quæ aurea dicta eſt, annis fere 250. poſt dilu-
m. Cùm autem Heſperus in Ianiculum conceſ- *Heſperia.*
t, ab eodem denominata eſt Heſperia; etiamſi
crobio placet ſic dictam quòd Heſpero ſtellæ
ubiecta. Fuit etiam aliquando à Cameſe Came-
, & à Saturno Saturnia dicta. Item ab Aegy-
Oſiride, qui & Iupiter cognominabatur, pro-
tamen nomine Dionyſius vocabatur, dicta eſt
uſdam Taurina: adeptus enim fuit inclytam
tra gigantes victoriam. Quin veteres non rarò
co vocabulo Oenotriam eam vocitant, vel à *Oenotria.*
itate vim quod ibi naſcitur, vel ab Oenotrio
norum Rege. Tandem verò dicta eſt Italia ab *Italia.*
Siculorum Rege, qui agriculturam Italos do-
, & leges poſuit. Proinde duo Maria quæ Ita-
includunt, nempè Adriaticum à ciuitate A- *Adriaticum.*
, quæ & Atria dicta, cuius ſitus non longè ab-
b ora Padi, fuitque olim ciuitas magna & am-
bi nunc ager Ferrarienſis iacet, cuiuſque veſti-
adhuc parua quædam extant: à qua non ſolùm

Mare Adriaticum, ſed & Atheſis præterlabens fl
uius, Atrianus vocatus fuit:etiamſi Strabo vrbe
Tyrrhenum. potius à fluuio denominatam fuiſſe dicat. Tyrrh
num verò Mare, à viro Græci nominis Tyrrhen
nomen accepit,qui ex Lydia in Italiam veniens c
tam oram terrę de ſuo nomine Tyrrheniam voc
uit.Id autem haud diu poſt excidium Troianum f
ctum ſcribunt. Ob inſignem igitur fertilitatem q
Italia eſt prædita, illico poſt diluuium habitatio
eſt aſſignata, culta, & caſtellis adornata atque fr
quenti habitatore repleta,qui & diuerſis eius loc
& ſucceſſoribus ſuis nomina ſua relinquerunt; t
metſi quidam temporum ſucceſſu propter transl
tiones aut aduentum aliorum populorum quoq
mutati ſint è ſedibus ſuis. Porrò hæ numerant
principales partes & regiones Italiæ: Iſtria, Gal
togata,Liguria,Tuſcia, Vmbria, Latium, Camp
nia, Apulia,Calabria, & Græcia magna: progreſ
tamen temporis alia atque alia nomina partiti
neſque ſuccreuerunt. Aelianus de Italia hæc ſc
Præſtantia Italiæ. bit: Incoluerunt Italiam plurimi homines, & v
eſt terra in qua plures fuerunt Coloni quàm in It
lia, idque propter ſummam & eximiam eius ferti
tatem,diſpoſitionem Marium, portuumque co
moditatem. ſuperauit autem manſuetudo incol
rum omnium aliarum nationum incolas,& num
ratæ ſunt olim in ea 1166. ciuitates. Noſtra ve
tempeſtate multa oppida ſubuerſa ſunt, iacentq
in ruderibus. multique duces quos nacta eſt int
359.annos, nullam ei attulerunt vtilitatem, nec d
fenſa eſt ab eis. notantur etiam quidam Rector
de tyrannide,nempè qui occuparunt patrimoniu
S. Petri in iacturam ſedis Apoſtolicæ. Hæc Aeli
nus. Vtque omnia paucis comprahendamus, Gu
helm

lmiKyriandri verba ſubijciemus:Italiam(inquit)
lere atque cognoſcere in primis eſt operæ pre-
im:nam ſi varias Imp.formas;ſi benè, meliùs,at-
ıe optimè conſtitutas Reſp. ſi leges diuerſas, ſi
ęclaros homines & ingenia,diſciplinarum etiam
artium omnium alumnos, ſi morum non modò
timorum,ſed etiam peſſimorum exempla, ſi cor
ptelas,montium aſperrima iuga, conditiones a-
orum varias,facultates omnium rerum quęTer-
continet inexplicabiles,ſi portus nobiliſſimos,&
tora multorum Marium vndis circumfuſa, ciui-
tes pulcherrimas,ędificia magnificentiſſima,no-
rum vrbium res florentiſſimas, veterum miſe-
ıdas reliquias, totius antiquitatis veſtigia,virtu-
m cunctarum trophæa; vitiorum omnium mo-
ımenta, naturæ operum varietatem infinitam,
euiter, quicquid excogitari queat, ſi deſideres,in
ılia ni ſit, extra Italiam haud quærendum credi-
rim. Hactenus Kyriander. Fluminibus rigatur *Fluuij Italiæ.*
ırimis,ac penè innumerabilibus, quorum præci-
ıa ſunt Tyberis, Padus, Arnus, vulturnus, Loſa-
s, Ieſernus, Sanguicus, Piſcarus, Druentus, &c.
ons Italiæ totiùs pręcipuus eſt Apęnninus,quem *Apenninus.*
dictum fuerunt ab Api priſco duce qui totam I-
iam deuicit. perpetuum huius montis iugum in-
r eſt Italiæ dorſi, quod elatum Italiam diuidit,
r mediam regionem ſenſim incedens tandem in
o cornua diducitur, alteroque Siculum, altero
nium Mare reſpicit.Syluarum præterea, therma-
m,ac minærarum copiam regio tota exhibet.

LAMINIAE SEV ROMANDIO-
læ prouincia.Cap.14.

R Egio hæc varia obtinuit nomina. nam primò
quidem Felſina dicta fuit ab vrbe huius no-
minis, quæ modò Bononia vocatur: non

tamen vniuerſa hoc nomine vocabatur, ſed ea tan
tummodo pars quę iacet inter Felſinum ſeu Bono
niam, & Rubiconem amnem, vt Sempronius tra
dit. Deinde Flaminia dicta fuit à via in ea Flaminia
quam C. Flaminius Conſul Rom. ſtrauerat: & in
telligitur propriè Flaminia totus tractus inter Ari
minum & fluuium Iſaurum, vulgo Foglia voca
tum. Sed Romandiolæ ſeu Romaniæ nomen ipſ
regioni impoſitum fuit à ſummo Pontifice, & à
Carolo Magno Imperatore, ob eius fidelitaten
Fines eius. quam ſemper Romanis Pontificibus ſeruauit. Fine
eius ſunt, ab Ortu Marchia Anconitana iuxta Iſau
rum fluuium; à Meridie Apenninus mons, qui eam
ab Hetruria diuidit; ab Occaſu Lombardia iuxta
Panarium fluuium; à Septentrione paludes Vero
nenſes & Patauinæ vſque ad Fornaces, atque etiam
Qualitas regionis. Hadriatici maris pars. Regio hæc agros habet opti
mos, omniumque frugum tam ad vitam neceſſa
riarum, quã ad humanas voluntates ac delicias op
portunarum fertiles. Campi hîc latiſſimi, fructife
ris arboribus omne genus conſiti: colles peramœ
ni, vitibus, olea, ficuque nitentes, ſyluæ munificæ,
herbidaque prata cum dumis venationi apta. Salu
bres paſſim aquæ: Salinæ tum circa littus, tum in
tus frequentes: flumina plurima nauigabilia ac piſ
cibus fœcunda: metallorum fodinæ: innumeræque
Incolæ. aliæ dotes naturæ eximiæ. Incolæ ingenio magno,
aſpectu præclaro, corpore firmo, & cùm ad armo
Vrbes. rum tractationem, tum ad diſciplinas & mercatu
ram peridonei. Vrbes ſunt in hac prouincia aliquot
ſatis nobiles, & oppida complura, vtpote: Ferraria,
Bononia, Forum Cornelij, Fauentia, Forum Liuij,
Rauenna, Ceruia, Ariminum, Ceſena, & Sarſina,
deinde Bertinorum, D. Leo, & alia oppida.

Ferra-

Ferraria vetus vrbs iacet ad ripam Padi fluuij, paluſtri in loco; vnde Cœlo potitur inclementi. eſt tamen ſatis populo frequens, ædificijs ornata, & fertilis omnium rerum ad victum neceſſarium. eſtque caput & ſedes Ducatus Ateſtinæ familiæ nobiliſſimæ, cuius Dux inter reliquos Italiæ valdè potens eſt ac opulentus, qui præter hanc vrbem, Mutinam quoque & Rhegium Lombardiæ ſua ſub ditione tenet. Eſt præterea vrbs hæc Gymnaſio publico ornata, licet auditoribus non admodum frequens ſit. *Ferraria.*

Bononia vrbs eſt antiquiſſima & nobiliſſima, prius Felſina vocata, inter duodecim vrbes ab Heruſcis olim conditas primaria, hodieque inter vrbes ſummo Pontifici ſubiectos poſt Romam facilè prima ac præſtantiſſima, meritò inter celebres Italiæ vrbes connumeratur. Iacet peropportuno ſitu ad Apennini radices, montibus ab Auſtro imminentibus, torrente Apoſa mediam interluente, mœnibus ac ædificijs tum publicis tum priuatis ſplendidiſſimis ſumptuoſiſſimiſque, vt quæuis alia Italiæ vrbs ornata eſſe poſſit. inter quæ inſignia ſunt Turris Aſinellorum, & Turris Garriſenda huic vicina, adeò obliquè fabricata vt cadere videatur. Eſt diuitijs mirè affluens, tanta incolarum multitudine, vt ad 80000. numerum accedant. familias habet nobiliſſimas, valdè opulentas ac potentes. Gymnaſio præterea publico totius Italiæ vetuſtiſſimo, quod à Theodoſio Imperatore primum inſtitutum fuit, deinde à ſummis Pontificibus, Romaniſque auctoribus ita auctum, vt hinc Bononia ſtudiorum mater ac parens appellari meruerit: Scholas publicas habet à Pio 4. magnificè extructas, quæ longè cæteras Italicas antecellunt; aliaque plura nobiliſſima *Bononia.* *Gymnaſium Bononienſe.*

collegia. Ager vrbis ampliſſimus eſt, ac fœcundiſſimus, partim planitie, partim montibus amœnus. Rauenna antiquiſſima eſt ciuitas, quæ Strabonis ętate licet inter paludes ædificijs ligneis exſtructa eſſet, Cœlum inclemens tamen nõ habebat, ſed ſummam aëris ſalubritatem ob amnes intercurrentes, & ob Maris inundationes, quibus cœni lutique ſordes eluebantur: ſiquidem vrbem ipſam duo cingũt amnes, quorum vnus Bidens eſt, quem alii Roneũ vocant, & Plinius Beſedum, & vulgò Bedeſe; & hic portum Rauennatem efficit. alter eſt Montanus, quem vulgò aquæductum Rauennatem vocant, qui ex Apennini iugis deſcendit. Paludes verò hæ circa Rauennam paucis ab hinc annis exſiccatæ ſunt, & in frumentarios campos fertiliſſimos conuerſæ. Vrbs hæc ſplendidiſſima habet ædificia, & poſt Gothorum Imperium Exarchorum magiſtratus in ea incepit Anno 557. qui quidem in Italia 175. circiter perdurauit. eſt etiam Archiepiſcopalis ſedes, cui ſubſunt complures Epiſcopi. Non longè à Rauenna cõſpicitur nemus vaſtiſſimum pineis miræ altitudinis frequens, quòd vulgò Pigneda vocatur, cuius fructus per vniuerſam Italiam exportantur. Ceruia, vrbs maritima, olim Phycocles vocata, nobilis eſt ob Salis prouentum. nam iuxta littus prope ipſam vrbem Sal ex aqua Marina concreta, & Solis ardore excocta conficitur, quòd nõ ſolùm huic regioni ſufficit, ſed etiam Piceno, & maiori Lombardiæ parti, ex quo prouentum 60. millium aureorum ſingulis annis Summus Pontifex recipit. Eſt tamen hæc vrbs malè habitata ob aërem inſalubrem.

Rauenna.

Ceruia.

Ariminum maritima etiam vrbs eſt, & antiqua, Romanorum colonia, quam Strabo in Vmbris, & Liuius

Ariminum.

Liuius in Piceno locant. Sita eſt in planitie, imminentibus à Meridie collibus amœnis, & vitium, olearum, ficuum, aliarumque fructiuarum arborum quibus conueſtiti ſunt, vbertate fœcundiſſimis: ab Exortu, & Occaſu latiſſimi ſe campi pandunt admodum frumentarij: Septentrionale latus alluit mare Adriaticum, in quod flumen Ariminum decurrit, muros ipſius vrbis alluens. Sunt in hac vrbe complura ædificia memoranda, nempe arcus triumphalis ab Octauio Auguſto factus, rudera theatri ex latere cocto ſummæ antiquitatis, & Palatia quædam ſumptuoſiſſima à Maleteſtarum gente condita, & extra ipſam vrbem eſt pons ſumptuoſus ab eodẽ Octauio factus in Arimino amne, qui Flaminiam Aemiliæ, ſimulque ſuburbia ciuitati coniungit. Præter has Ceſena & Sarſina vrbes antiquitate pollentes ſunt, hæc ad Apennini radices, illa verò ad pedes montis iuxta Sauiũ fluuium ſitæ.

DE MAGNIFICIS LOMBARdiæ vrbibus: Mantua, Brixia, Cremona, Mediolano, & Papia. Cap. 15.

LOngobardiam, quam Lombardiam ætas noſtra vocalitatis gratia profert, à Longobardica gente, quæ in eam ex Germania proficiſcens, Imperium annis circiter 232. adepta eſt, dictam omnes volunt: quòd circa annum Domini 578. contigit. Hęc prius Ciſalpina dicebatur Gallia, quòd Galli ſuperatis Alpibus in Italiam irruentes hanc regionem occupauerint.

Hanc verò prouinciam Padus fluuius interluit,

nulli

nulli amnium claritate ſecundus, à Græcis Eridanus, à poetis etiam fluuiorum Rex appellatus. hic triginta in ſe flumina recipit, atque in Adriaticum mare ſeptem grandibus oſtijs exoneratur. inde fit quòd Longobardiam Cis & Tras Padanam vocari audiamus. Ciſpadana vrbes primarias habet Parmam, Placentiam, Mutinam, Regium Lepidi, Mirandolam. In Tranſpadana illuſtriores ſunt: Mantua, quæ toti ducatui nomen dedit, vrbs inſignis & peruetuſta, Virgilij Maronis natalibus clara, ſexcentis & ſeptuaginta annis ipſa vrbe Roma antiquior, & ante bellum Troianum annis ſexaginta condita, ea autem iacet in medio lacu ſiue palude, quam ſuperinfundit Mincius amnis, qui Sarca etiam dicitur, ex quo non niſi pontibus ad eam patet via; vnde munitiſſimum præ cæteris Italiæ obtinet ſitum; ampliſſimis ſplendidiſſimiſque ædificiis, tum publicis, tum priuatis, nec non etiam rectis ac peramplis vijs decoratur, omnibus rebus ad vſum vitę humanæ neceſſarijs mirificè abundat: populum habet non tam ad literas quàm ad arma & negotia promptum; atque illuſtres viros ſemper genuit, qui vt plurimum ex nobiliſſima totius Italiæ, atque antiquiſſima Gonzagiæ familia fuerunt: tum ſtrenuos copiarum præfectos, ac militari virtute claros. Quinque miliaribus à Mantua per viam latam, rectam, & pulchram, arboribus hinc inde miro ordine diſpoſitis ornatam, itur Marmirolum; regia quidem domus magno artificio ac maximis ſumptibus ædificata, quæ ob multitudinem, opportunitatem, & elegantiam conclauium & cubiculorum ſufficiens longè eſt ad quemuis magnum principem excipiendum. hæc fontibus aquarum artificioſiſſimis, lacubus piſcium pleniſſimis, & peramæ-

Mantua.

nis

nis ac floridis hortis omnigenis arboribus, & vitibus elegantiſſimis conſitis maximè exornatur.

Brixia, quam paruus amnis Garcia percurrit, ciuitas peruetuſta, priſtinum retinens nomen, Cenomanorum olim caput & metropolis, clara nunc, diues multum & prænobilis, firmiſſimis mœnijs cum arce munitiſſima, ciuilique populo ſolertis ingenij ornata eſt, cuius aliquot ſunt familiæ, patritia Venetorum dignitate decoratæ: hæc autem etſi ampla circuitu non admodum ſit, & quæ 50. tantùm habitatorum millia contineat; ſecundum tamen locum inter Lombardiæ vrbes tenet, ob amplitudinem ſuæ ditionis. nam ſub ea ſunt multa oppida habitatoribus opulentiſſimis referta, inter quę præſtantiora ſunt Aſolum & Salodium: & ſub eadem etiam ſunt valles quædam populoſiſſimæ, quarum præcipua eſt vallis Canninia. In Brixienſi territorio aiunt quidam contineri 350. millia hominum, compræhenſis in hac numeratione & paruulis. Ex hac vrbe etiam prodierunt nonnulli, Cardinales, & viri armis literiſque celebres; eius autem dominium Senatus Venetus tenet. Brixienſe territorium longè lateque patet, nam protenditur in longitudine miliaribus quinquaginta. inter Limonem Benaci lacus vicum, & Vrceanum oppidum; in latitudine verò miliaribus centum, à Moſo ſcilicet, quod à Mantua 15. miliaribus abeſt, vſque ad Dialengum, extremo in vallis Canninicæ capite ſitum, Ager hic frequens eſt, & oppidis, vicis, pagis, & induſtrijs colonis, vt quiſque alius, numeroſus ac valdè fertilis, totuſque ferè aquis irriguus. nam præterquam quòd omnium rerum ad victum neceſſariarum affluens ſit, vt tritico, milio, leguminibuſque reliquis, lino, vite, oleo, arborumque fructibus *Brixia.*

bus.

bus.metallorum etiam fœcunditate gaudet, præſertim ferri & æris; vnde hinc ingentem coloni quæſtum recipiunt.

Cremona. Cremona nobilis, vetus retinens nomen, colonia Romana, & peruetuſta vrbs, ripæ Padis amnis appoſita. hæc ob eius fidelitatem Principibus ſeruatam, Fida vulgò meruit dici, ſplendidis ac magnificis ædificijs tum publicis tum priuatis ornata; præſertim verò arce ſeu turri famoſiſſima admirandæ altitudinis, anno 1284. condita, quæ inter mirabilia Europæ connumerantur, vt in prouerbium abierit: Vnus Petrus in Roma, vnus potus in Ancona, vna turris in Cremona. agrum habet planum, vberrimum maximè tritici, milij, cæterorumq; frumentorum generis, viniq́ue excellentis. magnam præterea lini optimi copiam profert. Hæc vrbs ſub ditione Hiſpaniarum Regis ſimul cum Mediolanenſi ducatu hodie eſt, & arcem habet præ cæteris Italiæ munitiſſimam, hoſtibuſq́ue formidabilem.

Mediolanũ. Mediolanum eodem adhuc nomine ciuitas potentiſſima ac populoſiſſima in apertis campis opportuno admodum ſitu poſita eſt; ſpatium complectens ampliſſimum, & vicatim olim hîc habitabatur, nunc verò eximiæ dignitatis collecta vrbs eſt, atque inter maximas totius Europæ vrbes recenſetur; numerantur enim in ea 200. habitatorum millia compræhenſis paruulis. Suburbia longa & lata admodum habet, quibus plurimum augetur: hanc cum ſuburbijs ſuis latæ aquarum foſſæ cingunt, per quas vndique nauigijs annonæ copia defertur tam magna, vt omnia vili pretio hîc emantur. Sunt hîc etiam diuerſa artificum genera, tamq́ue frequentia vt mirum ſit. ædificijs quoque ſplendidis & magnificis omnis generis, nobiliſſimis familijs, &

popu-

populo mirificè induſtrio repleta eſt. Ager vrbis cæteris Italiæ præſtat oryzæ copia, ob aquarum commoditatem. Quatuor ſummos genuit Pontifices. Alexandrum 2. Vrbanum 3. Cæleſtinum 5. & nuper Gregorium 14. ac permultos inſuper Cardinales, & viros armis æquè ac literis inclytos. Titulo Ducatus potitur, hodieque ſub Hiſpaniæ Regis imperio verſatur, & arcem habet quam dicunt Portas Iouias munitiſſimam, quæ præcipuum eſt totius Europæ propugnaculum, quod nulla profectò humana vi capi ferè poteſt. Mediolanenſis hic Ducatus ambitu ſuo complectitur 300. miliaria, in quem Hiſpaniæ Rex Gubernatorem cum titulo etiam Capitanei generalis mittit, qui tribus militum pedeſtrium millibus præeſt, ac mille Hiſpanorum equitum leuis armaturæ, & ſexcentis equitibus, qui tutelæ gratia continuò ibi permanent. Ex hoc ſtatu Mediolanenſi prouentum habet Hiſpaniæ Rex 80000. ducatorum aureorum. ſed adminiſtratio cauſarum ciuilium & criminalium pendet à Senatu vrbis, in quo ſunt ſedecim Doctores, & nonnulli Prælati ac patritij Mediolanenſes.

Papia quæ & Ticinum nomine cui adiacet dicitur; hic fontes ſuos in Alpibus habet, in monte ſcilicet qui Gothardi dicitur. vrbs eſt ſitu & aëre mirè ſalubris, ſed parum amœna & popúloſa, quatuor miliaribus à Pado fluuio diſtans, & agro fertili mirum in modum atque amœniſſimo potitur, qui tantæ vbertatis eſt, vt vulgò Mediolani hortus nūcupetur. Feris etiam, auibus, ac piſcibus nobilibus affluit. pōtem habet lapideum Ticino amni appoſitum; gymnaſio etiam publico ac celebri omnium diſciplinarum ornata, inſtituto ab Imperatore Carolo Quarto, Anno milleſimo tricenteſimo 61. Papia. fluvij

illud

illud verò detrimenta non leuia paſſum fuit ab Ga lorum Rege Franciſco, quando vrbem ipſam obſe dit, priuſquam à Carolo Quinto caperetur. ſed in de Pontificum Romanorum, aliorumque Principi munificentia & liberalitate iterum conſtitit. Iſthi duo ſunt collegia literatorum, quorum vnum ha bitationibus commodiſſimum Pius 2. ſummus Pō tifex erexit: alterum ædificijs ſplendidiſſimum Ca rolus Borromæus Cardinalis præteritis annis in ſtituit. Sacram philoſophiam de verò Deo primu Ticini profeſſus eſt Syrus Aquilienſis, quam haćte nus retinuiſſe creditur: ex hoc namque decretūm c lim fuit vt non amplius hæc vrbs à flumine Tici num, ſed Papia vocaretur, quaſi piorum virorum patria, ſeu pia & Catholicæ Romanæque Religio nis patria. Paret autem hæc vrbs Regi Hiſpaniæ, & comprehenditur in Mediolanenſi ſtatu.

VRBIS ROMAE BREVIS (S dignitatem ſpectare volueris) deſcriptio. Cap. 16.

ROma domina & regina vrbium, totiuſqu olim Mundi caput, quem ferè vniuerſun fortiſſimorum virorum rebus præſtantiſſi mè geſtis ſuo Imperio ſubegerat. De primis eiu conditoribus tam multæ & variæ ſententiæ, quàn diuerſi ſcriptores inueniuntur. Sunt qui exiſtiman Euandrum ex Arcadia fugientem ea occupaſſe lo ca, vbi nunc Roma conſpicitur, ibidemque oppidu lum inueniſſe aliquod, Valentiniana dictum, quo ab ipſo amplificatum, Romæ nomen deinde ſit cō ſecutum. Alij tradunt, Remum & Romulū Aene

filio

ilios huius vrbis conditores fuiſſe: quos tamen alij
Aeneæ nepotes ex filia dicunt. Verùm Dionyſius
Halicarnaſſeus ante Troianorum & Aeneæ in Ita-
liam aduentum Romam extitiſſe, ex antiquo ſcri-
ptore Antiocho Syracuſano docens, hæc eius ver-
ba recenſet: Poſteaquam Italus conſenuiſſet, Mor-
ges pro illo regnauit, ad quem vir quidam nomine
Syculus Roma profugus venit. Hac oratione ſatis
indicat, Romam aliam excidio Troiano ſuperio-
rem extitiſſe. Communior ferè omnium ſententia
est, Romam à Romulo dici. quippe cùm is Romam
viribus & robore iuuenum affatim à ſe munitam
cerneret, haud minoris momenti fore ratus, ſi ean-
dem conſilij ope fulſiſſet, ex venerandæ ſenectutis
viribus, qui tunc aderant, centum elegerit, quos ob
honorem Patres, ob ætatem Senatores appellauit,
portas deſignauerit, tribus diuiſerit, præſidiarios
conuocauerit, tribunos celerum crearit, & nouam
denique Reipub. formam inſtituerit. ita vt Romu-
lus inclytæ huius vrbis auguſtiſſimum feliciſſimū-
que principium collocaſſe videatur. Quæ tempo-
rum deinde ſucceſſu, tot Senatores eximios, tot cla-
riſſimos fortiſſimoſque Duces, tot egregios Impe-
ratores vniuerſi propemodum Orbis domitores tu-
lit, vt iure Mundi caput, & à Cicerone oratione pro
Sylla, Arx Regum & nationum exterarum, lumen
gentium, & Imperij domicilium ſit appellata. Eius
ambitum Plinius ex traditione Auguſti ſcribit mil-
le paſſus viginti. Flauius Vopiſcus Aurelium Im-
peratorem ambitum vrbis ad triginta millia paſſu-
um auxiſſe refert. Tota deinde eius area ad tantam
amplitudinem deuenit, vt in circuitu collegiſſe di-
catur viginti millia paſſuum, quæ quinque ferè mi-
liaria Germanica efficiunt. Regionibus quatuorde-

Ambitus vrbis.

cim olim diuidebatur.Portas ſuburbiorum & vrbi
in vniuerſum numero vigintiquatuor fuiſſe, refer
Plinius.Liuius autem ponit triginta ſeptem.Turre
Imperio florente circum vrbē erant DCCXXXIII
In quibus cùm ita res ferret, præſidia collocaban
tur.Nunc turres ſolummodo CCCLXV. porta
XX.ſuperſunt. Nec quæ nunc extant turres,itemq
muri,veterum operum fundamentis inſiſtunt, ne
que materia eadem conſtant.Sed quia frequentiſſi
mis Barbarorum incurſionibus Vrbs planè vaſtat
atque ſubuerſa fuit, omnia mutata ſunt ac conuer
ſa,reparatorum pro tempore arbitrio. Septem Ro
ma continet montes,rupes,ſiue colles, de quorum
diuerſa appellatione varias ſcriptorum referre ſen
tentias,nimis tædioſum ac longum foret.Magnif
Illuſtria vrbis. centiſſimæ etiam tam Deorum, nunc Chriſti
Sanctorum,ſummorumque hominum ædes, qu
his montibus continentur,abſque tædioſa verboſ
tate recenſeri nequeunt, quemadmodum nec rel
qua Vrbis templa, præſtantiſſimæ Sanctorum rel
quiæ,pontes, arcus triumphales, thermæ, theatr
antiquitatis monumenta. de quibus peculiares v
riorum conſcripti libelli extant.Fertur de Conſtan
tio Imperatore, quòd is Campum Martium cu
admiratione inſpiciens,ſepulchrum Auguſti Cæſ
ris tot æreis atque marmoreis ſimulacris ornatum
forum Romanum,Iouis Tarpeij delubra,therma
porticus in prouinciæ modum auctas, amphithe
trum, Pantheon mira altitudine ſpacioſis molibu
formatum,templum pacis,Pompeii theatrum, ci
cum maximum, tot arcus triumphales, tot aqua
ductus,tot ſtatuas per vrbem ad ornatum poſita
obſtupuiſſe,ac tandem dixiſſe: Naturam omnes v
res in vnam vrbem effudiſſe. Etenim inſignes ſ
perbi

perbiſſimorum ædificiorum ruinæ, priſcam vrbis magnificentiam non obſcurè demonſtrant. Tyberis fluuius à Septentrione vrbem ingreditur; & ex latere Meridionali Hoſtiam verſus effluit. Sed quid plura de tanta tamque magnifica vrbe commemorem? in qua celeberrimæ ac florentiſſimæ Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ ſummus paſtor ac Pontifex Maximus reſidet; venerandæ multorum Martyrum cernuntur reliquiæ, vbi ius toti Romano imperio præſcribitur. in qua denique ſuauiſſimæ Muſæ, vniuerſam Græciam deſerentes, ſedem ac domicilium inuenerunt. Vt veriſſimè Cicero lib. 3. de nat. Deorum tradat. Quemadmodum nihil in uniuerſa rerum natura Mundo, ſic in terris nihil Roma melius, nihil præſtantius inueniri. Ampliſſima etiam Vniuerſitate, inter quàm plurima ornamenta, vrbs Romana nitet, de qua D. Iacobus Millendorpius in ſuo de vniuerſitatibus libro copioſè diſſerit.

Roma totius naturæ confluxus.

POTENTISSIMAE VENETIARUM VRBIS DESCRIPTIO. *Cap. 17.*

DE primis Venetiarum initijs diuerſa hiſtoriographi tradunt. Sabellico Leander ſubſcribit, prima huius inclytæ vrbis initia in annum à Chriſto nato CCCCXXI. incidere, quo tempore fama iam ſparſa erat tranſgreſſuros Danubium Hunnos, Italiæ inuadendæ cauſa. Aquilenſes itaque & Patauini, ferociſſimi hoſtis terrore & ob vrbium ſuarum interitum, Adriatici maris inſulas fuga occuparunt. & initiò in riuum altum recipientes, prima Venetiarum vrbis fundamenta iecêre.

Sitæ ſunt in intimo Adriatici ſinus receſſu . inſula
ferè ſexaginta (adiectis tandem alijs duodecim
paruo inter ſe ſpatio diſiúnctas , intercurrentibu
euripis,continent.Eas à vehementiori Maris impe
tu,agger tenuis(littus vocant)artificio prouidæ na
turæ,prætentus,tuetur.is curuus inſtar arcus, & o
ſtijs quinis interruptus, quæ ſingula modicum po
tum efficiunt , nauigiis & aquis Marinis aditum i
Opportunitas vrbis. æſtuaria præbet.Opportuna habet flumina,quibu
res omnes cùm ad hominum vſum neceſſitatemc
tum ad delicias ac voluptates vtiles inuehuntur. V
(quod dictu mirabile) in qua vrbe nihil fermè gi
nitur,in ea omnium maximè & incredibilis exub
ret copia.Quare non immeritò à Iaſone, L. Si inſ
lam, ff. de verb. oblig. paradiſus deliciarum appe
latur.Quid de piſcium abundantia,de ędificioru
ſplendore,de ſacratiſſimarum ædium ornamenti
de venerandorum Patrum Prudentia,referam ? r
immeritò fatentur omnes,tam potentem, tam n
bilem,tam illuſtrem, tam opulentam Remp. De
rum immortalium nutu fundatam,eorumque pr
dentia in hodiernum vſque diem moderatam eſ
Quæ quidem ad tantum maritimæ fortunæ c
men euecta fuit , vt Domina ac Regina Maris ab
mnibus ſemper habita & ab ipſo Ioanne Auſt
aco ſalutata ſit,eo maximè tempore , quo anno
periore M.D.LXXII.die 7. Octobr. Auguſtini B
barij Patritij Veneti prudentiſſimis vibs inſtru
conſilijs, innumerabilem Turcarum exercitum
dit,vniuerſam ferè claſſem cepit, ac tandem de p
tentiſſimo hoſte,in Epiro ad Echinadas triumpl
Emporium nobile. uit.Innumera hîc mortalium,varijs ex Orbis pa
bus,corporum vario cultu , multitudo negotiat
Ciuitas tota triplici ordine populi conſtat: Patr
ſu

ſunt, Ciues, & plebs artificum. Imperij ac Reipubl.
uctoritas apud Patritios conſiſtit, qui cum ipſam
rbem, tum ciuitates oppidaque ditionis Venetæ
noderantur. Vrbs in regiones eſt diuiſa ſenas, pro-
ide Sextaria vocant. Plebanicas congregationes
abet duas & ſeptuaginta. Cœnobia 41. quorum
ecem & ſeptem conuentus monachorum ſunt,
uatuor & viginti virginum. Fora coniuncta tria.
capite quod littus ſpectat, columnæ peringentes
næ cernuntur, quarum vna D. Marci leoninum
atum ſignum: altera D. Theodori ſtatuam ſuſti-
t. In ipſo intercolumnio, ſupplicia de condemna
ſumuntur. Exornatur forum ſumptuoſo ac mi-
bili templo D. Marci, è nobiliſſimo pretioſiſſi-
oque marmore, non minore artificio quàm ſum-
i conſtructum, cuius magnificentia, maximi ac
pendi pretij theſaurus, hoc loci propter libelli
guſtiam explicari non poteſt. Integro D. Marci
angeliſtæ corpore exornari perhibetur. Vicos
i diuidunt, at tranſitus vbique pontibus coniun-
ıtur vel ligneis vel lapideis, quorum in vniuer-
ı tam publici quàm priuati, quadringenti cen-
tur. Nauicularum numerus quibus ciuitas pera-
tur, octo millium amplius eſſe putatur. Eſt etiã
a vrbis ambitum Nauale, locus mœnibus vndi-
validis munitus, & cum opportunis ad cuſto-
n turribus, Arſenale vocant, in quo perpetuò
dringenti occupantur homines, triremibus, ijſ-
rebus, quæ ad nauigationem requiruntur, cõſi-
d is intenti, quorum ſtipendia mille ducenta in
domadam aureorum nummũ ſunt. In ipſo na-
, nauium longarum, quæ in pontibus, ad om-
ı occaſionem paratę perpetuò ſunt, numerus ad
eſt, propter alia nauigia minora, vnde vires o-

Diui Marci templum.

Arſenale Venetum.

peſque, & amplitudo Rei Venetæ, quæ profectò nunc Italici nominis gloria, decuſque ſola eſt, facilè poſſunt intelligi. Prępotentem hanc vrbem, eiuſque ditiones ac regna, Centuriones atque Tribuni ad annum Chriſti ſeptingenteſimum gubernarunt, deinde Ducis auctoritate adminiſtrari cæpit. qui tam ſubtili ſortione eligitur, nullus vt ambitioſus vanæque gloriæ cupidus in tantam ſe dignitatem intrudere queat.

CENTVM ITALIAE VRBES breuiſſimè quoad celebritatem deſcriptæ, Guilhelmo Lauro authore. Cap. 18.

Roma caput Mundi, ſponſæ ſit Regia Chriſti.
Vrbs Venetum inter aquas latè Maris imperat vndis.
Nobilitatis apex generoſa Neapolis Orbis.
Vrbs Mediolanum magna eſt, populoſa, potenſque.
Florida vernali ſimilis Florentia flori.
Diuitias Iani vrbs, & celſa palatia iactat.
Fertilitate ſoli, ſtudijſque Bononia claret.
Munitis hoſtes ridet Ferraria muris.
Et ſitus & ſtudia exornant Antenoris vrbem.
Ciuibus & veteri ſplendet Verona theatro.
Nulli vrbi Inſubrium modò cedit aquatica Manto
Brixia Martis amans, magnorum eſt plena virorum.
Culta ſatis reddunt Vtinum vineta celebre.
Prodiga Taruiſium donis Natura beauit.

Fœcu

ITALIA



TIROL
FRIVL
Trieste
Bucari
CROVATIA
Segna
LICHA
SERVIA
BOSSINA
Baciache
Popine
Souigrad
Brouazo
IAPRA
Zara
Sebenico
Trau
Spalatro
Chinchio
VENETIA
Porti
Malamoco
Chioza
Treuiso
Feltre
Bolza
Ciuidal
Pordonõ
Vicenza
Padoa
Verona
Mantua
Rouigo
Ferrara
Po de goro
Po de Volane
Po magnauaca
Primaro
MARE ADRIATICVM
Bergamo
Bressa
Como
Milano
Lodi
Cremona
MILANESE
LOBARDIA
Parma
Modena
Regio
Bologna
Rimo
Rauena
ROMAGNA
Romano
Fano
S. Chiriaco
Ancona
Loreto
Pesaro
Vrbino
MARCA
Recanati
S. Arcangel
Lesina
Lisa
Curzola
Trebigna
Ragusi
Capello
Cauaz
Seruiza
Cataro
Lago de Scutari
Budoa
Antiuari
Dolcigno
Alessio
Meleda
Pelagosa
C. noua
Iulia noua
S. Angelo
Ortona
S. M. de tremiti
Gimnasi
Pescara
Lanciano
Guasto
ABRV
ZZO
Aquila
Sulmona
Fiore
Capri
Manfredonia
Citella
Durazo
Vrego
Pijro
Polina
Valona
Spinarsa
Sasena
Bari
Manpoli
Barleta
Andre
Melfeta
Ostuno
PVGLIA
Lenzano
Atella
Tolna
Narda
Otranto
Taranto
Gallipol
Golfo de Taranto
Corfu
Scopuli
C. della Lengua
Castro
Chimera
PIAMONTE
Vercelli
Pauia
Verua
Voghera
Tortona
Turin
GENOESE
Sauona
Genoa
Rapallo
Pontremo
Luca
Pisa
Sarisana
Vintimiglia
Noli
Final
Niza
MARE LIGVSTICVM
Gorgona
Fiorenza
Colle
Siena
Arezo
Perugia
Foligno
Nocera
Spoleti
Oruieto
Narni
Tiuoli
Roma
CAM PAGNA
TOSCA NA
Grosetto
Orbetto
Piombino
Elba
Pianosa
Giglio
Gianutri
Tibris
Ostia
Netuno
Terracina
Gaeta
Capua
Napoli
Beneuento
TERRA DE LAVORO
Salerno
Amalfi
Ischia
Capri
Pontia
Palmarola
Mare Tyrrhenum
MARIS MEDITERRANEI PARS
C. Corso
Sagri
Stagno di Diana
Fiorentino
Stagno
CORSICA
Bonifacio
Spiagia
Monesi
C. d'Orsi
Asinara
Sassari
Terranoua
Olbia
SARDINIA PARS
Posta
S. Lucia
Vstica
Alicur
Felicur
Saline
Lipari
Stromboli
Vulcano
C. della foresta
Policastro
Cosenza
Cotrone
C. delle Collonne
C. Lizzo
CALA BRIA
Tropea
Squilace
C. Stillo
Regio
Messina
Milazo
C. Borsano
Spartiuento
C. delle arme
SICILIAE PARS
Caxaro
DALMATIA
ALBANIA

Fœcundi decorant campi,turriſque Cremonam.
Prouentus magnos Laus dat Pompeia parua.
Bergomum ab illuſtri eſt clarum Duce nomen adeptum.
Inſigni pugna ſat nota Nouaria manſit.
Diues Vercellis primum dat clerus honorem.
Germanis Italiſque ſimul commune Tridentum.
Luget adhuc toties bellis quaſſata Papia.
Dux bello clarus Parmæ illuſtrauit honorem.
Nobilitate virùm præclara Placentia floret.
Diuitis vber agri Mutina eſt,populiqúe benigni.
Pugnaces forteſque viros Vincentia gignit.
Nunc ſolas monſtrat Aquileia ruinas.
Pinguis ager, Comum colleſque lacuſque perornant.
lluſtres genuit multos Eporedia alumnos.
Auguſta Auſoniæ eſt inſtar Prætoria portæ.
Maxima Derthonæ modò laus conſiſtit in agris.
ucundum Regium Lepidi de nomine dictum.
ida ſuis ducibus aſtu caret Aſta,doliſque.
lba ſuos ciues reficit Pompeia thermis.
luſarum inſignis Taurinum cultus adornat.
lagnus ineſt Montis Regalis ciuibus ardor.
auóna ob portum ſatis indignatur ademptum.
erra Albingauno mater, Cœlumque nouerca.
ſæ armis olim claræ ſua fata queruntur.
ıca hominumque ferax, cultis & amœna viretis.
uilibet externus domi erit, non aduena Senis.
bs laude exſurgit Peruſina & Martis & artis.
ırima Ariminea monumenta videntur in vrbe.
lginea inſigni campi vbertate refulget.
uſtri Vrbinum toto Orbi innotuit aula.

Ancona & pulchro portu decoratur & arce.
Forma puellarum Fortunæ gloria Fano.
Vrbs Rauenna olim celſæ fuit æmula Romæ.
Multum ornat Venetum merces peregrina Piſau-
rum.
Non artes,ſed amat magis arma Fauentia Martis.
Clade habet Aſdrubalis maius Senogallia nomen.
Cornelij ſtudioſa Fori,atque animoſa iuuentus.
Quicquid habent vrbes multæ,tenet vna Ceſena.
Picenas Macerata regit,noua ſit licet,vrbes,
Firma potenſque fuit quondam concordia Firmi.
Externi ditant Recineti mercibus vrbem.
In Liuij plus arma Foro quàm Laurea poſſunt.
Argutis præſtat Salibus Piſtoria & armis.
Plurima Spoletum belli ſtratagemate nouit.
Lauretum immenſam gemmam complectitur Or-
bis.
Bina habet Aſſiſium ſine ligno, templa ſub vno.
Narnia barbaricos ſatis eſt experta furores.
Paſcua tres amnes reddunt fœcunda Terauni.
Monte Phatiſcorum creſcunt fragrantia vina.
Oropytum fulget templo, Cœloque benigno.
Clara Volaterra eſt ſtatuis tymbiſque vetuſtis.
Viterbi fontes videas,turreſque ſuperbas.
Oſtia muniti retinet veſtigia portus.
Alcinoi famam modò tollit Tybur ab hortis.
Nobilitat cædes Marij Præneſte vetuſtum.
Longa Alba oſtendit populi monumenta poten-
tis.
Ingenium Lauræ famam ſatis Auxuris auxit.
Atrocis Capua eſt armis notiſſima Pœni.
Caietæ valida Latium defenditur arce.
Millia Puteoli oſtendunt miracula rerum.
Multum Atina potens potuit,ſed poſſe negatur.
Effi-

Efficit illuſtrem felix opulentia Troiam.
Inuentrix præclara fuit magnetis Amalphis.
Seditio Aeuerſæ fuit olim cauſa ruinæ.
Multæ vrbes ſubſunt Aquilæ, populique potentes.
Nurſia Sertorij & Benedicti claret ab ortu.
Pulchra ſuſurranti Sulmo ſcatet vndique lympha.
Suppeditat merces vicinis gentibus Orton.
Surrenti iucundus ager, viteſque feraces.
Aſcolon vrbs ſecura manet muriſque ſituque.
Parua habet illuſtres Nola olim maxima ciues.
Imponit Brutijs diues Conſentia frenum.
Reppulit audaces vrbs Manfredonia Gallos.
Antiquum extollunt veterum monumenta Tarentum.
Deliciæ & ſedes Charitum ſpecioſa, Salernum.
Gallipolin rapidi vnda Manis benè munit ab hoſte.
Aletio dat ager, populique frequentia famam.
Nobile diuitijs Barium populoque relucet.
Vxentum intactæ Matris reſplendet ob ædem.
Alta Croton nunquam metuit contagia peſtis.
Nominibus multis vrbs eſt bona tota, Bitontum.
Vicinis pulchrè lucet Luceria terris.
Ingenio pollet Beneuenti ciuis acuto.
Carmine clareſcit mordace Venuſia Flacci.
Brunduſij ſplendor penitus collapſus auitus.

CORSICAE INSVLAE DEſcriptio. Cap. 19.

CОrſicam nomen ſuum à muliere quadam eius nominis accepiſſe ferunt. alij verò à Corſo eius terræ Domino. quanquam (vt ait Thomas Porcachus) dicunt multi ſic appellatam à qualitate cacuminis montis alicuius: eò

quòd κόρσ☉ apud Græcos ſonet Templum cacuminis, ſeu Templum montis. Olim à Græcis Cyrnus vocabatur, à Cyrno Herculis filio, ſed prius Teraſina dicta erat. Inſulæ huius primos cultores fuiſſe ferunt Perſas, qui prius ſub Caſpijs habitauerant,,ac Caſpij Corſi nominabantur. Hodierni Corſicæ incolæ etiamnum,vti olim, habentur homines agreſtes feroceſque, qui vel ipſo aſpectu animi ferocitatem referant. Homines pauperrimi atque à literis alieni. Diuiditur autem inſula in quatuor partes: Latus Orientale ab incolis dicitur Banda didentro:Occidentale Banda di fuora; Meridionale quod vergit verſus caſtrum Bonifacij di la da monti, id eſt, Tranſmontana; Septentrionale verſus promontorium, quod caput Corſum dicũt. di qua da monti, id eſt, Ciſmontanam vocant. Plinius memorat olim in ea fuiſſe ciuitates triginta tres:hodie nullam ferè habet pręter vnam Baſtiam, paruam Maritimamque vrbem,in qua reſidet ſupremus Gubernator,quem quotannis illis conſtituunt Genuenſes.Eſt & Nebbium ciuitas cum Comitatu: eam Ptolemæus Cerſunum videtur appellaſſe.Portus habet binos hæc inſula ſatis amplos, maximarumque nauium capaces,in ſinu qui vocatur S.Florentij.Eſt & ſancti Bonifacij portus,à Ptolemęo dictus portus Syracuſanus.Inſula peſſimè culta: eſt enim aſpera ac petroſa.loca habens altiſſima planeque deſerta. Creſcit optimum & nobiliſſimum vinum in ea Inſulæ parte quæ reſpicit Liguriam.Fert quoque reſinam, mel,& ſimilia: non tamen laudatur mel in ea collectum. Referta eſt ouibus & bobus ea pars quæ Hetruriam Italiæ reſpicit; eſtque mediocriter plana,habetque ibi fœcundum ſolum, & producit nobiles & dulces fructus.

Baſtia metropolis.

Prouentus inſulæ.

In re-

In reliquis ferè locis aditu eſt difficilis ob montium aſperitatem. In montanis quæ vocantur Illia Orba, vbi inſula eſt eleuatiſſima, ingens numerus oberrat animalium, quæ ipſi capras Muffolas appellant, animal præterquam in hac inſula & Sardinia nuſquam apparens in tota Europa: habens corium & pilos inſtar cerui, & cornua inſtar arietis, non longa, ſed retro circum aures reflexa inſignis duritiei, vt ſi altitudine quinquaginta pedum præcipitetur inter ſaxa, & capiti incumbat, non lædatur. magnitudinem retinet mediocris cerui, ſoliſque herbis veſcitur, curſu præditum eſt velociſſimo, carnes habens guſtu ſapidas. *Muffola animal quadrupes.*

Fluminibus inſula rigatur Gelone, Tauignano, Sagona, Bauono, Tegiamo, ac nonnullis alijs. Syluis nemoribuſque quæ reſinam exhibent, montes hinc inde veſtiuntur. Præcipui verò montium ſunt, quos diximus Ilia Orba vocatos. item Chlepharteno mons, mons Tenda, mons Gualango, mons Roſſus. Ferri mineras habet in comitatu Nebbienſi, ſecundum Biuiatum amnem, & prope ſanctum Florentium. *Fluuij.* *Syluæ.* *Montes.*

Salis fodinæ ſunt dictæ ab incolis, Salinæ della Roia. Sunt preterea valles quædam profundiſſimę, nebulis nullo non anni tempore obductæ, in quibus Chryſtallum ferunt haberi. In Mari autem inter Corſicam & Sardiniam Corallium legitur.

Thermas habet complures, vti eas quas vocant de Pietra Pola; item prope Aſca in valle Caroggia; item de territorio Nebbienſi, & nonnulla alia. *Thermæ.*

Ab Occidente & Septentrione reſpicit mare Liguſticum; ab Ortu Tyrrhenum; à Meridie Sardiniam.

In

In hanc inſulam aliquando irruerunt Saraceni, eamque ſibi vendicarunt: Genuenſes autem duce Ademaro claſſem expedientes atque inſulam adeuntes, eam de manibus infidelium eripuêre, eamque etiamnum ſub poteſtate ſua retinent, ita vt per totam inſulam nulli incolarum arma geſtare liceat; dantque illis Genuenſes ſingulis annis Gubernatorem vnum generalem. Fuit & in hac inſula ciuitas antiqua Aleria dicta, tribus ferme miliaribus Germanicis diſtans à Baſtia (Baſtîa autem penult. prod. dicitur) ſed iacet hodie in ruinis, nec quiſquam ibi nunc habitat præter paſtores, translatuſque eſt inde Archiepiſcopatus ad Baſtiam. haud procul ab area ciuitatis labitur fluuius quidam, qui maximus habetur inter amnes Corſicæ.

SARDINIAE INSVLAE DEſcriptio. Cap.20.

EA pars Sardiniæ quæ Corſicam ſpectat, montoſior eſt, ſed qui montes amœni ſunt, & humanis neceſſitatibus vtiles. Oppoſita verò pars quæ Africam ſpectat, planior eſt, & tritico abundantiſſima, appellaturque hodie caput Lugudoris. Abundat tota inſula frugibus, pecore, & armento, vnde fit vt vili pretio ibi carnes: quia & mercatores hinc multa coria in Italiam & Hiſpaniam abducunt, ſicut & miram Caſeorum copiam
Equi Sardi. aſportant. Sunt in hac inſula tam multi equi, vt non pauci agreſtes ſint, & dominis careant; generoſiores autem vili emantur pretio. minores quidem noſtratibus, robore tamen agilitate, & pulchritudine non inferiores. Incolæ non veſcuntur a-
Tritici copia. lio quàm tritico pane. Tanto autem ibi abundant tritico,

tritico, vt naues permultæ eo oneratæ in Hiſpaniam & Italiam quotannis abducantur. Siq́ue rebus ſuis magis intenti eſſent Sardi, tantam rerum omnium affluentiam in ſua compararent terra vt fœcunditate Siciliam ſuperarent. ob incolarum namque incuriam terra oleum non producit, cùm olei abundantiſſima eſſe poſſet: ſiquidem profert paſſim in ſyluis oleaſtros; & quidam iam paucis retroactis annis cœperunt plantare oleas, quæ ſatis fœliciter cultoribus compenſarunt laborem. Venationem habent maximam, multiq́ue ruſtici ex ſola viuunt venatione. abundat enim regio apris, ceruis, damis, & muffalo ſeu muflone iſto de quo paulò ante in Corſica diximus. Tradunt ſcriptores quidam in Sardinia nullum eſſe ſerpentem, nec venenum vllum præter peſtilentem aërem, vnde Silius Ital. Serpentum tellus pura ac viduata veneno, ſed triſtes Cœlo & multa vitiata palude. traduntur tamen ſcorpiones & ſerpentes in inſula eſſe, ſed qui innoxij ferè ſint. Habet Sardinia flumina multa & amœna, ſed non profunda, qui æſtatis tempore tranſuadari poſſint. ſtagna habet piſculentiſſima, præſertim iuxta ciuitatem Oriſtangenſem. habet & balnea multa ſalubrium & calidorum fontium, quæ tamen incolæ non curant. Argenti fodinæ in Sardinia ditiſſimæ ſunt, maximè apud ciuitatem Eccleſiarum, vbi aliquantulum hodie eruitur argenti paucis impenſis, quod tamen in magna copia incolæ effoderent, ſi maiori vterentur induſtria. Salinas habet magnas & inexhauſtas, non in vno tantùm ſed in multis locis: meliores ſunt apud Calarim, in qua ciuitate certis anni temporibus datur ciuibus ſal gratis in magna copia. Fruuntur Sardi vbique locorum & omni tempore ſalubri aëre, niſi

Venatio.
Diues.
Argenti fodinæ.

niſi quòd in quibuſdam locis planis præſertim Oriſtagni, vbi terra eſt paludinoſa, aſcendunt è terra vapores craſſi, & accedente feruore Solis, corrumpitur aër, quod inaſſuetis multum óbeſt. incolis verò & qui à pueritia ineſcati ſunt illo aëre, quique labori vocant, minimè nocet, quin ſenes & robuſti accolæ, vt in alijs regionibus, ibi inueniuntur, raroque Sardi peſte laborant. Hodie inſula Hiſpanorum Regi paret, habetque paſſim antiquiſſimas ruinas in locis agreſtibus & montoſis inſtar rotundarum turrium in anguſtiam aſcendentium. Etiamſi Sardinia ſit populoſa, ciuitates habens non paucas quarum præcipua Calaris eſt; bonas tamen literas contemnunt, ſatis ſibi eſſe putantes, ſi vel à limine Latinam linguam ſalutarint, vt obiter Leges Imperatorum, Decretaque Pontificum intelligere poſſint. Galenum & Auicennam tam oſcitanter legunt, vt inde paucis conſulant ægrotis. Magiſtratus in Sardinia multi ſunt, omniumque ſupremus eſt Prorex, qui omnem ferè Regis habet authoritatem, & ſolus Hiſpanus hunc magiſtratum gerere poteſt, ſecundum antiquas conſtitutiones.

Cùmque Sardinia in duas partes ſit diuiſa, nempè in caput Calaris & caput Lugudoris, vnaquæque ſuum habet Gubernatorem, nec refert Hiſpanus is ſit an Sardus. præſente tamen Vicerege nullam habent autoritatem.

Mores Sardorum. Quantum attinet ad mores & naturam Sardorum, corpore ſunt robuſti, agreſtes, & laboribus aſſueti, præter paucos luxui deditos. pecuariam rem multi faciunt, agreſti cibo & aqua contenti, venationi deditiſſimi. qui in oppidis & villis habitant, pacificè inter ſe viuunt, aduenas amant, & humaniter

niter tractant. viuunt in diem, viliſſimoque veſtiuntur panno. bella nulla habent, & arma pauca; nullumque in tanta inſula habent artificem, qui enſes, pugiones, aut alia fabricet arma; ſed hæc ex Italia petunt & Hiſpania.

Optimi ſunt equites, ob Solis ardorem ſuffuſci coloris, benè ſecundum naturæ legem viuentes. Fœminæ ruſticorum valdè honeſtæ ſunt in veſtitu, omnem excludentes pompam: at vrbanæ diuitijs abundantes abutuntur illis in magnam ſuperbiam. Sacerdotes indoctiſſimi ſunt, vt rarus inter eos, ſicut & apud monachos, inueniatur qui Latinam intelligat linguam: habent ſuas concubinas, maioremque dant operam in filijs procreandis, quàm in legendis libris.

SICILIAE INSVLAE REgnum. Cap. 21.

SIciliæ inſulæ nomen à duce Siculo ortum tradunt, quem Neptuni filium fuiſſe ferunt. prius autem Trinacria vocabatur, quod tribus promontorijs triangula eſſet, vnde Ouid. libr. 4. Faſt. Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor, Trinacris à poſitu nomen adepta loci. Tria verò iſta promontoria ſunt: Pelorus ad Italiam & Aquilonem vergens contra Scyllam, hodie Capo del faro dicitur. Secundum Pachynus in aëris craſſitudine, nunc verò Caput paſſarum dicitur. Tertium eſt Lilybæum, Africæ & Libyæ oppoſitum. hinc Cœlo ſereno videri poteſt Africa, hodie Capo boco. Sicania olim dicta, vel à Sicano rege, vti Solinus & Capella; vel à Sicanis antiquis indigenis, vt Diodorus Siculus, referunt.

Siciliam inſulam principio à cyclopibus habitatam, præter autoritatem ſcriptorum teſtantur etiam cadauera ſeu ſchelota enormis menſuræ ac proceritatis in ea reperta, cuiuſmodi tradit Bocatius in antro quodam montis haud procul à Drepano vrbe ſito inuentum: cuius corporis longitudo triginta circiter pedum colligitur. Poſt hos autem eam incoluerunt Sicani, deinceps Siculi, mox Indi, Troiani, Cretenſes, Phœnices, Calcedonij, Cornitij, & reliqui Græci, Zanclæi, Guidij, Morgeti, Romani, ac denuo Græci, Gothi, Saraceni, Normanni, Lombardi, Sueui, Germani, Galli, Arragonij, Hiſpani-Calatani, Genuenſes; & tandem Piſani, Lucenſes, Bononienſes, Florentini, qui populi omnes diuerſis temporibus diuerſa Siciliæ loca occuparunt habitaruntque. Incolæ moderni ingenio habentur acuto, ſubtili, nobili ad inueniendum, natura facundi facetique, ſed vltra modum loquaces, vt inde prouerbio locus, Gerræ Siculæ. Lingua vtplurimum vtuntur Italica, verùm minus grata politaue: ac eoſdem etiam moribus, habitu, reliquoque victu referunt. Regni titulo decoratur inſula: eſtque diuiſa vniuerſa in tres prouincias, quas valles vocant, ac definit quæque vallis in vnum ex promontorijs. Prima Demino vel Demona vallis Pelorum promontorium habet, & nemorum plena eſt. Secunda vallis de Notho dicta, & frumentarijs tum campis, tum nemoribus læta, pecorumque fœcunda, Pachinam continens. Tertia vallis Mazaræ dicitur, frugiferarum arborum penè impatiens, meſſibus armentiſque abundans, Lilybæum ſibi vendicat promontorium. Regni metropolis eſt Panormus, vrbs vetuſtiſſima, ſita in valle Mazaræ, loco amœno & admodum fertili, Septentrionem ſpectans.

Varij Siciliæ cultores.

Mores Italici inſulanorum.

Panormus.

ꝓectans,pelagoque alluitur Tyrrheno,muris ſepta
erquamaltis;& ſecundùm Mare arx eſt,quam Ca-
rum ad Mare nominant. Tres item antiquæ ciui-
itis portæ,& veteres muri multis cum turribus la-
ide quadrato conſtructi.Inueniuntur lapides lite-
s inſcripti, quibus Noë temporibus fuiſſe Panor-
ium planè conſtat. Dulcium arundinum, quas
anamellas vocant, quarum ex recocto ſucco fit
ccharum,fertiles in Panormitano agro ſunt meſ-
s.Syracuſæ regia olim ciuitas, in valle de Notho *Syracuſæ.*
a,vrbs quandoque maxima pulcherrimaque, ac
iplici ſepta muro, portus etiamnum duos habet,
ii cùm diuerſos inter ſe aditus habeant, in exitu
nt coniuncti; quorum coniunctione inſula ipſa
ſiungitur. ea tanta fuit vt ex quatuor aliquando
bibus conſtaret, quarum vna eſt quam diximus
ſula,quæ duobus illis portubus cincta (magnum
paruum vocant) quæque in præſentia, cæteris
o æquatis,tantummodo ſtat. in vrbis huius inſu-
fons eſt,cui nomen Arethuſa, poëtis celebratiſſi-
is. agri Syracuſani omnium quæ ad victum hu-
inum pertinent rerum longè fertiliſſimi ſunt:tri-
i etiam, omniſque leguminum generis lætiſſi-
s ferunt ſegetes. Catinia ciuitas in Demona val- *Catina.*
Mari vicina. ager Catanaicus totus fertilis eſt, &
eſertim vinum ibi natum præſtat omni vino Si-
o. Agrigentum peruetuſta ciuitas, in Mazaræ *Agrigentũ.*
le Phalari tyranno nobilis, quem æneo boue
mento ſæuiſſimo donauit Athenienſis faber
illus, cuius ſupplicij ipſe primum edidit ſpeci-
n. Meſſana quoque vetuſta Siciliæ vrbs eſt, in
mona valle ſita,hodie ſatis proſpera & pollens. *Meſſana.*
Italiæ finibus Charybdis freto portuque, natu-
pſa diſcreta, ab Occaſu collibus munita, tritici

meſſibus,quia montibus clauditur & pelago,care
nemoribus abundat; ſed tota propè eius meſſis i
mororum folijs conſiſtit.probatiſſima enim àMe
ſanijs lanæ ſerica in multas Europę partes mittitu
Plinius in hac inſula vrbes 72. numerauit.hodie
Præſtantia inſulæ. piſcopales continet duodecim. Inſula eſt nobiliſſ
ma,fertiliſſimaque rerum omnium, Cereris, Ba
chi,croci.mellis,ſucchari,olei,plantarum ac ſimp
cium medicinalium. Fluminibus rigatur plurimi
ac portus exhibentibus tutiſſimos. Montes hab
aërios, aquarum dulcium, fontiumque copioſo
Aetna,nunc Montgibet. fructiferos, & amœnos; Aetnam montem, nu
Montgibet dictum, mirum ſuis incendijs. Minær
rum prętere a diues eſt Sicilia:generat enim auru
argentum,ferrum, alumen, ſalem tum coctiler
tum foſſilitium; præterea & ſalis ſpeciem ex ma
na aqua coaguleſcentem.Generat inſuper gemm
pretioſas,Smaragdos, Agatos,in Acatio amne.
foditur & Berillus in magna copia. item Porphy
tes lapis omnium ferè colorum; nec non Iaſpis,
in Mari iuxta Meſſanam & Drepanum generat
Thermæ. Corallium.Thermis hinc inde abundat, calidis t
pidiſque ſulphureis, aluminatis, cuius materiæ i
ingens copia: vnde & montiũ conflagrantiũ ign
laudatiſſimæ tamen Ciſalenſes thermæ habentu

CRETAE SIVE CANDIAE INSV læ deſcriptio. Cap. 22.

CReta quæ & Cãdia, inſula in Mediterrane
mari centũ vrbiũ fama celebris, in longit
dine ducẽta 70. paſſuũ millia,in latitudi
verò 50. habet millia. Circuitus eius quingenta 8
millia paſſuũ cõplectitur. Dicta eſt primũ Curet
ab habitantibus Curetibus,& per Syncopen Cret
hodieq; a Candia metropoli appellatur Candia.E
primu

rimus in Rom. poteſtatẽ redegit Metellus Creti-
us, & deinde ſequentib. tẽporibus ſub Imp. Con-
ſtantinopolit. diutius fuit: poſtea conceſſa Bonifac.
Montiferratenſi, à quo demũ Venetis magno diuẽ-
dita fuit, anno Chriſti 1144. In Candia metropoli
prætor Venetus ius dicit, vbi & portus eſt. Inſignes
in ea vrbes antiquæ ſunt Cortyna, Cydõ, Gnoſus,
Minois regia vbi Minos nouẽ annos regnauit; & I-
da mons, omniũ qui in ea ſunt, celeberrimus, & qui
celſiſſimo aſſurgit vertice. Tota inſula plena eſt *Cupreſſi fre-*
montibus ac vallib. habetq; multas ſyluas, & maxi- *quentes in*
mè cupreſſi per inſulã intẽſum ſpirãt odorẽ. Scribit *Creta.*
Plin. quõdã in Creta montẽ quendã terræmotu cõ-
cuſſum detexiſſe corpus humanũ quod cubitus ha-
buit 24. in lõgitudine. cui ſimile eſt quod ſcribit Sa-
bellicus ante paucos annos effoſſũm in Creta cra-
niũ humanũ, magnitudine dolij mediocris, quod v-
bi contrectari cœpit, redactũ fuit in fauillã. Scribunt
præterea Strabo & Plin. nullũ in Creta animal no-
xiũ eſſe, ſerpentẽ ibi nullũ, nullã noctuã, capraũ co
piã, ceruũ nullũ. Optimi vini feraciſſima eſt inſula,
quod Creticũ vocãt, & ab alio loco Maluaticũ, ac-
cepta ſc. denominatione à Malua mõte, qui in Chio
inſula ſitus eſſe putatur, iuxta Arniſiæ oppidũ. Ha-
buit quidẽ Creta à principio incultũ hominũ gen⁹;
Radamãthus autẽ Iouis ex Europa filius eos ad mã
ſuetiores vitæ ritus perduxiſſe narratur. Secutus in- *Radaman-*
de Minos, qui æquitate & iuſtitia magis excoluit. *thus.*
Plato auctor eſt Lacedæmonios & alias vetuſtiſſi- *Minos.*
mas Græciæ ciuitates hinc ſibi leges & inſtituta
mutuaſſe. Optimum gẽtis ſtatum euertit primò ty
rannicus dominatus, mox & Ciliciũ latrocinia. Fun-
dus terræ in hac inſula feraciſſimus eſſe dicitur fru-
menti, & paſcuoſus. profert etiam ſaccharum.

Hoc malum habet, ſi mulier aliqua dentibus au vnguibus hominem læſerit, mori perhibent ſauciatum. Prope Cortynam ciuitatem labyrinthus fuit, cuius dicunt adhuc extare veſtigia. fuit opus arte maximè ſpectabile: Aegyptius tamen labyrinthus fuit omnium maximum & portentiſſimum humani generis opus, vnde exemplar ſumpſit eius quem in Creta fecit Dædalus, centeſimam tantùm portionem accipiens de Aegyptio Labyrintho, ſed formoſior reliquis fuit; perplexis parietibus. Plinius ſcribit veſaniam fuiſſe dementiam, quæſiſſe gloriam impendiò nulli profuturo; præterea fatigaſſe Regni vires, cùm tamen laus maior artificis eſſet. mons erat effoſſus ac vndique concauus, vna tantùm & anguſta via adibatur. dux loci peritus præcedebat cum ardente funali, inextricabilem errorem per tenebras monſtrando.

Labyrinthus

Diuiditur hodie inſula in quatuor territoria ſeu contradas à quatuor nobiliſſimis eius vrbibus denominatas, eæ in Septentrionali maris littore omnes poſitæ: prima verſus Ortum eſt Sitia; altera Candia, quæ in medio inſulæ ſita eſt in longa planitie; tertia Rhetimo; vltima la Canea verſus Occidentem. Creſcit & in Creta herba quædam Alimos nominata, quæ commaſticata inter dentes famem dicitur leuare per diem. Fluuios habet paucos minimeque profundos; in littore Septentrionali ſunt Melipotanus, Scaſinus, Cladilis, Epicidomus, Giffo, Diuotro; verſus Occidentem eſt Nopuliar; verſus Meridiem eſt Limens. Terminatur ab Oriente, Mari Carpathio; ab Occidente, Adriatico: à Septentrione, Cretico, à Meridie autem Punico.

Fluuij.

GRAE-

GRAECIA. Cap. 23.

GRæcia Europæ regio quæ & Hellas, à quodam Græco, qui latè in ea olim rerum potitus, ſic appellata. Mutauit quidem ſæpiùs
iomen ſuum, ſubinde à Regibus præſidentibus no-
nen accipiens, ſed nullum firmius ei manſit quàm
iræcia. Hæc itaque ab Iſthmi anguſtijs incipit, & à
eptentrione in Meridiem vecta, qua Sol oritur
Aegæis, qua occidit Ionijs fluctibus obiacet. Ther-
iopylæ mediam dirimunt, vt Apenninus Italiam.
xtremos montes ad Occaſum Oetam vocant,
uorum quod altiſſimum eſt, Gallidromum appel-
int, per cuius vallem in Malliacum ſinum iter eſt,
on latius ſexaginta paſſibus. Hæc vna via milita-
s eſt, per quam ſi nemo prohibeat, traduci poteſt
:ercitus. Cætera loca adeò ardua & perplexa, vt
: expeditiſſimis quidem ſint peruia, ideo pylæ
iaſi portæ dictæ, & à calidis aquis inibi naſcenti-
is Thermopylę. Iacent ad Mare verſa, Acarnania,
etolia, Locris, Phocis, Bæotia, Eubæa penè terræ
nexa. Attica & Peloponneſus longiùs prædictis
Marę excurrunt, diuerſa montium ſpecie, & qua
Septentrionem obuerſa iacet, includitur Epirus,
ignesia, Theſſalia, Pthiote, & ſinus Malliacus.
obilior autem Græciæ pars eſt Peloponneſus, *Peloponneſus, hodie Morea.*
ıgiturque Atticæ per Iſthmum, totius Græciæ
odammodo arx dicta. Nam præter in habitan-
m in ea gentium nobilitatem atque potentiam,
: locorum ſitus principatum deſignat atque im-
rium. multi ſinus inſunt & promontoria multa.
guſtias eius perfodere nauigabili alueo Deme-
ıs rex, dictator Cæſar, Gaius princeps, Domitius
:o, infauſto, vt omnium exitu patuit, incepto
:auerunt. Græci principes, poſtquam Turcarum

 poten-

potentia in Europam penetrauit, ex Mari ad Mar-
producto per anguſtias muro, Peloponneſum à re-
liqua Græcia diſiunxerunt. murum hexamilium ap-
pellauerunt ex loci diſtantia. hanc prouinciam ho-
die Morcam Latini vocant; continenturque in ea
Maſſania, Laconia, Argos, & Arcadia. Amurathe
expugnata Theſſalonica, ſubacta Bæotica & Atti-
Hexamiliũ. ca, ad hexamilium vſque profectus, perterritis Græ-
cis diruit murum, tributumque annuum dedenti-
bus ſe Peloponnenſibus imperauit. Poſtea verò
Chriſtiani negantes tributum, & hexamilium in-
ſtaurãtes, à Turca pecunia mulctati, hexamiliũ de-
nuo eſt deſtructũ, & Peloponneſus Turcarum ſub-
iecta Imp. In Sparta Laconiæ metropoli olim vixi
Lycurgus: Lycurgus inſignis philoſophus, qui ciuitatem opti-
mis inſtitutis & legibus excoluit; cũ antea ferè ex o-
mnibus Græcis ſoli Lacedæmonij peſſimè morat-
eſſent. introductis autẽ varijs ac prius inauditis mo-
ribus legibuſq;: ne dura nimis viderentur eſſe inſti-
tuta illa delicatioribus, eorũ auctorẽ Apollinẽ fin-
xit, & inde ſe ea detuliſſe. Si quis igitur Laconica in-
genia propius aſpicere aut penitus cognoſcere de-
ſiderarit, cõſulat Apophthegmatũ volumẽ Deſ. E-
raſmi. Vt autẽ æternitatẽ legib. ſuis daret Lycurgus
iureiurãdo ciuitatẽ obligauit, nihil eorum quæ ſan-
xiſſet mutaturos, priuſquã reuerteretur, ſe ad oracu-
lũ Delphicũ profectuiũ; cõſulturũ quid mutãdũ ad-
dendumve legibus ſuis videatur. profectus igitur in
Cretã, perpetuũ ibi agit exiliũ, moriẽſq; oſſa ſua in
mare abijci præcipit, ne Lacedæmonẽ delata, Spar-
tani ſe de nõ mutãdis legib. a iuramento abſolutos
putarẽt. In medio Peloponneſi ſita eſt Arcadia, re-
gio montoſa, cuius incolæ pleriq; ſunt paſtores. a-
pud hos in magno pretio fuit Lyſania, qui ob virtu-

te

tes eius prȩclaras Iouis nomē adeptus,habuitq́; po- *Iupiter Arca*
ſtea in Olympia Arcadiȩ ciuitate templū ſuū, vetu- *dius.*
ſtate & cultu nobile; eratq́; ante tēplus lucus olea-
ſtris cōſitus, ex quibus victores connexis ramis co-
ronabantur. Claruit & Prometheus in Arcadia, vir
acutiſſimi ingenij & ſpectatȩ peritiæ. primus hic de *Prometheus*
terra hominū ſimulacra formauit, & arte quadam
veluti ſpiritū habētia moueri fecit. indé cū in altiſſi-
mo Caucaſo mōte reſideret, & Aſtronomiæ operā
daret, eā primus Aſſyrios docuit: quādo & ignē pri-
mus è Silice eduxit. Floruit quoq; in Arcadia Atlas
vir multæ contēplationis, qui & aſtrorū curſum in- *Atlas.*
uenit, & primus de Aſtronomia inter Grȩcos diſſe-
ruit, propter quod finxerūt eū Cȩlū portare. Meſſe-
nia autē tertia Peloponneſi regio admodū eſt ferti-
lis, multiſq́; amnibus irrigua. Quod ad exteriorem
Græciam, omnes ſcilicet iſtæ Grȩcorum terræ quæ
extra Pelopōneſum ſunt, huius celebratiſſima vrbs
Athenæ olim fuêre, in Attica nimirum regione, li- *Athenæ.*
teratorum ac philoſophorum mater. nam ipſo et-
iam ſitu ſpectabilis, & velut commune quoddam
totius Grȩciæ ὁρμητήριον fuit & refugium,
in quod vicinæ vrbes bellicis terroribus aut alijs
malis afflictæ confugiebant. Fuit & tutiſſimum ad
nauigandum receptaculum. fuit totius Mundi
gymnaſium & vniuerſale ſtudium, nec quiſquam
olim doctus habebatur, qui non apud Athenas li-
teris operam impendiſſet. Strabo ſcribit Athenis
fuiſſe petram in planitie ſitam, inque orbem cir-
cum habitatam, in qua Mineruæ templum fuit, e-
atque in eo templo ſimulacrum. quod è Cœlo ce-
cidiſſe credebant incolæ vbi perpetuus ignis cum
virginum cætu fouebatur.

Theſſalia campus eſt maximus ac curuus, vndi- *Theſſalia.*

que montibus cinctus, ab Oriente Oſſam & Pelion habens montes, ab Occaſu Pindum, ab Aquilone Olympum, & à Meridie Othryn. ex Pindo Peneus amnis exit, vndis lucidis amœnus, viridanti riparum germine, canoro auium concentu. In Bæotia ſunt vrbes inſigniores Megara Euclidis patria, & Thebæ patria Bacchi & Herculis, ab Alexandro Magno poſtea euerſæ.

THRACIAE AC BVLGARIAE deſcriptio. Cap. 24.

THracia quæ hodie Romania, à Thrace Martis filio, ſiue aſperitate ſic dicta; τραχὺ enim aſperum dicitur: regio eſt nec Cœlo, nec Solo, niſi vbi Mari vicinior eſt ſatis fœcunda temperataque. frigida eſt, & eorum quæ ſeruntur, malignè admodum patiens; rarò vſquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat; ſed nec eius quidem fructus maturat ac mitigat, niſi vbi frigora obiectu frondium cultores arcuêre. *Vrbes.* In ea quondam vrbes celebriore fuêre Apollophania, Enos, Nicopolis, Byzantium, quæ poſtea à *Fluuij.* Conſtantino Conſtantinopolis dicta eſt, & in manus aucta, glorioſiſſimi Imperij ſedes, & Orientis totius caput delecta, Perythus, Lyſimachia, Callipolis. *Montes.* Amnes verò Hebrus, Neſtos, Strymon, Montes: Hæmus, Rhodope, & Orbelus. *Incolæ.* Homines habet feros, aſperos, & numeroſos, adeo vt ſi aut vnius imperio regerentur, aut idem ſentirent, inexpugnabiles forent, & omnium gentium multò validiſſimi: ſed quia arduum hoc illis eſt & nulla ratione contingere poteſt, ideo imbecilles ſunt. Moribus tamen & opinionibus conſimilibus ſunt imbuti, pręter Getas & Trauſos, & qui ſupra Creſtonas incolũt;

eolũt;ex quib. Getæ ſe non mori perſuaſum habuê-
re, ſed ad Zalmoxim Deũ ſuum poſt fatũ migrare.
Fuit hic Zalmoxis homo Pythagoræ quondam di-
ſcipulus, qui in patriam reuerſus cùm animaduer- *Zalmoxis.*
teret Thraces malè viuere & inſcitè, ipſe edoctus
Ionicum viuendi genus & mores, ipſis leges dedit,
docuitque atque perſuaſit popularibus ea ſeruan-
tibus poſt obitum ad ſe in eum locum ire, vbi ſuper
ſtites omnium bonorum compotes eſſent: per hoc
Deitatis opinionem conſecutus, è Thracum ſe con
ſpectu ſubduxit & quaſi euanuit, maximo ſui poſt
e deſiderio relicto. Thraces dum tonat fulguratq;
n Cœlum ſagittas excutiunt, Deo minitãtes, quòd
nullum alium præter ſuum eſſe arbitrentur. Trauſi
vero circa natalitia ſuorum atque obitus hoc faci- *Trauſi.*
unt: edito puero propinqui circumſedentes eum
ploratione proſequuntur, recenſentes quaſcunque
neceſſe eſt illi, quòd vitam ingreſſus ſit, calamitates
perpeti humanas. hominem fato functum per lu-
um atque lætitiam terræ demandant, referentes
quòd malis liberatus in omni ſit modò felicitate.
At qui ſupra Creſtonas incolunt, iſta agunt: ſinguli
plures vxores habent, quorum vbi quis deceſſit,
diſceptatio magna fit inter vxores quæ nam dile-
cta fuerit à marito præcipuè: & quæ talis iudicata
ſit & hunc honorem adepta, ea à viris & mulieri-
bus exornata, ad tumulum à propinquiſſimo ſuo
mactatur, vnaque cum viro humatur, cæteris vxo-
ribus id ſibi pro ingenti calamitate ducentibus, ac
ugentibus, namque id dedecori eis datur. Ociari &
ex rapto viuere pro re honeſta habẽt: contra agros
colere deſpicatiſſima. Corporum magnitudine
Thraces omnes homines antecedunt, cæruleis o-
culis, ac truci viſu, terrifico vocis ſono, annoſa æta-

te. Aedificia modicè ab humo eleuata. In Regis electione non nobilitas præualet, ſed ſuffragium vniuerſorum. Populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueterata clementia, annis grauem, & cui liberi non ſunt. Nam qui pater fuerit, etiamſi vita ſpectatur, ad regendum non admittitur. & ſi fortè dum regnat, pignus ſuſtulerit, poteſtate exuitur, & ſic cuſtoditur, ne Regnum fiat hæreditarium. Tum ſi Rex etiam maximam præ ſe ferat æquitatem, nolunt ei totum licere: quadraginta ergo rectores accipit, ne in cauſis capitum ſolus iudicet. Quòd ſi ipſe etiam in peccato aliquo arguitur, morte mulctatur: non tamen vt cuiuſquam manu attrectetur, ſed conſenſu publico rerum omnium ipſi poteſtate interdicta, tandem fame pereat.

Regum conditio.

Bulgaria.

BVLGARI gens ferox putantur è Scythia olim egreſſi, intuleruntque plurima damna regno Conſtantinopolitano, vexaruntque Chriſtianos modis varijs, quouſque tempore nepotum Caroli Magni factæ ſunt induciæ & conditiones pacis: & captiua quædam quæ in Regia Chriſtianorum ſeruierat veluti ſerua, ſoror Regis Bulgarorum reddita eſt: didicit autem hæc ſoror Regis, cùm eſſet in captiuitate, literas; ſuſcepitque ritum Chriſtianorũ & Baptiſma, & tandem fratri reſtituta, inſtituit ipſum præceptis Chriſtianis, monuit vt idola abijceret, & vero Deo obſequia præſtaret. & licet Rex ſorori annueret, auſus tamen non erat repentè à patria religione diſcedere. verùm acceſſit occaſio aſſumendi Chriſtianam religionem. Nam peſtis vndique regionem inuaſerat, ac tam crudeliter vbiq; graſſabatur, vt Libitina non ſufficeret. anxius Rex ſororem rogauit vt huic malo remedium cogitaret: at illa ſolum Chriſtum Saluatorem inuocandum

Rex conuertitur.

dum cenſuit. acquieſcit Rex, baptizaturque cum omni populo, accerſito quodam ſacrorum pontifice, à quo myſteria fidei acceperunt, & mox potentia Dei innotuit, ſedataque eſt peſtis. Fama eſt primum regem Chriſtianum in Bulgaris Trebellium vocatum. is monaſticam ſecutus vitam ex duobus filijs Regnum maiori natu reliquit. Redijt nouus Rex non multò poſt ad Dæmonum cultum, pietatem patris & inſtitutum aſpernatus. nec id filij ſcelus inultum Trebellius tulit, ſed perſona quam gerebat ad tempus depoſita, regiam induit, receptoque regni gubernaculo, filium impietatis increpitum luminibus priuat, regnum dans minori natu, quod piè ex ſuoque inſtituto adminiſtraret: ipſe in documentum dediſſe contentus, continuò ſe in Ordinem redegit. atque hæc facta ſcribuntur circa annum Chriſti 868.

CONSTANTINOPOLItanæ vrbis deſcriptio. Cap. 25.

QVanquam incredibilis huius vrbis magnificentia multò ſit amplior, quàm vt vel calamo compræhendi, vel tenui dicendi facultate explicari queat. ne tamen tantæ vrbis celebritas ſilentio opprimatur, id quod ex veterum monumentis de ea erui potuit, qua fieri poteſt breuitate referemus. Conſtantinopolim, quæ quondam Byzantium, nunc Græcis Stimboili, Turcis Stambol, hoc eſt, ampla & regia ciuitas dicitur, vrbem maximam omnium Thraciæ fuiſſe, Herodianus teſtatur.

Con-

Conditam autem, Stephanus atque Euſtathius memoriæ prodiderunt, à Bizante Beroeſſæ & Neptuni filio, vel ab eo qui claſſis Megarenſium Coloniam deducentium, Dux fuit nomine βυζὴς. Quod autem apud Iuſtinum ſcriptū eſt, à Pauſania Spartano Byzantium conditum, ita fortaſſis intelligendum eſt, vt qui Sycam, quam hodie Galatam vocant, à Genuenſibus fundatam eſſe affirmant, & Conſtantinopolim à Conſtantino, qui aut reædificarunt, aut amplificarunt, non autem primi ædificarunt. Fertur primis eius funditoribus, Pythium Apollinem conſulentibus, vbi conderent vrbem, redditum oraculum eſſe, quærerent terram, cæcorum terris aduerſam. Ea ambage, Chalcedones monſtrabantur, quòd priores aduecti illuc, præuiſa locorum vtilitate, peiora legiſſent. Eſt autem tam commodo loco, vt nemo vltrò citroque traiectiones Aſiæ Europæque facere poſſit, inuito Byzantio, cùm ſit velut pons ac porta vtriuſque Orbis. Tribus ex partibus alluitur Mari, ex Aquilone, ſinu: à Meridie, Propontide: ab Occidente, terra Thracia. Forma eius ab omnibus ferè triangula dicitur. quãquam tamen ob laterum curuaturas, quarum duo extrema cornua arcum efficiunt, veriùs tricornis habebitur. Peninſulam occupat ſeptem colles complectentem. Hinc Scolarius Patriarcha Conſtantinopolitanus in enarratione vaticinij, de Turcici regni interitu, τὴν ἑπτάλοφον eam nominat. Laonicus Chalcondilus, in hiſtoria quam ſcripſit de Othomannis, tradit Conſtantinopolim circuitu complecti centum & vndecim ſtadia. Muri adeò tenui iunctura erant, vt Herodianus teſtetur, nemini compoſitum opus, ſed ex vno perpetuoque lapide viſum fuiſſe. Ruinas ipſorum reliquaſque, Herodiani

Opportunitas Byzantij

111 ſtadia

diani

diani temporibus qui videbant, mirabantur eos, vel qui conſtruxiſſent, vel qui deleuiſſent. Ex parte Continentis, valdè excelſi; maritimi humiliores erant, ſi benè craſſi atque turriti. Omnium rerum ad hominum vſus neceſſariarum, carnium, lignorum, & maximè piſcium, tanta eſt hic abundantia, vt ſine reti ſæpè manibus ex Continenti eos capias; atque adeò cùm verno tempore in pontum aſcendunt denſi greges, iactu lapidis, velut aues, ferias. Ex feneſtris quoque vrbis, calathis ex chorda appenſis, mulieres piſcantur; hamiſque piſcatores, ſine eſca, pelamydes capiant tot & tantas, vt ſufficiant toti Græciæ, & magnæ parti Aſiæ, Europęque. Optimarum Oſtrearum tantam multitudinem capiunt, vt ſufficiant tot dierum ieiunijs, quibus Græci, quibus ſanguinis participibus, non veſcuntur. Hanc vrbem Conſtantinus anno ab imperio Auguſti trecenteſimo, ſexageſimo ſecundo, reſtituit; nuncuparique nouam Romam Conſtantinopolitanam lege ſanciuit, quemadmodum literæ ſub equeſtri eius ſtatua ſcriptæ indicant. Quæ tamen appellatio vrbi non manſit. ſubditi namque ob ſingularem erga dominum ac principem ſuum obſeruantiam, Imperatoris tamen accedente conſenſu, Conſtantinopolim, hoc eſt, Conſtantini ciuitatem, eam vocarunt. Porrò cùm Conſtantinus indigens ciues non exiſtimaret ſufficere magnitudini vrbis, iuxta fora ſparſim ædificauit domos, quas Senatoribus habitandas dedit, atque illuſtribus viris quos ſecum duxerat ex vrbe Roma atque ex alijs gentibus. Fora conſtituit, alia ad vrbis ornatum, alia ad vſum ciuium. Hippodromon ſacris ædibus, fontibus, porticibus inſtruxit, & Senatu, quem habere voluit eundem honorem, quem Senatores

Piſcium ingens copia.

Romæ

Romæ habere ſolebant. Regias ædes condidit, non multò inferiores Romæ regijs ædibus. Denique in omni ornatu ſimilem & æqualem eam Romæ efficere ſtudens, in tantam magnitudinem perduxit, vt Sozomenus tradat, hominum multitudine & diuitijs, maiorem Conſtantinopolim eſſe quam Romam: vtque non immeritò Rhodoginus lib. 18. cap. 25. ſicut Romam totius Orbis epitomen, ita Conſtantinopolim κόσμȣ κόσμον vocet. Fuit & hîc Academia, præſtantiſſimis omnium artium profeſſoribus exornata. in qua ſummo in honore fuit XII. virorum collegium, qui publicis Imperatorum impenſis ad ſtudiorum conſeruationem, honorificè alebantur. Autor eſt Zonaras lib 3. Annalium. Plura de auguſtiſſimis templis, & interiore vrbis ornatu, deſideranti, Petrus Gillius libris quatuor abundè ſatisfaciet. Vide etiam Procopium de ædificijs Iuſtiniani, Georgium Cedrenum, Aenæā Syluium, Hugonem Fauolium, cæteroſque eiuſdem claſſis ſcriptores. Quantò autem amplior Byzantij magnificentia, eò maiore dolore Chriſtianis, ab immaniſſimis Mahumeti cultoribus tantam vrbem eſſe ereptam, recordamur, non ſine eximia Reipubl. Chriſtianæ calamitate; atque adeò cum ſumma Chriſti, rerumque ſacrarum ignominia,

Anno à Chriſto nato 1453. die 29. Maij, duce Mahumete 2. Turcarum Imperatore octauo.

(·.·)

Aemula Romæ.

HVN-

HVNGARIA ET TRANSYLVANIA



HVNGARICI REGNI, AC Tranſyluaniæ principatus (vulgò ſeptem Caſtrorum) deſcriptio. Cap. 26.

HVngaria olim Pannonia inferior appellata, eiuſque incolæ Pannones vocati fuere. Hi quidem à Gothis expulſi, poſt Gothos autem Hunni ex Scythia oriundi eam poſſederunt. Inde Longobardi, illiſque repulſis Hunni denuò occuparunt, atque in hodiernum vſque diem poſſidentes, Hungariã de ſuo nomine dixerunt. Danubius, qui & Iſter, Regnũ hoc ſecund. longitudinem perfluit, in duasq; diuidit partes; quarum hæc Auſtralis, Hungaria infradanubiana dicitur; ſicut illa Septentrionalis Hungaria ſupradanubiana. In hac ſita eſt Buda, Regni metropolis, ac ſedes Regia, priuſquam à Turcis caperetur. Situs eius amœniſſimus, aëre iucundo, agriſque fertilibus ſic ditata, vt propter hæc & propter regia quibus ornata eſt ædificia, omniumque rerum quæ ad neceſſitatem vel ad ſplendorem requiruntur, abundantiam, nulli in tota Europa cedat. Hanc Alba regalis ſequitur, Regum coronatione ac ſepulturis celebris. Strigonium Archiepiſcopatus dignitate gaudet. Stridon diui Hieronymi patria eſt. Prope Zeuerinum in Danubij ripa, Orientem verſus, pontis Traiani apparent veſtigia, ſuper hunc enim fluuium Traianus Nerua pontem miri operis in Mœſia conſtruxit, opus ſanè mirandum & memorabile: viginti ſtant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo 15c. pedum præter

Buda.

Pons Traianus.

præter fundamenta habetur.latitudo 60.pedes cō-
tinet,diſtant inter ſe 170.pedibus; fornicibus verò
coniunguntur,impenſa ingens & vix credibilis.Sed
illud mirari conuenit, quanam ratione, & quibus
viribus, quove artificio in illa gurgitum altitudine
tanquam præcipiti fluuio tam ſingulæ columnæ
extrui valuerint, tantarum molium fundamenta
ſtabiliri: vada præterea limoſa erant, neque amnis
aliò verti poterat.quanta verò altitudo ſit aquæ,&
quàm latè pateat amnis,vix enarrauerim.diffundi-
tur per ea loca ſpatioſus, atq; interim imbrium mo
le concitatus,ripas longiùs ſummouet: alibi verò
duplo atque interim triplo, priore ſui parte maior
aut reſtagnat,aut defluit.qua verò arctatur, vorti-
coſus ac ferox ædificia & pontes non patitur, &
rurſum liberatus anguſtijs in pelagi formam totus
expanditur,iterumque coit;quaſi retentus profun-
dior & rapidus fertur. arduum igitur & maximè
laborioſum fuerit in ea fluminis parte pontem æ-
dificare. Poſt aliquot tempora ſtructuras & forni-
ces huius pontis quantæ ſuper aquam eminebant,
iterum demoliri iuſſit Adrianus Imperator:qua ta-
men animi magnitudine vel generoſitate id fece-
rit;acutioribus iudicium relinquemus. Pilæ etiam-
num extant,ceu in oſtentationem potentiæ & Cæ-
ſaris opum fabricatæ;ſimul etiam vt poſteris teſta-
tum maneret, nihil eſſe quod hominum manu, &
opibus Romani Imperij effici non potuerit. Om-
nes fermè totius Europæ regiones Hungaria ſupe-
rat,& virorum fortitudine & magnanimitate, ani-
malium fœcunditate,ſoli pinguedine,minærarum
copia,metallorum varietate,aëris ſalubritate,ac lo
corum opportunitate. Vinum adeò generoſum
producit, vt alicubi Maluatico æquiparari poſſit.
Feri-

Hungariæ præſtantia.

ferinæ tanta abundantia, vt venationes & aucupia
uiuis licita ſint: lepores ſiquidem, cerui, phaſiani,
erdices etiam ruſticorum ac plebeiorum familia-
is eſt cibus, qui apud nos in delicijs habentur. po-
norum præterea varietate abundat. Boum ouium-
ue tantam producit copiam, vt vniuerſæ penè
ombardiæ ad victum ſufficiat. Solam vrbem Vi-
nnam quotannis circa 80000. boum tranſeunt,
ui inde in diuerſas Germaniæ regiones abiguntur.
uàm ſit piſculenta, ijs qui nunquam viderunt,
on ſit veriſimile: Tibiſcus fluuius, vulgò Teiſſa, in
rouerbio, ex duabus partibus aquæ, tertia autem
ſcium conſtare videtur; tantam enim quotannis
orum copiam largitur, vt intra regionis limites
ſtribui aut vendi omnes nequeant. Incolæ Scy-
ica vtuntur lingua, quæ à circumiacentibus popu
planè diuerſa eſt.

TRANSYLVANIA, ſeptem caſtra, Ger- *Tranſyluania regio.*
anicè Sibenburgen, à Saxonibus ita appellata,
i ſeptem quoque caſtra in ea conſtituerunt; cir-
mquaque altiſſimis ac denſiſſimis ſyluis ac mon
us tanquam mœnibus cincta, ita vt aditus in eã,
ue regreſſus cuiuis difficilimus pateat, niſi per
guſtias quaſdam fluuijs ac riuulis exitum præbẽ-
; vtpote Alutha fluuius, ad quem munitiſſimum
trum Rotethum (quaſi rubra turris) ſitum eſt ad
s tutandas & cuſtodiendas. ad eundem modum
Broſch ad Mariſcum fluuium, tanquam propu-
aculum poſitum eſt. Vrbes in ea præcipuæ ſunt *Vrbes eius.*
rmanſtadium, Coronu, Schlesburgum, Medo-
za, Noſa, Zeugma vel Clauſenburgum, Millen-
hium, VVeiſſenburgum, Germanicis ſuis nomi
us inſignitæ: cùm aliâs (pluribus ſiquidem lin-
s regio iſta vtitur) Hungarica lingua ſuo modo

nominētur. Vrbs primaria Cibinium eſt (Herman-
ſtat) ampla ac munita, paludibus multis circumſe-
pta, vt captu difficilis ſit. Inde Corona (Cronſtat)
propter excellentiam ſecunda, ſimiliter ad viam
quâ egreſſus è regione patet, locata. vbi itidem ad
viatorum tutelam arx benè munita Turcsfeſt loca-
ta, ibique frequens eſt Græcorum mercatorum ne-
gotiatio. Regio hæc Tranſyluania admodum eſ
populoſa, maxima ex parte Saxonum Colonia, v
lingua ipſorum teſtatur, cùm Saxonicæ linguæ pro-
Septem Ca-ſtrenſes Germani. prietatem magis obſeruent quàm reliquorum Ger-
manorum, non enim **vvas** & **das**, ſed **vvat** & **dat** Sa-
xonica dialectu efferunt: ita vt regio hæc inter di-
uerſarum linguarum terras ac gentes ſita, Germa-
nicè magis quàm Hungaricè loquatur (ſicut & Bo-
hemia vndique Germanis cincta Sclauonico tam-
vtitur idiomate) maximaque ex parte montibus
fluuijs, ciuitatibus, Germanica indita ſunt nomina
Montibus quoque auri minæris refertis diues eſ
terra hæc, quanquam nec argenti, æris Cyprij, fer-
ri, ſaliſque inopia laboret. Vini etiam ſatis produ-
cit, rubei albique, quod tamen præſtantia ab Hun-
Tranſyluāiæ prouentus. garico ſuperatur. Adhæc animalium & frumento-
rum prouentu felix eſt. Equos gignit ſylueſtres
curſu velociſſimos, quorum ad terram vſque de-
pendentes ſunt ceruicum crines. Boues etiam ſyl-
ueſtres, ceruicum curuatura ac magnitudine præ-
ſtantes; vros etiam procreat. Quâ Septentrionem
ſpectat, territorium quoddam continet Siculorum
cuius incolæ viri ſunt militares, nullum vel nobili-
tatis vel ruſticitatis, vt ſic loquar, diſcrimen haben-
tes; ſed omnes eiuſdem gradus ac dignitatis æſti-
mati, nulli (Heluetiorum modo) principi ſubiecti.
Tria habent loca, quas ſedes appellant, Kiſdy vide-

licet

licet, Orbay, & Scepſy. in his ſi quid de republica il-
lis tractandum occurrit, conuentus ſuos habent, in
iiſque Hungarica, non autem Germanica vtuntur
lingua.

NARRATIO QVAEDAM Chronica præcipuarum in Hungarico tractu rerum geſtarum. Cap. 27.

IAM verò res geſtas quaſdam inſigniores anti-
quitus, ordine ſuo atque annorum ſerie recen-
ſebimus, quæ in medio tractus huius Danubiani
ontigêre.

Hunni Scythia Aſiæ parte cùm propter ſoli ſte- *Anno Chriſti*
ilitatem tum propter hominum immenſam mul- 373.
itudinem relicta, & omni familia reque familiari,
œminis, liberis, pecudibus, iumentiſque ſecum du-
tis circiter 1000000. Hungariam inuadunt, in ea-
ue ſedes ſuas collocant.

Tempore Arcadij Imp. Hunni ſub Kevva rege
o atrocia bella cum Macrino præfecto Romano 401.
eſſerunt, eumque ſicut & Thetricum qui ſubſi-
o ipſi venerat, & multa Italorũ millia ceciderunt.
erierunt tamen in eo conflictu 40. Hunnorũ mil-
, cum Bela principe ipſorum, Keme, & Kadictia.

Attilam ſibi primum Regem elegerunt, qui &
ermaniæ (præcipuè tamen minori) & quàm plu- 428.
mis alijs Europæ nationibus ingentia damna in-
lerat.

Hunnos omnes quotquot Pannoniã tenuerunt 805.
arolus Magnus deleuit. Et quò tutiùs ſibi à futu-
damnis cauere poſſet, Arnoldum cognatum
um (qui & Imperator poſtmodo factus) Principẽ

Auſtriæ creauit. Vratislao verò inferioris Morau
principi Pannoniam ſecundam tradidit. hic Poſo
niæ vrbis (Presburg) conditor fuit.
900. Sunt qui certiorem Hungarorum originem fa
ciant: cùm quartò Hunni ex Scythia, hodie Tarta
ria dicta, atque vltra Tanaim ſita, in Poloniam ve
niſſent, tempore Arnulphi Imp. ſeſe reliquis Hun
norum amicis ſuis ibidem coniunxiſſe, vireſque au
xiſſe.
909. Naſcitur Stephanus, poſtea in diuorum numer
relatus, atque à ſancto Adelberto Pragenſium Epi
ſcopo baptizatur. patrem habuit Gayſcā ſiue Gey
ſen, qui omnium Hungaricorum Regum primu
fidem Chriſtianam amplexus eſt. Hiſce tempori
bus Theodatus princeps & exul Appulus Cœnobi
ſiue Clauſtrum religioſum cum pago adiuncto æ
dificat, quod de ipſius nomine lingua Italica Tha
ta corruptè vel contractè vocarunt, aliâ ijſdem fi
guris Dotis dicitur. eodem loco regalis ſanè arx in
menſis ſumptibus extructa fuit, quæ facilè omne
arces ac Principum palatia, quotquot noſtro tem
pore extant, ſuperaret: ab vno namque latere pro
fundo lacu 7000. paſſus lato ſtipatur, lucijs & ca
ponibus abundante. molas frumentarias intra ſ
nouem continet: anterior aulæ pars hypocauſti
ac cubiculis inauratis circumdata eſt. fornices aur
pretioſiſque lignis artificioſiſſimè elaborati. vtrim
que duo illuſtres pagi conſtructi, & totidem mag
nifica templa. Syluæ adiacent amœnæ, feris refer
tæ, haud procul à Danubio adhuc aliquot Roma
narum legionum monumenta conſpiciūtur. ab al
tero latere duriſſimis ſaxis cauatis duplici foſſa mu
nitur vallis altiſſimis cuſtodita.
954. Totum Hungariæ regnum ad Chriſtum conue
titur

itur;& inſigne templum à Stephano in monte Stri
gonienſi extruitur. præterea & monaſterium diui
Martini in monte excelſo: itemque ſummum tem-
plum in Alba Regali, ac plura inſigniora collegia.

Tihani ad lacum Balaton diui Aniani Clauſtrū 1059.
ab Andrea Rege ſupradicti Stephani cognato ædi-
ficatur, qui in eodem loco ſepultus requieſcit.

Bela Rex moritur, corpuſq; in pulcherrimo ſan- 1065.
cti Saluatoris monaſterio à ſe condito humi man-
datur. hic eſt qui Henricum 3. Imp. in tantas coëgit
anguſtias, vt Verthen montem relictis in eo armis
& clypeis deſerere cogeretur: vnde in hodiernū vſ-
que diem cognomen à clypeis monti remanſit,
Germanicè *Schiltberg*.

Geycza obijt, Belæ regis maximus natu: ſepultus 1080.
eſt in Vacia, Epiſcopatu à ſe fundato.

Diuus Ladislaus Rex è viuis excedit: hic Dalma-
tiam & Croatiam Hungariæ regno adiecit, & cum
Tartaris plura bella geſſit.

Infami morte perijt Colomannus Rex, cuius et- 1114.
iam vita flagitijs multis ac latrocinijs contaminata
fuit.

Andreas 2. moritur, qui armata manu Terram 1235.
ſanctam inuaſerat, & contra Babylonis Sultanum
feliciter pugnauit.

Tartarorum circiter 500000. Ruſſiam ac Podo- 1241.
liam totas deuaſtarunt: inde Hungariam petentes
Peſtiam vſque perueniunt, Belaque 3. Rex incautè
in caſtris ſuis inuaditur, habitu tamen gregarij mi-
litis euadit, inſigniumque virorum multi cæſi. Inde
ſecundum Danubium Tartarus pergit, Strigonium
obſeſſum etiam capit, vtriuſque ſexus homines tru-
cidans. triennio poſt in ſuam terram domum re-
uertuntur. Poſthæc Bela Rhodiorum equitum au-

xilio in Regnum reſtituitur.

807. Otho Bauariæ Dux fauore quorundam in Alba Regali coronatur: triennio fermè cùm regnaſſet, à Ladislao Tranſyluaniæ principe capitur, ſpoliatur, ac tandem Regno exuitur.

1399. Turcus Bulgariam Hungariæ Regno ſubditam cepit. Sigiſmundus Rex obuius ei fit, aliquam terræ partem multorum cæde recuperat. prælium commiſit in quo Chriſtianorum 20000. periére, Turcorum verò ſexaginta millia: ſuccubuêre nihilominus Chriſtiani, Rege vix elapſo. 1401. In Hungaria à ſubditis ſuis capitur, ſubinde tamen ſoluitur. 1409. Denuò à Turcis ſuperatur Sigiſmundus. 1410. Romanorum Imperator eligitur: duos in Hungaria ruſticorum tumultus compeſcit.

1438. Amurathus Turcorum Imperator Hungariam inuadit. Albertus qui & Rom. Imp. tunc temporis erat, obuiam ei procedit: è regione Peſtiæ caſtra cùm fixiſſet, in ijs profluuio ventris laborare cœpit. Viennam igitur redire cogitat, moritur tamen in itinere prope Poſonium in pago quodam Neſimel. huic quòd proles nulla virilis eſſet, diuturno diſſidio Regni cauſa Hungari laborant; atque interea Amurathes Raſciam capit.

Infeliciter cum Amurathe pugnat Ladislaus
1444. Rex, in commiſſo namque prælio & ipſe & Principes multi ac proceres cum triginta Chriſtianorum millibus cæduntur. Conſtantinopolis 300. Turcorum millibus à Mahumete 2. terra marique obſidetur. poſt ingentem verò ſuorum ſtragem, tanta accendebatur rabie, vt furioſi canis inſtar plangeret ac tremeret. Tandem verò toti exercitui vnius diei

Icit-

Ieiunium indixit & quietem: cui etiam vniuerſus miles obtemperabat. Poſt occaſum igitur Solis cùm iam ſtellis Cœlum inclaruiſſet, cibo ſe reficiunt, quieti proximum Solis Ortum expectantes. Exorto iam iubare, & extremum vale inuicem dictis, tanta animorum fortitudine & conſtantia oppugnationem aggrediuntur, vt non ante deſerant, quàm iam in certiſſimas manus ac poteſtatem redegerint totius Europæ nobiliſſimam Conſtantinopolim. Qua immanitate & barbarie ibi omnia vaſtarint, haud puto vllum Chriſtianæ pietatis hominem ſiccis oculis aut effari aut perlegere poſſe. Idem Mahumetes tredecim Regna & vrbes trecentas Chriſtianis triginta nouem annorum ſpatio quibus ſceptro potiebatur, eripuit.

Coruinus Rex, qui & Tranſyluaniæ princeps 1456.
(quem VVaivvoda vocant) fuit, hoc anno moritur. hic iam dicto Mahumeti magna rurſum intulit damna, ſæpiuſque feliciter cum eo conflixit.

Similiter & Matthias ſucceſſor eius proſpera in 1463.
Turcas fortuna vſus eſt, qui poſtmodum felix quoque fuit in Bohemis, qui contra ipſum inſurrexerant, oppugnandis: totamque penè Morauiam ac
Sileſiam in poteſtatem ſuam redegit. Olomizię eti- 1467.
am Bohemiæ Rex coronatur.

Idem Matthias Comaram dilapſam prius ar- 1472.
cem in Scythica inſula, reparat ac munit. eſt autem inſula hęc locus amœniſſimus viridarijs & piſcinis refertus.

Magna inter Hungaros ſeditio oritur: dum e- 1514.
nim plurimi ad expeditionem contra Turcam ſuſcipiendam ſe obſtrinxiſſent; induciæ interea

inter Selinum & Vratislaum pactæ fuêre. qui inſcri pti iam erant, à propoſito deſiſtere nolunt, ſed electo ſibi Duce quodam Georgio Zeck (ſtrenuo quõdam in Turcas Tribuno) in expeditione ne Hungariæ quidem parcunt. tandem verò deuicti immanibus ſupplicijs cum Zeckio ſuo necantur.

1521. Solimannus Hungariam inuadit, omnia crudeliſſimè vaſtat, vrbibus & caſtellis, Alba etiam Græca capta.

1526. Cùm denuò Hungariam ingreſſus eſſet Turca, Ludouicus Rex expeditionem in ipſum ſuſcipit, qui adactus eo, præſens pugnæ interfuit. infelix autem à Chriſtianorum parte prælium committitur ipſo die Decoll. S. Ioannis Baptiſtæ: circiter enim 19000. Chriſtianorum trucidati, inter quos primorum haud pauci. Rex dum fugæ conſulit, vnà cum equo ſuo limoſis paludibus inhærens miſerè perit.

1528. Mortuo iam Ludouico, de Regno Hungariæ inter ſe decertant Ianus Tranſyluaniæ Princeps, & Ferdinandus Caroli 5. Imp. frater. viribus inferior VVaivvoda (qui dicti belli auctor extitiſſe creditur) Turcorum Imperatoris Solimanni tutelæ ſe addicit.

1532. 26. Septemb. die Solimannus Viennam 200000. Turcis obſidet, viginti continuis diebus globorum ictibus eam verberando, crebraque oppugnatione 80000. virorum iacturam facit. propter hyemis quoque aſperitatem cedere caſtris tandem cogitur.

1537. Ferdinandus Rex collecto 8000. millia equitum, & mille 600. peditum exercitui, ducem quendam Catzianum præficit: qui tamen perfidè ad Turcas defecit, & ad ſimilem perfidiam cùm

Scri-

Serinenſem Comitem ſollicitaret, ab eodem captus carnifici decollandus traditur.

Agriam (vulgo Erla) Ferdinandus Rex capit, duce Salmenſi Comite, qui plura deinde præſidia hinc inde in Hungaria capit.

Fileck à Turcis capitur. Paruo tempore poſt pax inter Ferdinandum Imp. & Solimannum ſancitur, 1560.
vtrique parta grata ac tolerabilis, quæ etiam quàm diu ſuperſtes Ferdinandus permanſit, non vallicabat.

Ferdinando Imp. ex hac vita erepto, Maximilia- 1564.
nus 2. filius in Imperio ſuccedit. Poſtquam igitur bellum in Chriſtianos Turca ſuſcepit, varijs ab ijſdem cladibus afficitur, vrbibus & caſtellis quàm plurimis amiſſis. 20. Iun. Veſprimium à Chriſtianis obſidione cingitur, ac poſtridie capitur, omnibus ad quinque vſque Turcis trucidatis.

Iulio menſe Dotis à Salmenſi Comite recuperatur. 1566.

Præſidia Turcorum è Geſteſio & VVeyta in fugam ſe recipiunt. Suuendi tribunus parua ſuorum clade 1000. Tartarorum Hungaria expulit. Octennalis pax confirmatur, quę poſtea etiam prolongatur.

Durante adhuc pace, circiter ſex Turcorum mil- 1582.
lia territorium Sepſi inuadunt, incendijs ac ſpolijs intenti: in regreſſu tamen propter Agriam à noſtra tibus maxima ex parte cæduntur, ſpolijs omnibus exuti.

Sinam Baſſa collecto exercitu 11000. Turcorum, 1588.
cùm Hungariam totam depopulare ſibi propoſuiſſet, & Sixenſibus agris iam multum damni intuliſſet, à Clau. Ruſſello petitus, ſupra 2500. Turcorum iacturam facit; præter trecentos qui in Shayo flu-

mine ſubmerſi periêre. Succeſſu hoc animoſiores redditi noſtri, Turcorum poſtea terras aggrediuntur, Blavvenſtenium, Geſteſium, ac plures arces recuperant.

1593. Comitia in Pragenſi vrbe celebrantur, quòd certus veniſſet nuncius de bellico Turcorum in Chriſtianos apparatu impigro, 21 Octob. Ferdinandus Hardecchię Comes ſuburbia Albæ Regalis armata manu capit, plurimiſque ibi Turcis occiſis, incendio ea deſtruit.

8. Decemb. Sabarca à Friderico Teuffenbachio obſeſſa, ac poſtridiè capta eſt; in qua ſupra 250. Turcorum occubuère. 14. Decemb. Fileca in Chriſtianorum poteſtatem redit.

Menſe Aprili 15060. Turci à Budenſibus ſubſidio miſſi Hadvvanenſibus, à noſtris delentur. in eodem itinere Iaſprinum ab ijſdem recuperatur, Strigonium à Matthia Archiduce obſidione cingitur. Comaram Turca obſidet, re tamen infecta relinquere eam cogitur.

1595. 8. Ian. Amurathes Conſtantinopoli moritur; ſuccedit ei Mahumetes 3. filius eius natu maximus. Carolus Mansfeldię Comes ex Belgio accerſitus menſe Iun. circa Dotim 29000. virorum copijs ſpectatur, traditionem muniminis eius ſibi poſcens. Inde caſtris motis ad Strigonium peruenit. 2. Iul. Ratzenſem vrbem ſine omni moleſtia capit.

4. Iul. propugnaculum in monte S. Thomæ locatum ipſi cedit.

Gockarn munitio inſignis è regione Strigoni armata manu à noſtris capitur. Turca 16. virorum millibus Strigonio auxilium ferens à Carolo Manſfeldiæ principe ſternitur.

10. Auguſt. Inſulam Vizzen noſtri inuaſerunt, opi-

opimis inde ſpolijs ſecum ablatis. Vrbs aquatica à noſtris vi capitur, in qua circiter 600. Turcorum trucidati.

3.Septent.Munitiſſimum illud Strigonium deditione in noſtrorum poteſtatem peruenit, in qua mille & quingenti Turci, omnes viri militares inuenti: hi cum liberis & vxoribus, ſuiſque cuiuis ſarcinis, quatenus dorſo ab eis geſtari poterant, demiſſi ſunt. atque ita demum in Chriſtianorum manus redijt propugnaculum hoc celeberrimum, poſtquam quinquaginta duobus annis Turca illud tenuit.Iauernum ab Adolpho Svvartzenburg.ſtratagemate forti ac felici capitur; ob cuius victoriæ 1598. felicem euentum, epigramma hoc illi gratulatorium poſuimus:

Monte ſuum à Nigro ducens cognomen Adolphus,
Natus Agrippinas,patriæ decus, vnica ſtirpis
Gloria, Pannonicæ cladis fortiſſimus vltor;
Senſit vt in capto Iauerino Turcica pubes.

AMPLISSIMI MOSCOVIAE DVcatus deſcriptio. Cap.28.

VNiuerſum Moſcouiæ imperium longè lateque extenditur, atque totam nunc occupat Ruſſiam, Polonia & Lithuania exceptis, quæ aliquibus etiam ſub Ruſſiæ imperio comprætenduntur. Incidit autem partim in Europa & partim in Aſia:quam diſcretionem Tanais fluuius qui regionem hanc præterlabitur,efficit. & terminatur quidem à Sept. Mari glaciali: ab Oriente in Meridiem reflectendo Tartaros attingit: à Meridie Lituanos finitimos habet: ab Occidente verò Liuoniam contingit,atque etiam Finlandiam regionem Volna fluu. diuiſam,quæ ad Suetiæ Regem ſpectat.

Nomen

Nomen ſortitur à regione illa in meditullio Ruſſiæ Albæ ad Septentrionem, Orientemque exporrecta, quæ proprio & peculiari nomine Moſcouia nuncupatur; & caput ac metropolis eſt cæterarum regionum, & ciuitatum Moſcouiæ duci ſubiectarum. Ruſſiæ autem pars Muſcorum Duci ſubiecta, Alba Ruſſia dicitur: quæ verò Polonorum Regi ſubeſt, Nigra Ruſſia. quamuis & Poloniæ Rex Albæ Ruſſiæ partem poſſideat.

Regionis qualitas. Eſt autem hæc regio in vniuerſum paludoſa, lutoſa, humida, ac parum fertilis ob immoderatam & aſperam aëris temperiem, & agrum arenoſum. vnde ſegetes aſperrimo frigore diuturnæ hyemis rarò matureſcunt, ideoque in hypocauſtis manipulos deſiccant: frumento tamen, oleribuſque communibus abundat. vitem non producit, neque oleam; & ceraſis ac nucibus, præterquam auellanis, caret. aliorum generum fructus profert, verùm inſuaues. Eſt autem in ſuperiori eius parte nemoroſa, ſyluiſque immenſis obſita, quarum arbores celſiſſimæ ac denſiſſimæ ſunt, quæ quidem ſunt Hercyniæ partes: in eis autem mirum in modum fera animalia maiora ac optima venantur, qualia ſunt vri, alces, cerui, vrſi, lupi, & lepores præſertim, aliaque huiuſmodi, quorum pelles in varias Europæ vehunt regiones, inter quas nonnullæ precioſiſſimæ ſunt, caroque venduntur pretio. Parua habet pecora, & longè noſtris minora. abundat apibus, quæ non in aluearijs ſolum modo manufactis mella congregant, ſed & nemorum arbores cauas melle replent; vnde præcipuum quæſtum ex cæra & mellæ faciunt incolæ. Nobile quoque linum & cannabis in reſtes ex Moſcouia in omnem Europę partem aduehitur. Nulla auri, argenti, vel alterius me-

Apium magna copia.

talli

talli vena, ferro excepto, in hac regione reperitur. Preterea regionis huiuſce Cœlum adeò ſalubre eſt, vt ibi vltra Tanais fontes Septentrionem & Orientem verſus nulla vnquã peſtis ſęuiat; etſi morbum haud diſſimilem habeant Galorem ab ipſis vocatum, qui inteſtina & caput infeſtat adeò, vt paucis diebus pereant. Regio porrò hæc vndique ferè ab innumeris fluuijs irrigatur, inter quos multi egregij ac memorabiles ſunt, tum nauigatione, tum magnitudine ſua, tum etiam piſcium copia quibus affluunt. Horum præcipui qui vel iſthic ortum ducunt, vel regionem ipſam præterlabuntur, ſunt Boryſthenes, Turuntus ſeu Duina, Rha ſeu Volga, Tanais, & Occa. *Fluuij.*

Boryſthenes nunc vulgò Dnieper, & Dneſter appellatur, qui licet Herodoti ſeculo ignotos habuerit fontes; nihilominus conſtat hodie eum prope Dnieperko Moſcouiæ pagum oriri, in ſylua VVolconzki; hic autem verſus Meridiem incedendo Smolensko primò oppidum, deinde Kiouian atque alias vrbes & oppida alluens, multis ſubinde amnibus adauctus, in Euxinum pontum exoneratur. *Boryſthenes.*

Turuntus Ptol. nunc Duina, non longè à fontibus Boryſthenis in eadem ſylua, & Rigam Liuonię alluens, ad mare Balthicum aquas mittit. *Duina.*

Rha Ptol. nunc Volga & Edil, ortum habet à lacu eiuſdem nominis, qui 25. miliaribus à Moſcouia abeſt verſus Lithuaniam. Fluuius is longo curſu & multis flexibus ac gyris incedens, multoſque fluuios in ſe recipiens, in mare Caſpium 70. plus minus oſtijs exoneratur, non procul ab vrbe Citracham. *Rha.*

Tanais, hodie incolis Don, & Italis Tana, fluuius *Tanais.*

eſt

eſt famoſiſſimus, qui Europam ab Aſia diſtermi nat. oritur autem non ex Ryphęis montibus, vt quidam opinati fuère, ſed in ſylua quadam ex lacu ingenti, non longè à Tulla vrbe ſito, à quo etiam lacu Scat fluuius magnus in Occidentem diſcurrens & in Occam confluens emergit. Tanais igitur fluuius ex Moſcouia fluens longo tractu primum incedens in Meridiem reflectitur; & paludes efficit quas Mæotidis vocant. Abundat autem optimorum piſcium, varietate, & amęniſſimas habet ripas, herbidas, radicibus ſuauiſſimis, arboribuſque fructiferis ad inſtar horti conſitis, vbi mira ferarum copia. Tradit Herbeſtenius fluuium hunc autumno ſolùm, quando pluuijs augetur, aquis abundare, vt oneratas naues ferre queat. Ab huius fluuij fontibus vſque ad eius oſtia terreſtri recto itinere computantur 80. ferè miliaria Germanica; ſed multò plura ſunt ſequendo fluminis tortuoſitates & flexuras.

Occa. Occa fluuius exoritur in Mſceneck prouincia, quam in formam ſemicirculi claudit, & nulla oppida præterlabens, tandem infra Nouogardiam inferiorem Volgam ingreditur. Campos autem quos alluit, fertiles reddit, & nobiliſſimus imprimis eſt piſcium copia, qui cæteris Moſcouiæ præferuntur. Sunt præterea iſthic multi lacus, quorum nonnulli ampliſſimi ſunt: nam præter Volgam, Duniam, &
Ilmen lacus. alios, à quibus prædicti emanant fluuij, eſt Ilmen lacus, Ruthenis Ilmer, ſupra Nouogardiam magnam, cuius longitudo eſt duodecim miliarium Germanicorum, & latitudo octo.

Deinde Ladoga lacus, cuius latitudo eſt 60. mil. & longitudo centum; in quo pleræque ſunt inſulæ diſperſæ; & Lacus Albus, incolis Bieloyeſero, qui duo-

duodecim miliaria in longitudinem, & totidem in latitudinem protenditur, in quem 360. fluuij exonerantur, non longè à quo lacus abeſt ſulphur proferens.

DE MOSCORVM CONDITIOne ac moribus. Cap. 29.

MOſcouitæ vtplurimum ſunt robuſti & celeres, ſtatura potiuntur mediocri, at quadrata & toroſa valde: cæſios oculos, prolixam barbam, crura breuia, & ventrem extenſum habent: tunicas oblongas ſine plicis ad talos demiſſas, manicis ſtrictioribus Hungarorum ferè more geſtant, præcipuè autem lazurini, vel ab albi coloris: ocreas maiori ex parte rubeas, eaſque breuiores genua non attingentes, quarum ſoleas in digitis paululum erectas clauiculis ferreis muniunt. omnes tamen nunc, & ſinguli veſtes tantummodo ſuę conditioni congruentes ex præſcripto Ducis induunt. Illorum arma ſunt pharetra ſagittis referta, arcus, telum, ſecuris, framea, cæſtus, cultelli oblongi, quibus frequenter pro pugionibus vtuntur. lanceis etiam vtuntur pedites: muniuntur etiam loricis oblongis, thoracibus, & galeis: equis vtuntur caſtratis & paruis, leuiſſimis frenis ornatus, equitantq; contractis admodum cruribus, & peritiſſimè, vel auerſi & fugientes ſagittas emittunt; qui quamprimum fugam arripiunt, nullam ſalutem cogitant præter eam quam ex fuga habere ſperant: compræhenſi ab hoſtibus, nec ſe defendunt, nec veniam precantur. *Moſcorum arma.*

Pręterea miſeram ducũt vitã tum cibo, tum potu: *Moſci bibunt aquam ceſ-*

aquam enim, ceruiſiam, & medonem bibunt; omniſque potus inebrians illis prohibetur graui mulcta, quòd bibaciſſima gens ſit: nec niſi bis aut ter in anno inebriari conceſſum illis eſt. Miſerrima quoque ſeruitute & tyrannide opprimuntur: nobiles enim & magnates à Magno Duce; plebei verò & coloni à nobilibus grauiſſimè premuntur. id verò à natura ipſa inditum habent, vt contumelijs varijs ſe inuicem afficiant, mutuiſque conuitijs ſeſe laceſſere ſtudeant, ac qualibet de cauſa ſeſe iuſtè vel iniuſtè accuſent. interdum etiam res proprias vnus in alterius domum clam imponit, quò eaſdem ab ipſo ſibi ſublatas ſuſpectus fiat, vel à iudicibus condemnetur.

Barbari ſunt & perfidi, vt nihil ſinceri apud eos ſit, nec ſe vnquam vero ac naturali amore perſequuntur, imò nec apud eos vlla fides ac ſanguinis reuerentia datur. nam pater in filium inſultat, filius in patrem & matrem irruit. Sunt etiam aſtuti, & fallaces, fluxa in primis in contractibus fide, cuius rei ipſimet conſcij ſunt, dum ſeſe non Moſcouitas eſſe, ſed aduenas inſimulant, quò maiorem fidem obtineant, quando cum exteris commercia tractant. Apud hos etiam omnis iuſtitia venalis eſt, ac ferè palam. nec pauperibus patet aditus ad principem, ſed ad ipſos tantùm conſiliarios, idque difficilimè; quin imo nec ſine difficultate, ac labore pauperes & ignoti ad vulgares nobiles accedere poſſunt: qui vel hoc nomine rarius in publicum prodeunt, quo maiorem authoritatem ſuique obſeruantiam acquirant.

Egregia ſanè aſtutia.

Gentes Moſcouiticę & Ruthenę Græcorum ſuſceperunt Religionis ritum, anno Domini 987. vel vt alij ſcribunt anno 942. cùm prius gentilium

deos

deos colerent. in ea ad hunc vſque diem vnanimi-
er conſtanterque perſeuerant, quamuis temporis
ucceſſu multas illi addiderint ſuperſtitiones. Me-
ropolitæ Ruthenorum authoritatem à Patriarcha
Conſtantinopolitano habent,neque amplius Epiſ-
oporum, ac totius Ordinis Spiritualis conſenſu &
uffragijs Metropolitæ ipſi eliguntur, ſed duntaxat
uthoritatem hanc magnus Dux Moſcouiæ ſibi aſ-
uit, qui proprio tantùm iudicio Metropolitam in
Moſcouia conſtituit. Archiepiſcopi in toto Impe-
o Moſcouitico ſunt duo: vnus Nouogardiæ ma-
iæ,alter Roſtouiæ.Epiſcopi autem multi ſunt, vt
ermienſis, Suſdalienſis, Tuuerenſis, Columnien-
, Cernigouienſis, Rezanenſis, Pleſouienſis, &c.
oriantur Rutheni ſe ſolos cum Græcis Chriſtia-
s veros eſſe; Romanos verò, alioſque Chriſtia-
s damnant, & execrantur tanquam primitiuæ
cleſiæ deſertores, & ſeptem ſanctarum Synodo-
n præuaricatores. Illyrica lingua & literis ſicut
aui,Dalmatæ,Poloni,& Lithuani vtuntur,& ſa-
ſua peragũt lingua Sclauonica, inter mixtis ali-
ndo cantionibus Græcis,Epiſtola, & Euange-
. Iudæorum genus vel memoria quidem hor-
t, nec eos intra fines admittunt.Putant grande
nefas,morteque piandum, qui vitulum macta-
vel eo veſci auſus fuerit. Prouincia particularis,
Ducatus Moſcouiæ poſitus eſt inter Græcole-
tem,&Tramontanam,longeque ac latè exten-
r.Complectitur enim ab Occaſu ad Ortum mi-
a Germanica circiter 600. In hoc Ducatu ſunt
o. Boiari ſeu Nobiles equeſtres, qui ſemper oc-
one belli parati ſunt iuxta velle Principis, qui-
ulla ipſe Princeps ſtipendia largitur; ſed agros
xiguo pretio elocat, quo beneficio operā mi-

Status Eccleſiaſticus.

Moſcouiæ Ducatus.

Militum numerus. litum demeretur. Ex hoc autem Ducatu conſcri bere poteſt magnus Dux 60. vel 70. millia pedi tum. in expeditione autem bellica conſcripti om nes milites coram magno Duce ſinguli compa rent, ac vnuſquiſque ipſorum vnicum dat Princi nummum, vulgò Denga vocatum. Reuerſi auter ex bello, numiſmata illa à Principe redimunt: qu quidem ex numiſmatis retentis occiſorum num rum agnoſcit. Porrò hęc prouincia tam valido cla ditur præſidio, vt nedum aduenæ, ſerui, aut captiu verùm nec indigenæ abſque literis & Ducis licer tia egredi poſſunt. Huius Ducatus, imò totius Ru ſiæ Albæ magno Duci ſubiectæ caput & metrop lis eſt, maxima illa ciuitas Moſcouia, quæ vnà cu regione nomen ſortitur à fluuio Moskuua eam p terlabente, qui in Triuerenſi prouincia, non long *Moſcouia vrbs.* Moſaisko oppido exoritur. Arx magna Ducis, palatium in loco plano & vrbis meditullio ſita ſeptendecim turribus, tribuſque propugnaculis m nita, vbi ipſe magnus Dux cum ſuis ſatellitibus ginti quinque ferè millibus numero moratur. Ip verò vrbs lingnea ferè omnia habet ædificia, & l toſa. admodum eſt ampla, nec vllo certo termi contenta; neq; muro, foſſa, propugnaculiſve cōn dè munita: domos cōplectitur 41500. & plateas bet multas, ſed diſperſas: latiſſimi enim cāpi inter cēt. Longiſſimus dies in Solſtitio æſtuali eſt in ci tate Moſcouiæ 18. propè horarum, qui in tota M couiæ regione parum variat. Sunt autem cæte prouinciæ & principatus quibus ampliſſimus h Ducatus partim iuſta ſucceſſione, partim vi fraude adauctus eſt, hæ ſequentes: Volodimer Nouogardia inferior, Rhezan prouincia, VVor nenſis ducatus & Seuera prouincia, Smolenski

cat

catus, Moſaiski ducatus, & Biela principatus, Ruſchouia, Tuner, Pleſcouia, Nouogardia magna, Bieleiezioro ducatus, VVolochda & Vſtyug prouinciæ, Iaroslauiæ ducatus, Roſtouu principatus, Diuina prouincia, Susdali principatus, VViathka prouincia, Permia prouincia, Iugra regio, Petzora regio, Czeremiſſi, & Mordua. *Regiones ad Moſcouiam pertinentes.*

POLONIAE REGNVM.
Cap. 30.

POlonici nominis originem tradunt à planis campis, quos Pole ipſi vernacula lingua vocant. Dicunt enim ex Croatiæ populis in Dalmatia duos egreſſos eſſe fratres, Zechum & Lechum, quorum hic verſus Orientem & Septentrionem tractum tenuerit, vbi planities latuſque campus erat, ex eoque Poloniam terram nominaſſe. Hi itaque eiectis Vandalis, qui hoc loci olim habitarunt, hunc tractum occuparunt. Erant autem Vandali VVigevvonum populi, à Vandalo Tuiſconis & Manni nepote ſic dicti, quem apud Tuiſcones imperaſſe refert Beroſus, tempore Altadis duodecimi regis Babyloniorum; à quibus & Vandalus flu. quem Viſtulam hodie vocamus, dictus eſt. Eum namque Vandali à fontibus ad oſtia vſque accoluerunt, ac inter Sarmatas Europæos commemorati fuêre. quanquam hoc controuerſum facit Eraſmus Stella, qui Peucinos Baſtarnaſque eadem loca tenuiſſe refert. Diuiditur autem Polonia in duas partes, quarum quæ Saxonibus Teutoniſque vicinior eſt, Polonia maior; altera Hungariæ ac Ruſſiæ obiecta, minor vocatur. Regnū vniuerſum velut in quatuor regiones diuiſum, *Diuiſio Poloniæ.*

quas in orbem Rex quotannis inuiſit: ſingulæ te[illegible] nis menſibus aluntRegem, regiumque comitatum. Complectitur minor Polonia Viſtulæ fontes, a[illegible] Cracouiam celebrem & ampliſſimam vrbem, i[illegible] qua Regia eſt, totiuſque Regni gaza: Rundiſſa flu[illegible] vrbem circumluit, & aquæductibus etiam perlui[illegible] ſita verò eſt Cracouia ad Valuelum montem, i[illegible] cuius ſummitate regia arx eſt; floretque Academi[illegible] celebri, quam primùm quidem Hedvvigus & Caſ[illegible] mirus reges fundaſſe, Vladislaus autem anno 140[illegible] reſtauraſſe ac perfeciſſe dicuntur. Maior autem Po[illegible] lonia complectitur famatiſſimas vrbes: Gueſnam[illegible] quam Lechus ædificaſſe ibidem in planitie dicitu[illegible] cæteræ ciuitates parum nitidæ ſunt, ex maceria do[illegible] mus ferè omnes compoſitæ, pleræque luto collin[illegible] tæ. Regionis aër purus, ſed frigidus rigenſque, a[illegible] ſeueræ hyemis: plaga autem eius paluſtris & nemo[illegible] roſa, plana, rariſſimiſque montibus conſperſa. ſo[illegible] lum ferax, triticique abundans, nec minus hord[illegible] leguminumque. Verùm nec olearum, nec vineto[illegible] rum patiens, ob rigidum vicinum Septentrionem[illegible] ideoque etiam genti ignotus omnis vinearum cul[illegible] tus, ac rariſſimus vini vſus, cùm bibaciſſimum ſi[illegible] hominum genus, vt totus Septentrio. Factitia ex tr[illegible] tico aliiſque generibus ſeminum potio eſt in vſu[illegible] Eſt & paſcuis idoneum ſolum, armenta latè paſcun[illegible] tur, vnde lacte, butyro, carne, ac id genus eduliis ab[illegible] undant. Mirum autem cur totus hic tractus in Scy[illegible] thiam vſque adeo apibus abundet, vt ceræ melliſ[illegible] que nuſquam maior copia ſit. nec artem ibi expe[illegible] ctant, nec induſtria iuuari volunt, ſibimet aluearia intra roborum excauata latera conſtruunt, adeo vt grauiſſimas hyemes iuxta facilè ferant. Eſtque hæc terra planè ſuis prædita floribus, & per æſtiua nul-

Regionis qualitas.

Apium abundantia.

los

os magis Sol aſpicit, quando longiſſimus eſt dies,
ui animali ad labores nato breuibus vmbris ope-
m intercipit. vnde hîc mellis ceræque copia tam
gens, vt non ſatis his Polonis atque Ruthenis lo-
ſuperſit quibus illa recondant: arbores namque
nnes & ſyluæ aluearibus mellificantium nigri-
nt. Venatio præterea Polonis multiplex eſt: eius *Variæ Polo-*
um nemoribus gignitur equus ſylueſtris cornu *norum feræ.*
ruino, Bos ferus, Romani vrum vocant biſon-
mque. Aucupium ibi largum, piſcatioque diues.
cis reſinæque quotannis ibidem collectæ ingens
erum. Regio omnis nobiliſſimis fluminibus riga- *Flumij Polo-*
r, quorum primum eſt Viſtula, inde Chronus *niæ.*
em Pregel nunc accolæ vocant; hunc ſequitur
emien ex paludibus ortus prope Kopiolauu:
ſt eum Rubon fluu. in Lithuania ortus. Viadrus
oque quem Oderam nunc dicunt, fontes ſuos
loniæ debet, quos iuxta Odri nomine vicum cer-
e licet. nec procul ab his Vartę flu. fontes viſun-
iuxta Crumlauu vrbem. Tyras autem quem
eſter nunc vocant, in Premislia ortus, verſus
rum trahitur, ac ponto Euxino miſcetur. Hypa-
autem flu. Bugh hodie dicitur, ex palude oriens,
d ita procul ab Oleska vrbe, ac VViſtulæ non
cul à VVyſchigrada miſcetur. Boryſthenes au-
, vt ſupra diximus, ex vliginoſo Moſcouiæ de-
o prolabens, in Euxinum quoque pontum de-
gitat. prętèr hos ignobiliores multi allabuntur.
ntes ferè nulli ſunt, præterquam qua in Meri-
m vergit, & ab Vngaria Sarmaticis Carpathijſ-
montibus, quos Tatri incolæ vocant, dirimi-
. Syluis omnis penè regio obducitur, quæ om- *Syluæ.*
Hercyniæ portiones ſunt, vnde vicinis Germa-
fraxinos ingenti copia miniſtrant. Plumbi me- *Plumbum.*

talla ingenti fodiunt abundantia. Cupri quoqu particulæ crebræ apud Premisliam vrbem reper untur, cui tamen minimè inſidiantur. nec auri m neræ illis defuiſſe creduntur, ſi eius venæ inquirar tur. *Salis fodinæ.* Salis fodinæ hîc binæ extant, altera Bochni vrbe, quatuor à Cracouia miliaribus diſſita: alter Veliſci quam Vielitzham vocant, quinque ab e dem Cracouia miliaribus diſtante. Veliſci quider leuiori opera omnia conſtant. Bochniæ magnus i extrahendo labor eſt, cùm quòd multis in locis e trahitur, tum etiam quòd ex altiſſimis foſſis, int rim per cuniculos trahitur, interim machinis ſul tus fabrefactis, attollitur; donec hac vel illac vari flexu per cryptas prouolutus, & ſexies minimur ſubterraneis illis machinis ſublatus, demum ad ſi premi introitus fauces conuoluitur, vt claram i lucem attollatur. Cumque Veliſci foſſæ ſint præte cameras, alicubi octo cubitis, multis interim lon gioribus; conſtat Bochniæ præter primarum fau cium immanem profunditatem in altiſſimam fo ſam octoginta ſcalarum altitudinem, durare, & quotidie fieri altiorem, innumera Salis exciſa co pia. Bochnianæ glebæ puriores ſalſioreſque exiſti mantur; vtrobique per reliqui ſalis rupes venę quę dam euagantur pellucidę, & Chryſtalli modo niti dæ, ſalis gemmæ (vt recentiores cognominant) cu *Salis gemma.* ius precipuus eſt in medicinis vſus. Apparent & ve næ extincto carboni nigrore ſimiles, quarum ma teriam, aurei pondere contritam & modico vin ſumptam, aluum ſoluere aiunt. Mirum verò inte tot fœcundæ naturæ miranda opera ſpectaculum, tanta altitudine ſolidos ſalis demitti montes, & cu niculis in tanta ſpatia adactis, ad lucernarum lumi na moles ſubterraneas excauari. nullus illic dies

nulli

ulla nox, ſed vmbræ tantùm ſine Cælo. Veliſci
on rarò ingentium ſeſe temporum ſpecie cameras
fferunt, immanibus Salis columnis extantibus,
uibus ſuperiora ſolido & ipſa concreta ſale ceu
ornices quidam ſuſtinendis montibus enati, im-
inent; grauiſſimo ſeſe pondere, admirabili qua-
am operariorum induſtria librante. Bochniæ mil-
: quingentorum pondo Germanicorum graues
icæ extrahuntur, & interdum maiores cædi a-
int.

Hæc autem Romana pondo tria millia æquant. *Ollæ ſpontaneæ.*
ſt & in hac terra aliud naturæ miraculum, quæ a-
ud Nochouu & Paluky oppida ollas ſua ſponte
ngit formatque, quæ è terra extractæ ac ſiccatæ,
ti factitiæ ollæ vtiles ſunt. Sulphuris prætereа hîc *Sulphur.*
enæ ſunt plurimæ, cùm thermæ nullæ ſint.

OSVVIECZENSIS ET Zatorienſis ducatus.

Cap. 31.

HAEC ampliſſimi Poloniæ regni pars eſt, ab ea videlicet parte qua Sileſiam attingit: olim verò ad hoc regnum non ectabat, ſui enim iuris erat. Poloniſque regibus on parebat.

Oſvvieczenſis quidem ducatus ad Polonos per-
enit annó Salutis humanæ milleſimo quadrin-
enteſimo quinquageſimo quarto, ſub Caſimiro
rtio.

Zatorienſis verò annis circiter 100. poſt illa tem-
ora, ſub rege Sigiſm. I. anno nimirum reparatæ

 ſalutis

ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſim
octauo, Poloniæ regno incorporatus rurſus erat
idque iure armorum: vt in hiſtoria ſua Polonica te
ſtatur Cromerus. Vrbs autem Zator (quæ Zato
rienſem Ducatum facit) fluuiolo Skavvæ imminet
qui itidem Viſtula abſorbetur. Sitę ſunt autem pro
uinciæ hæ inter Viſtulam fluuium & Carpathum
montem, qui & Sueuus dicitur, æriſque rubri fœ
cundus eſt, quod Vngaricum vocant. quin in eo
dem etiam monte argentum effodiunt: reliquarum
idem minę rarum copiam præbet. Eſt autem mon
vaſtiſſimus, ac per Sileſitas Morauanioſque in Pan
noniam Sarmatiamque protenditur. Viſtula autem
(Germanicè die VVeixel) Poloniam à Germania
ſeparat, atque olim (vt ſuperiori capite diximus)
Vandalus appellatus fuit. Atque hîc dubitari poſ
ſet, fluuius ne à Vandalis populis, an verò populus
à fluuio nomen ſuum mutuarit. ſi fides adhibenda
eſſet dubiæ cuiuſdam hiſtoriolæ, cuius in Coſmo-
graphia ſua mentionem facit Munſterus, vbi ait
Vandalos nominis ſui etymologiam deducere à
Vanda quadam Poloniæ regina, quam pro aſſecu-
ta contra Teutones victoria fabulantur dijs ſeip-
ſam immolaſſe, de pontę in Viſtulam ſalijſſe, & ab
aquis ſuffocatam vno miliario à Graccouia; vnde
fluuius in quo eſt ſubmerſa, dictus eſt Vandalus.
Hac de re lege Vandaliam Crantzij. Huius autem
Vandæ Sabinus quoque meminit in nuptijs ſuis
Polonicis, elegantiſſimis hiſce verſibus:

Carpathus mons.

Subit ſcelerato Vanda tyranno,
Quæ cùm mille procis, quòd erat formoſa, place-
ret.
Innuba virgo tamen caſti ſine labe pudoris
Manſit, & ætatis ver intemerata peregit,

At

At non fœmineis calathis, non dedita molli
Illa fuit lanæ: duris aſſucta ſed armis.
Figere terribilem longis palcaribus vrſum,
Frendentemque ſuis excire cubilibus vrſam.
Martia ſi quando fremuerunt claſſica belli
Laudibus inſignes æquauit & Heroinas.
Quippe Boryſtheniden, debellauitque Gelonum,
Binaque magnanimo cum Teutone prelia fecit.
Corniger ardebat victricis amore puellæ
Iſtula cumque ſuo vidiſſet in amne lauantem,
Mollibus excipiens amplexibus abſtulit illam
n vitreas ſedes, thalamique in honore locauit.

Idem etenim fluuius quondam Iſtula dictus fuit, tem Viſula, Inſtilla & Inſtula: is in Carpathijs Sar- maticiſque montibus ortus, qua in Iáſyges & Mar- omannos Polonia imminet, in Codanum egredi- ur non vno oſtio, & ampliſſimo antequam Dan- ſcum attingat, alueo, vbi mira piſcium copia. at- ue hic totius Poloniæ nobiliſſimus eſt fluuius. nã priuſquam Cracouiam peruenit, multi eum am- es influentes augent, vt ſunt Biaha fluuius, Sala uuius qui & ipſe Koſſoraba fluuio auctus, haud rocul ab Oſvvieczenſi vrbe Viſtulæ confluit. inde kavva fluuius & Skavvinka è regione Cracouiæ, perpauci alij. atque hi quidem ex Meridionali tã- m latere proueniunt. ex Septentrionali tantùm tere augetur Viſtula ſupra Cracouiam Korzeni- za, Goſtinia, & Czerniechovvicza fluuiolis. Ad put autem Viſtulæ fluuij, Morauiæque conter- ina, iuxta Carpathum montem Teſchnenſis eſt tio, quam Luti Burijque olim habitarunt. Ab Oc- dente Ducatus hi Sileſiam contingunt, à Meridie ungariam, inter Meridiem & Occidentem Mora- am reſpiciunt, ab Oriente & Septentrione reli-

quam Poloniam. Quę præterea de incolarum moribus, terræ qualitate aut fertilitate dici poſſent, ex ſuperioris Capitis, Poloniæ nimirum deſcriptione abundè ſatis promere licebit. ſiquidem ambo hi Ducatus (vt ſupra quoque monuimus) ad ampliſſimum Poloniæ regnum ſpectant, eiuſque pars ſunt.

LITHVANIAE DVCATVS.
Cap. 32.

Lithuania regio latiſſima, Moſcouiæ proxima eſt, & habet ad Ortum illam partem Ruſſiæ quæ magno Duci Moſcouiæ paret. ab Occaſu habet Podlaſſiam, Maſouiam, Poloniam, & aliquantum deflectens ad Septentrionem Pruſſiæ fit contermina: reſpicit verò à Septentrione Liuoniam & Samogitiam: & à Meridie Podoliam, & Volhiniam. Eſt autem regio hæc magna ſui parte paluſtris, ſyluoſa, & nemoroſa, & ob eam rem difficilis aditu. lacus ampliſſimos, qui in aliquibus locis mari aſſimulantur, & fluuios multos habet nauigabiles, & hyberno tempore magis à mercatoribus frequentatur; paludibus enim & ſtagnis alta glacie concretis, niueque ſuperinfuſa commodum ſatis ipſis fit iter, vnde veluti alto mari (cũ nulla certa ſit via) ſidera ſignant ipſis iter. Porrò Cęlũ habet inclemens: animalia omnis generis parua producit; & feras habet pręter eas quæ in Germania reperiũtur, Biſones, Vros, Alces, quos alij onagros vocant; equos item ſylueſtres, aliaq; ſimilia fera. Frumentũ abundè præbet, ſed panẽ non cribratum & nigricãtem incolæ comedunt: ſeges verò ad maturitatem rarò peruenit; vinique rariſſimus eſt vſus. Sale ca-

Lithuania aquoſa & paludinoſa.

ret,

ret, quod venale ex Britannia habet. Lithuani præterea ex pecoribus & pellibus variorum ſyluestrium animalium, vt ſunt Zebellini, & Harmelini, quæſtum faciunt: & ſic quoque ex melle, cera, & cinere, quæ magna ab eis copia Gedanum, deinde in Hollandiam deferunt. Picem quoque & aſſeres ad fabricandas naues ſatis copioſè colligunt. & omnis illa roborea materia, ex qua in Germaniæ inferioris, & Belgicæ maritimis regionibus vniuerſa ferè lignea opera Architectonica tam publica quàm priuata fabricantur, ex hac regione cæſa ad eos per Balthicum & per Germanicum mare aduehitur.

Merces præcipuæ Lithuanicæ.

Cæterùm gens hæc miſera eſt, & graui ſeruitute oppreſſa, maximè in villis & pagis; & veſtitu vili eoque vtplurimùm cineritio vtitur, & ſermo eis eſt, vt Polonis, Sclauonicus. Ante Iagelli magni Lithuaniæ Ducis tempora, alij ex Lithuanis ignem, quem continuò accenſum conſeruabant, alij ſolem, ſyluas, & ſerpentes adorabant: ſed cùm præfatus Dux in Poloniæ Regem coronaretur, anno ſalutis 1386. baptizatus fuit, nomenque ei datum Vladislai, & ſequenti anno tota Lithuania, relicta idololatria, ſanctiſſimam Chriſti fidem amplexatur, & Regno Poloniæ incorporatur. Diſſoluuntur à Lithuanis facilè matrimonia mutuo conſenſu, & denuò ac denuò nubunt: & inter ſe matronæ palam concubinos habent maritorum permiſſu, quos connubij vocant adiutores: contra pellicatus viris probro datur. cùm quis fortè ad mortem damnatus fuerit, de ſeipſo iubente Domino ſupplicium ſumere, ſuiſque manibus ſe ſuſpendere cogitur: quod ſi recuſauerit, tantis per minis & verberibus exagitatur, donec mortem ſibi inferat.

Incolarum mores & conditio.

Lithua-

Lithuania diuiſio.

Lithuania porrò maxima eſt, continens in ſe multos Ducatus, regiones, & prouincias, atque diuiſa eſt in Palatinatus, & diſtrictus certos, non ſecus ac Polonia, vt ſunt Palatinatus Vilnenſis, Trocenſis, Minſcenſis, Nouogrodienſis, Breſtienſis, Kiouienſis, & alij, qui pro Ducatibus computari poſſunt. ſunt tamen in eis rara oppida, & villarum incolatus frequens. Caput verò regionis & metropolis eſt Vilua, Epiſcopalis ciuitas, quæ magnitudine ſua Cracouiam cum omnibus ſuis ſuburbijs adæquat. in hac eſt dies maximus horarum 17. cum octaua circiter horæ parte, nec in tota regione datur maximus dies minor horarum 16. cum ſexta parte, & in extremo regionis ad Boream ſit dies paulò minor horarum 18. Eſt & Nouigrodum vrbs hodie in Lithuania, quam aiunt maiorem Roma eſſe; nam cōplectitur in circuitu ſuo 7. miliaria Germanica, cùm Roma duntaxat ſex habeat & dimidium.

Novigrodum Româ major.

LIVONIAE DESCRIPTIO,
Cap. 33.

Liuonia nobiliſſima eſt prouincia & ampliſſima, quæ iuxta mare Balthicum in longitudinem 125. Germanicis miliaribus expanditur. Hanc autem Prutheni, Lithuani, ac Ruſſi circumhabitant, præterquam vbi Oceanum attingit. Ab Ortu enim habet Ruſſiam Moſcorum Duci ſubiectam, Nerua fluuio & Beibas lacu diſcretam: à Meridie Samogithiam attingit: ab Occaſu mari Balthico pulſatur: à Septentrione autem Finlandiam habet Finnico ſinu ſeparatam. Regio hæc paluſtris eſt nemoroſa, plana pro magna parte, & ſine montibus, fluuijſque irrigua: ſed vtplurimum inculta: licet

agri

agri fertiles admodum ſint. Nam frumentum, & *Liuonia qualitas.*
omnia frugum genera tanta profert copia, vt eorum bonam partem ad exteras nationes mittat. piſcibus quoque & animalibus tum domeſticis tum feris mirè abundat, præcipuè autem equis, qui firmi admodum ſunt. cera item, mel, cineres, pix arida & liquida magna abundantia alijs regionibus impartitur: vinum tamen & oleum non fert, ſed ijs aduentitijs fruitur. Fluuij nauigabiles ſunt, Rubo & Nerua: alij etiam ſatis inſignes ſunt, vt Duina, qui ex lacu Pruthenico oritur: VVinda, qui in Balthicũ mare exoneratur, non longè à cuius oſtio maxima eſt Maris profunditas, & periculoſiſſimus locus: item Beca, incolis Embeck, qui vno fertur aluco in Oceanum, & ex præruptis ſcopulis præcipitans, ingentem adeò ſtrepitum efficit, vt vicini habitatores paulatim ſurdeſcant. Iſthic permulti reperiuntur acus, quorum inſignior eſt Beibas, qui in lõgitudinem 45. miliaria Italica porrigitur, varioque piſciũ genere abundat. Incolę diuerſarum ſunt nationum *Incolæ varij* vtpote Curones, Eſtheni, & Letti ſeu Leci, & alij: qui omnes tam moribus quàm lingua inter ſe differunt. in arcibus tamen & oppidis lingua Saxonia ſeu Germanica præualet, cùm ibi coloniæ ſint orum. Liuonienſes ad Chriſti cultum traxerunt ilites Teutonici, cùm olim cacadæmones colerent, atque veræ fidei cultrix ipſa regio tunc vocari eruit, puriorque Chriſti cultus præſertim in maximis ciuitatibus quotidiè creuit, & in hunc vſque iem conſeruatur. Liuoniæ vrbes & oppida ampla nt, & ſumma elegantia exſtructa, quarum prima a eſt Riga, non longè ab oſtijs Duinæ amnis ſita, æ quidem Bremenſium Germanorum colonia *Riga vrbs.* t, & emporium celebre, vbi naues onerantur cera

pice,

pice,& Siligine. In hac præter Rigenſem Archiepiſcopatum, Reualienſis & Oſſilienſis Epiſcopatus ſunt; atque hîc olim Teutonici Ordinis Magiſter ſedem ſuam habebat. Reualia vrbs inſignem habet portum in ſinu maris Balthici, atque commercijs Rigæ haudquaquam cedit. Dorpatum, incolis Derpt vel Derbten, & Ruthenis Iuryouugorod, quod ad ripam fluuij Becæ inter duos lacus iacet in mediterraneis regionis. Alia oppida maiora magnificis arcibus munita, preter iam dictas vrbes, ſunt Venda, vulgò VVenden, in meditullio regionis ſita, quæ ob aulam magiſtri Ordinis Teutonici celebris eſt. Velinum, Pernouia, maritima ſunt Volmaria vulgò VValmer, VVeſenburgum, Viteſtenum, & Narua. Paret ipſa regio maiori ex parte Poloniæ Regi, & ex parte etiam Suetiæ Regi, cui ſubſunt Reualia, Narua, cum aliquot oppidis: atque etiam ex parte Moſcouiæ Duci, & Daniæ Regi.

DANIAE REGNVM, OLIM Cymbrica Cherſoneſus.
Cap. 34.

DAnorum nomen Saxo Grammaticus & Crantzius à quodam Dan patre Huniblo procreato, natum docent, qui non ſolùm gẽtis conditor, verùm etiam Rector fuerit. Horum tamen ſententiam tanquam erroneam refutat Ioan. Becanus, aliamq; nominis rationem & ἔτυμον prodit in Gethodamijs ſuis, in hũc modum ſcribens: Cimmeriorum pueri cùm populorum innumera multitudine creſcerent, & longè lateque Scythiam paulatim occuparent, variis ſe nominibus

bus nuncuparunt: alij aliud in ijs ponendis propoſitum ſecuti. Inter hos igitur fuerunt, qui quòd belli ſtudijs potiſſimùm oblectarentur, atque in ijs non tam auaritia quàm generoſo animo dicati, victoriam & laudem potius quàm diuitias quærerent, nomen illud ſibi ab eo animali ſumpſerunt, quod inter omnia plurimas naturæ dotes ad hunc ſcopum neceſſarias habere videretur. Gallum igitur gallinaceum, tum bellicæ laudis & generoſiſſimi animi, tum indolis Regalis, & militis ſtrenui, & ad omnia momenta vigilis optimum exemplar, vt pro ſymbolo & ſynthemate quodam ſibi acceperunt, ita nomen quoque ab eo placuit mutuari. Vocarũt enim ſeſe die Hanen, & compoſitè per conciſionem Danen, aſpiratione in d litera media deliteſcente. Sed quia Danum vocali prima in ſecundam mutata, Den, pro die hen dicere ſolemus, quorum illud gallinaceum, hoc gallinam notat, fit illud nõ citra conuitium. Hi verò populi olim Cymbri dicebantur, traduntur que ijdem fuiſſe cum Nordmannis. Regio autem eorum Cymbrica Cherſoneſus, terra nimirum extrema continentis in Arctas extenſa. Cuius populi nunc recenſentur, Saxones, Cymbri, Charudes, Phunduſij, Cobandi, & Chati, quos nos hodie vno nomine Danos dicimus. Decoratur Dania Regio titulo, diuiditurque in Ducatus Holſatienſem & Sleſvvicenſem, & Iutiam prouinciam, ac inſulas complures. Porrò de Regno hoc Munſterus hæc refert: Tota Dania Peninſularis eſt, conſtanſque multis partibus, maris faucibus intercepta. Prima eſt Orientalis, cuius potiſſima pars eſt Scania, in qua Lundenſis Archiepiſcopatus, quæ magnitudine & opibus facilè ſuperat reliquas Regni prouincias.

Danen vndè ſic dicti.

Alij

Alij vocauerunt hanc Daniæ partem Scadinauiam pro Schondaniam, id eſt, amœnam Daniam, alij Scaniam, alij Sconingiam. Multis igitur à ſcriptoribus nominibus appellatur, Schondia, Schondermarchia, Schondania. Plinius aliquo loco Scandiam, & alio Scandinauiam nominat. ſed manſit illi Scondiæ nomen, quod pulchritudinem ſignificat; quoniam cœli beneficio, telluris obſequio, portuum & emporiorum commoditate; maritimis opibus, lacuum & fluminum piſcatione, venatione nobilium ferarum, auri, argenti, æris, & plumbi inexhauſtis venis, oppidorum frequentia, ciuilibus inſtitutis nulli cedit beatæ regioni. Occidua pars Daniæ eſt quam Ptolemæus appellat Cherſoneſum Cymbricam, quæ inſtar linguæ procurrit inter duo maria longè in Boream. Habet autem Iutia pro termino Auſtrali Eydoram fluuium, qui decurrit in Occidentem, exitque in Oceanum Germanicum, Friſios dirimens à Dietmarſis, limes proinde Daniæ atque Holſatiæ. Procurrit autem Iutia itinere ſex dierum in Aquilonem vrbibus aliquot inſignita, ad vtrumque Mare Balticum & Germanicum. Hęc regio hodie præter Ducatum Sleſvvicenſem in tres diuiſa eſt Epiſcopatus, Sleſvvicenſem, Ripenſem, & Arhuſienſem. Hæ itaque duæ regiones Scamia & Iutia extremitates ſunt Regni Daniæ, & præcipua membra quibus interceptæ ſunt multæ inſulæ, quarum locupletiſſima eſt Zeelandia, in qua multæ ſunt ciuitates & arces, atque regia ipſa Copenhafnia. Ibi Roſchildia olim potens & munita ciuitas, decorata templis ac Regum monumentis; nunc autem ad tenuitatem perducta. Longitudinem habet hæc inſula itineris bidui, atque latitudinem ferè æqualem. A Zeelandia in Scaniam traiectus multi, breuiſ-

Iutia prouincia.

Zeelandia Daniæ.

breuiſſimus eſt Helſimborgi. Eſt Scania pulcherrima prouincia, armata viris, opulenta frugibus, diues mercibus,templis plena, & nunc halecum captura felix & inſignis: vndique cingitur Mari,præter vnum terræ brachium,quod porrigitur in Boream & inde recuruatur ad Orientem, vbi Suetiæ iungitur;ſed intercedunt profundi ſaltus, aſperrimæque rupes, per quas à Scania in Gothiam iter agitur tã difficilè,vt ferè leuius ſit Marino diſcrimine vitare terreſtrem laborem. In ſinu Codano quindecim numerantur inſulæ,quarum potiſſima Fionia,inde Falſtera,Lalandia,& cæteræ minus inſignes. Eſt & Fimbria, quam Cimbriam dici debere aiunt nonnulli,vnde Cherſoneſo nomen.Fionia inſula in lõgitudine habet miliaria duodecim, & in latitudine quatuor:metropolis eius vocatur Othonium, vulgò Odenſch,ciuitas Epiſcopalis, ſatis benè exſtructa, ſed malè munita, quippe quæ per bella ſæpe fuit depopulata & exuſta.ager inſulæ eſt valdè fertilis, & qui nunquam ſtercoratur, ideò ante ciuitates magnus fœtor,ob pecorum abiectos fimos,qui ibi nulli ſunt vſui. A Scania in Oriẽtem inſulæ ſunt multæ,quæ ſæpenumerò mutauerunt ditionem.Ibi Gothlandia nunc Danicæ coronæ,olim Suedicæ ſubiecta;ibi Bornholm cum nonnullis alijs. Ingreſſus in Daniam patet per Holſatiam; quæ regio mutauit nomen ſuum ex lingua vernacula, eò quòd terra illa ſit nemoroſa & ſaltubus occupata, ad differentiam vicinarum partium, quæ paluſtres ſunt & paſcuoſæ.Cùm nobilitate atque equeſtri ordine haud parum inſignis hic ſit tractus,nulla tamen illuſtrior in eo eſt familia, quæque magis illud decoret regnum quàm Ranzouiana. quæ cùm antiquitate etiam polleat, virtute tamen atq; opibus haud

Fionia inſul.

Holſatia.

ſcio an cuiquam hoc noſtro tempore cedat: quod
non modò arces aliaque inſignia ædificia ac mo-
numenta ab ipſis extructa teſtantur; ſed ſingularis
etiam affectus ac ſtudium quo omnes liberalium
artium profeſſores ac ſectatores proſequuntur.
Ranzouius. Præcipuus ipſorum eſt ſuſpiciendus ille Henricus
Ranzouius; cuius vtinam hæc noſtra terra decem
ſimiles produceret, nullum foret dubium quin bre-
ui peritura eſſet barbaries. nunc autem quantùm
uis propenſum ipſum liberalibus cunctis ingenijs
eſſe notum nobis ſit, cum Menalca tamen iſto Vir-
giliano dicere nobis tantummodo dabitur:

Quid prodeſt quòd me ipſe animo non ſpernis A-
mynta,
Si dum tu ſectaris apros, ego retia ſeruo.

DIETMARSIAE PROVINCIA.
Cap. 35.

Dietmarſia Marſorum populorum ſedes &
reliquiæ creduntur. ij nomen ſuum à Mar-
ſo Tuiſconis nepote Hermionis filio Ger-
manorum Rege repetunt, de his ſic refert Al-
thamerus: Sicut Tuiſcones, Hermiones, Ingeuones,
Iſtheuones, Germani, Teuthonica ſunt vocabula,
ita Marſi etymon habent Germanicum. Veteres
namque Germaniæ populi Saxones (quorum hi
pars ſunt) paluſtria & aquoſa loca, Meers & Meer-
luide appellant. paluſtres autem Marſos, ſicut &
Holſatos patria lingua dixerunt, locis nemoroſis
habitantes. inde eſt VVilſtermers, Crempermers,
Dietmers. Cui ſententiæ accedit etiam Albertus
Crantzius lib. 1. Vandal. cùm inquit: Marſi conceſ-
ſêre ad Albim, quorum tenues reliquiæ in paluſtri-
bus

bus ſunt non longè ab oſtio fluminis, Dietmarſi, VVilſermarſi, & Crempermarſi: qui quoniam in paluſtribus locis habitant, obtinuit Saxonum conſuetudo, vt omnes paluſtres Marſi vocitentur. Et libr.1.cap.1. Idem ſic ait: Quoniam in vetuſtiſſimis rebus, vbi reliqua nulla eſt in literis memoria, coniecturæ fit locus; omnem ego Holſatiam & Stormariam, in cuius ſolo fundatum eſt Hamburgum, Marsorum genti deputandas puto quæ in ſolis paluſtribus nomen ſeruauit. In aridis autem habitantibus hoc nomen permanſit, vt ad ſuæ gentis aliquam modò differentiam Holſati dicerentur, qui per vicina nemora vſque ad terminos VVagriæ diffunduntur. Stormaria verò quaſi Storremarſia, à Stora flumine appellata, vt pro Marſia Maria ſit inolitum. Omnis autem ea Marſorum natio ab omni literarum memoria, fuit annumerata, atque etiamnum inferiori Saxoniæ accenſetur; quamuis hodie Danorum Imperio ſubſit. hîc enim Regnum Daniæ primogenitus, quemadmodum Galliæ Regum in Delphinato, moratur. ac quemadmodum Stormariæ ſeu Storremarſorum Hamburgum ciuitas eſt ſub Duce Holſatenſi; ita Dietmarſorum metropolis eſt Bremenſis vrbs Epiſcopalis. habet & Meldorpium, Heininckſte, Tellinckſte, & alia aliquot oppida. Ob vicinum Septentrionem & frequentes lacus aëre fruuntur humidiore. Regio ipſa paluſtris adeò eſt, vt peregrinantibus itinerantibuſque minimè peruia ſit. quibus impedimentis freti, ſeſe ab exterarum gentium vicinorumque hominum incurſu tutati ſunt. Syluis præterea tota implicata ac referta eſt, vtpote Borcholt, Burgholt, Ilueſſdorpenholt, Reſenvvalde, ac complures aliæ. Agri fertilitas ob nimiam humiditatem vix commen-

Dietmarſia.

Stormaria.

Regio paluſtris & ſyluoſa.

mendanda eſt. In ipſo Cymbricæ Cherſoneſi introitu ad Albis fluuij oſtia ſita eſt regio; terminaturque à Septentrione Eydero fluuio, & Danimarchia; ab Ortu Holſteinenſi ſeu Holſatarum ducatu, à Meridie Albi fluu. & Storemarſia; ab Occidente Oceano Germanico, vbi Heilichlant & Buſen inſulas reſpicit. Porrò & hæc ex Henrici Ranzouij hiſtoria Cymbrica adijcere placuit: Dietmarſia (inquit) cum Holſatia cohæret, continensq; cũ illa eſt, & inter Britannicum Germanicumque mare (vbi vetuſtiſſima Cimbrorum ſedes eſt) poſita, ac ſitu naturaque loci peregregiè munita, gentem præſumptæ libertatis aſſertricem, bello fortem, multiſque victorijs elatam atque ferocem ſemper habuit. Eius maiores, Daniæ Regem Ioannem, eiuſque fratrem Fridericum ducem, & alios principes, comites, multamque & Danicam & Holſaticam nobilitatem quæ regibus, ducibuſque ſuis militarem operam fidemque præſtitit, aut locorum iniquitate in paluſtres voragines depreſſerunt, aut nefariè trucidarunt: itaque magnas de iiſdem victorias reportarunt. Hos Fridericus 2. Daniæ Rex, Ioannes & Adolphus patrui ac fratres Holſatiæ duces, vnanimi conſenſu, inuictis animis, & communi ſumptu aggreſſi, magniſque viribus in intimam Dietmarſiam penetrantes, tribus prælijs acerrimè repugnantes incolas deuicerunt; & duo oppida, Meldorpium & Heidam ceperunt. In qua quidem expeditione aſperrima, principes belli duces inuictorum Imperatorum, & virtutis militaris officia impigrè obierũt. Adolphus princeps graui vulnere ſaucius dubiam ſpem vitæ edidit. Ioannes Ranzouius, Regis ac principum decreto, ſummus belli dux, ex ſphærula plũbea vulnus accepit. Deuicti tandem Dietmarſi, Re-

Fortes & bellicoſi Dietmarſi.

gi ac

gi ac ducibus ſupplices facti, fidelitatis iuramentū præſtiterunt, annuatim de ſingulis agrorum iugeribus thalerum, & dimidiatam meſſam ſimul promittentes. Hucuſque Ranzovv, in cuius eruditiſſimis ſcriptis, non de hac tantum regione, ſed & plurimis totius Septentrionalis Europæ plagæ, præcipuè tamen Daniæ ac Holſatiæ, prouincijs, permulta lectu digniſſima inueniuntur. Nunc verò quoniam Sclauonicum tractum circummeantes in Septentrionalis Germaniæ fines deuenimus; ipſam ab exordio generaliter auſpicabimur, ac deinceps per membra ſua particulariter eam pro libelli tenuitate deſcribemus.

GEO-

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER QVARTVS.


DE GERMANIA. Caput 1.

GERMANIA totius Europæ regio maxima & florentiſſima. Populos verò qui veterem incoluêre Germaniam, recenſet Cornel. Tacitus, Indigenas quidem, Teutones, Cimbros, Marſos, Cambriuios, Sueuos, Vandalos, Batauos, Caninefates, Mattiacos, Cattos, Vſipios, Tencteros, Bructeros, Chamanos, Agriuarios, Dulgibinos, Chaſuarios, Friſios, Chaucos, Cheruſcos, Foſos, Semnones, Longobardos, Rendignos, Auiones, Angilos, Varmos, Endoſes, Suardones, Nuithones, Nariſcos, Hermunduros, Marcomannos, Quados, Marſignos, Gothinos, Oſos, Burios, Lygios, Arios, Heluecones, Manimos, Elyſios, Naharuales, Gothones, Rugios, Lemonios, Suiones, Peucinos ſeu Baſternas, Fennos ac Venedos. Terra

Solinus. inſuper ipſa, teſte Solino, hominum diues, & populis immenſis frequens, qui ſi cum reliquis conferãtur regionibus, minimum fuci, plurimum antiquæ ſinceritatis ac fidei, & ruſticanæ, vt dici ſolet, veritatis obtinent.

Tacitus. Tacitus inquit: Fœnus agitare & in vſuras extendere, ignotum; eò quòd minimè auari, frau-

GERMANIA



BELGIVM SEV GERMANIA INFERIOR



fraudulenti, ac ſubdoli eſſent, rerum nuda ac ſimplici permutatione vtebantur, merces dabant, merces recipiebant, cōtenti ſua ſorte, vtpote apud quos plus valebant boni mores, quàm alibi bonæ leges. Sermo gentis longè lateque fuſus, ſua tamen idiomata habet, gaudet vocibus primigenijs monoſyllabis. Porrò Germanorum littoralium, quos vetuſtas VVigevvonas appellauit, & Inſularium lingua mollior, vt Francorum veterum qui Chaucorum pars fuêre, Saxonum, Friſiorumque, ac Danorum. Mediterraneorum ſeu Herdvvonum durior, vt Sueuorum, Quadorum, Marcomannorum, & Hermundurorum, vti hodie in transdanubianis regionibus. Pannonia prima & Rhætia Norico loquuntur. Ipſam tandem Germaniam Corn. Tacitus informem terris inquit eſſe, aſperam Cœlo, triſtem cultu aſpectuque, ac in vniuerſum aut ſyluis horridam, aut paludibus infœcundam. humidiorem qua Gallias, ventoſiorem qua Noricum ac Pannoniam aſpicit: Frugiferarum arborum ac omnis culturæ impatientem, ſterilem, pecorum tamen fęcundam, ſed plerunque improcerorum, auro atque argento immunem, & propterea vilem deſpectamque ab omnibus. Hodie regio eſt adeò amœna, adeò pulcherrimis nitidiſq; vrbibus, caſtris ac pagis paſſim exornata & culta, vt non Italiæ, non Galliæ, non Hiſpaniæ ipſa cedat. Cœlum ſatis clemens habet, agrorum camporumque fertilitatem optandam: ſunt colles aprici, ſunt nemora opaca, frumentorum abundantia, viniferi montes. Mille hic iam hortorum ac villarum deliciæ; nulla viridaria pomariave, nullæ conſitiones, nulla tempe, nulla vineta deſiderantur. Solum ipſum hordeo, tritico, ſiligine, farre, milio, auena, atque omni frumentorū,

Veteris Germāiæ facies.

Hodierna Germaniæ facies.

leguminum, obſoniorum genere ferax, campi vberes, prata læta. Sunt clariſſimi amnes, mineræ ſalis plurimæ; thermæ ſalubres, aquas calentes paſſim producente natura. Non argenti, iam non auri, non margaritarum tandem hîc incognitus vſus eſt. Vniuerſa & Gallia & Hiſpania & Italia argentum ex Germano negotiatore omne habuit, priuſquam ad Indias nauigatio aperta foret. Metallorum ita omne genus habet, vt nec auro ſit priuata, quorum iam inueſtigatis minæris, hoc infeliciores ſunt, quòd miſeros in terræ viſcera iam auri ſitis intruſerit. Hîc nulla non literarum cognitio; legumve diſciplina, nulla non bonarum artium ſtudia florent. Videat igitur hic Tacitus noſter, quàm ſæpe bona materia ceſſet ſine artifice. Quid, quòd præclariſſimorum ingeniorum ſit feraciſſima! quid enim ſolertius vnquam aut vtilius inueniri potuit typographia, & poſtmodo calcographia ſeu tabularum ænearum exaratio & excuſio? quod inuentum glorioſius & aduerſus Chriſtiani nominis hoſtem, barbarorumque incurſiones vtilius inſtrumento iſto iaculatorio quam bombardam vulgò vocamus (quanquam non inficio omnium rerum, etiam optimarum, magnum poſſe abuſum eſſe.) Nonne & amœnum illud (quamuis leue) tympanũ militare, quem trumulum vocamus; vt innumera alia omittam. Porrò vix eſt in Europa terra alia quæ maioribus fluminibus irrigetur quàm hæc: è quibus vndecim numerantur præcipua nauigabilia; horum primum eſt Danubius, ad cuius oſtia Ouidius olim exulans, pronunciare de eo non verebatur: Cedere Danubius ſe tibi Nile negat. inde Renus, Nicer vel Nicrus qui & Neccharus dicitur, Menus, Moſella, Moſa, Scaldis, Amaſis, Albis, Viſurgis

Auri ſtulta fames.

Ingenia Germanorum.

Fluuij.

Suc-

Sueuus, Viadrus, Viſtula, quæ omnia pluribus concomitata minoribus fluuijs, quorum enumerandi locus hic non eſt, partim in Euxinum pontum, partim in Mare Balticum, partim in Oceanum Germanicum exonerantur. Montes verò nominatiſſimi ſunt: Rolbergus, Mons Iſidis, Melibocus, Pinifer, Heſſus, Oſtbergus, Senus Sueuus, Pauonis, Rheticus, Seuo, Sprulius, Vocetius, Voſagus. Syluę inſunt plurimæ, duæ tamen præcipuæ, quarum Hercinia altera, quæ reliquarum ferè omnium mater: altera erit Martiana. Porrò de gentis Germanicæ fortitudine, ex veterum ſcriptis abundè apparebit virtutem ipſius vel in hoſte probatam fuiſſe. ac de Non degeneri Germania à priſca claritudine carmen elegantiſſimum reliquit Huttenus Eques. Neque verò minimi momenti eſt, Imperij dignitatem (fortuna ſeu Deo potius plurimùm hac in re adiuuante) virtute & armis, Othonibus ac Henricus ducibus ſibi partam, cùm magnum inſtaret periculum ne ad Gallum transferretur. quo in caſu non minori prudentia quàm fortitudine opus habebant Germani. Quantas inſuper laudes mereatur ordinatio de inſtitutis Electoribus, res ipſa teſtatur. hac enim ordinatione durauit Imperium ſexcentos iam continuos annos in Germania. minus namque inſidioſæ & clancularię conſpirationes Papæ cum Italis aut Gallis ſuccedunt, qui à Germanis Imperij celſitudinem ſæpenumero alio transferre conati ſunt. Et habet plus præſidij Imperator à pluribus Principibus quorum conſenſu electus eſt. minuſque concertationis oriri poteſt propter electionem, primariorum Principum votis conſentientibus. firmior enim ac diuturnior ſperari poteſt, ſi ad plures Principes relegata ſit Imperij Maieſtas, quàm ſi in vnius

Montes.

Syluæ.

Imperij dignitas.

alicuius ſanguinis ſucceſſione hæreret. Atque hæc generaliter de Germaniæ ſtatu. Iam in particulari membrorum eius enarratione, à ſuperiori eius parte inter Auſtrum & Orientem ſita initium ſumemus, ac primum quidē de terris ad Imperatoriam Maieſtatem ſpectantibus.

SCLAVONIA, BOSNIA, CROATIA, Dalmatia. Cap.2.

PRocopius auctor eſt, Sclauenos Scythicam gentem tempore Iuſtiniani irruiſſe in Illyricum, multaſque ſtrages edidiſſe, prædas abegiſſe, & incommoda multa vicinis intuliſſe, tandemque inter Illyricos conſediſſe, atque hinc Illycos Sclauos dictos. Subijcitur ea regio hodie partim Vngarico regno partim Venetis. inhabitant plerumque lignea ædificia culmo contecta, præter paucas littorales vrbes, in quibus humanius degūt: tellurem optimam colunt, vbi teſte Ariſtotele, bis grauidæ pecudes, & quater in anno tondentur. duobus principalibus alluitur regio fluminibus, Sauo & Drauo, qui in Danubium corruunt: vltra montes verò plurimi amnes erumpunt in ſinum Adriaticum, vt ſunt: Edanius, Ticius, Naron, Rhizon, & Drinus. ciuitates inſigniores: Flamone, Senia nunc Segnia, Enona nunc Hona, Iadera pro qua bellum diuturnum inter Venetos & Panonnios, Scardona incolum adhuc nomine, Spalatum vbi olim Diocletiani palatium, Epidaurum à Gothis dirutum, è cuius ruinis Raguſia iuxta ædificata, Scodra nunc Scuturenſis ciuitas. *Boſnenſes.* Boſnenſes veniſſe putāt à Beſſis Bulgariæ populis, qui cū venirent in diſcordiā cum Bulgaris, excluſi inferiori Mæſia, ſedē poſuerunt in Meſia ſuperiori, iuxta Sauū fluuiū, factumque temporum decurſu vt in vocabulo gentis e mutaretur in o,

in o, & ex Beſſis fieret Boſſis, atque inde Boſna & Boſnia: quales mutationes in multis alijs proprijs nominibus ſæpe factas inuenimus, vt olim Melita, & hodie Malta, Longones & Lingones, Scandia & Schondia. Batauia die Betavv, &c. Quando iſta prouincia in regnum fuerit ſublimata, non inuenio. Scribit quidem Bonfinius, Ludouicum regem Vngariæ circa annum Chriſti 1345. quum reliquias Tartarorum ex regno ſuo pellere conaretur vocaſſe Stephanum principem Boſnæ, cuius filiam vxorem duxit, in auxilium, quòd potens eſſet, ampliſſimamque haberet terram, quæ ad Macedoniam vſque extenderetur. Alius quidam ſcripſit Boſnam tributariam factam Regno Hungariæ. Anno Chriſti 1415. princeps Boſnæ defecit à Sigiſmundo Rege Pannoniæ, inijtque fœdus cum Turca: quod videns Sigiſmundus, cupienſque reducere Boſnam, miſit magnum exercitum contra occupatores eius Turcas; ſed Mahumetes validior Sigiſmundo, fugato hoſte retinuit Boſnam, præfecitque prouinciæ Ikachum principem; qui abutens officio ſuo, regemque ſe faciens, inuadit vicinas regiones, multaque eis damna infert. qua re moti Vngari, collecta forti manu inuadunt Boſniam, regemque iſtum in fugam vertunt. ſubiugata igitur ſibi regione, conſtituunt in ea Regem primum ex Chriſtianis. Boſnenſis Regni ante noſtra tẽpora caput erat Iaitza vrbs, in edito mõte ſita, quã duo amnes circũfluunt, præruptiſq; rupib. in vadis obfirmãt. ad radices montis & ad ambitũ vrbis amnes illi cõfluũt, admixtiq; vnà in Sauũ ferũtur. à tergo profuſa eſt planities; inexpugnabilem habebat arcem, hoſtibuſque inacceſſibilẽ. Habet hæc regio & alias quaſdã ciuitates inſignes præſertim Schuuonicã & Vvarboſanyen,
quam

quam aiunt hodie eſſe metropolim, ſed nullo cingitur muro; Milliatzka fluuius dirimit eam in duas partes.

Croatia olim Liburnia. Croatia quę Liburnia olim & Valeria dicta fuit, Iſtrię ad ſinum Flanaticum adhęret verſus Ortum, inter Culpam & Sauum flumina, & ſuperiorem Mœſiam ſita, cuius metropolis nunc Bigihon eſſe dicitur: aliquando Fumium erat. Vrbes præterea habet plurimas, vtpote Zang, VVackat, Turnavv, Modriſch. hi populi cùm ſub Illyricis aliquando compræhenſi eſſent, iam Carbauatij, Coruatij & Croatij vocantur. Eſtque totus hic Sclauorum tractus oliuetis vinetiſque ſpetioſus: habetque vniuerſus oræ Illyricæ curſus maritimus optimos portus; cùm contra obiectum Italiæ littus importuoſum prorſus ſit.

Dalmatia. Dalmatia potentiſſima olim regio fuit, vt etiam incolę fiſi ſuis arcibus & munitionibus auſi fuerint rebellare Romanis, ſed Auguſtus domuit eos, atque magna ex parte incendio vaſtauit fortalicia & ciuitates eorum. Haud procul à limitibus huius regionis ſita eſt ad Mare ciuitas Apolloniæ, iuxta quam eſt petra quæ flammam ignis euomit, & infra eam ebulliunt aquæ calidæ & bitumen, præſertim quando petra ardet. Nec longè ab hinc fodiuntur metalla, & implentur fodinæ rurſum, vt poſt aliquot tempora iterum liceat hinc æs colligere. Salis quoque conficiendi modum in eiuſdem Dalmatiæ finibus fuiſſe narrat Strabo. dicit enim Autauariatas in Ardiæos, qui Dalmatarum gentes erant, aut certè iiſdem vicini, inuicem aſſiduè belligeraſſe, quorum bellorum Sal in cauſa erat, quod in eorum finibus coagulabatur ex aqua. conuenerat autem inter eos, vt per viciſſitudinem congelatorio

vte-

vterentur loco: conuenta verò tranſgreſſi manus conſerebant. Terminos harum regionum certos exprimere vix cuiquam licuerit, propter nimium confuſos hodie earum fines.

ARCHIDVCATVS AVSTRIAE. Cap. 3.

AVſtriæ nomen recenti ſeculo natum eſſe refert Lazius, ante annos nimirum circiter quadringentos, ab Auſtri venti flatu, qui iſta in regione frequens eſt: vel quod veriſimilius eſt, à ſimilitudine Germanicæ appellationis Ooſtenreiche, quod nomen Orientali Regnorum ſuorum limiti Francorum reges indiderant; ſicut & Occidentali VVeſtenreiche. Francorum verò Ooſtenreich ad Rhenum ſita poſtmodum Auſtraſia dicta, id nominis tandem penè amiſit: quod tamen mox nouam ſibi ſedem reperit in Pannonijs, eodem Lazio teſte. hic enim libr. 1. cap. 2. Comment. Gen. Auſt. refert: Qui terræ tractus (loquens de Auſtraſia ad Rhenum ſita in agro Gallico) cùm poſterius Ludouico Pio, Caroli Magni filio extincto in diuiſione, cùm Italia & Imperio Lothario maiori natu ceſſiſſet, noua iam Auſtria Caroli Magni auſpicio in finibus Pannoniæ & Norici excitata, veteri paulatim nomine abolito, Lothari regnì appellationem ſortitus erat Lothreich aut Lothringen. Noſtra autem hæc Auſtria prius Pannonia ſuperior dicta fuit; quæ cùm ampliſſimi Ducatus nomine compræhendatur, olim à multis varijſque cultoribus fuit habitata; quorum primi numerantur Hebræi; hinc Iaſon cum ſocijs Argonautis; hos ſecuti ſunt Cimmerij; poſt hos Agriani, mox Gal-

logræ-

Varij Auſtriæ habitatores. lograei, deinceps Romani has ſibi ſedes vendicarunt: quibus expulſis, eas ſibi Hunni occupauerunt: ab his Chumanos & Boſnios deſcendiſſe, noſtrę ætatis adhuc gentes iuxta Hungaros coniectura eſt. hinc Sarmatę & Sclaui depopulati ſunt magis Pannonias; quàm quòd obtinerent agros. Quados etiam Auſtriam ſeu Pannoniam, ſed præcipuè Valeriam incuraſſe, teſtantur hiſtorię. Et quia poſt multas variaſque gentes quę terram hanc diuerſis temporibus incoluêre, quas omnes recenſere prolixum nimis foret, colluuies Barbarorum, deuictis Romanis amęnas montium conualles & loca metallis vinoque fœcunda inſederunt. hinc fit vt adhuc hodie qui Carpathum montem Dacianique incolunt, & qui Pannoniam ſuperiorem, Valeriamque attingunt, Teutonicum omnes ſonent; Auſtriaci autem noſtri Francorum & Saxonum ſoboles Pannoniæ ſuperioris partem, vbi hodie ſunt Auſtriæ Styriæque confinia, ſibi conceſſam armis ab Vngaris vindicarunt, ac ſumma fide nunc tutantur. Diuiditur autem Auſtria in ſuperiorem & inferiorem: quarum hæc citra, illa cis Danubium ſita eſt. Continet præterea Styriæ ducatum, inter Danubium, Muer & Mierz fluuios protenſum, cuius incolæ partim Germanico, partim Sclauonico vtuntur idiomate; ſtrumiſque maximè deformes ſunt. Item ducatum Carinthiæ inter Muer & Drauum fluu. ſitum. Item Carmiam, in Meridiem magis protenſam. Comitatum præterea Tyrolenſem inter Occidentem & Meridiem. ac Silenſem ad Drauum fluuium: vſque *Varia Viennæ nomina.* adeo amplus eſt hic Archiducatus. Regionis caput eſt Vienna, Vindebona olim dicta, poſtmodum Fauiana, inde Fabiana, quod demum in Viennam detortum vocabulum putatur. quamuis à Viena amne ſeu

ne ſeu torrente denominatam vrbem quidam credant. Hanc nonnulli Iuliobonam à Ptolemæo vocatam contendunt. Eſt autem munitiſſimum hoc Chriſtianorum contra Turcas propugnaculum, vallis, aggeribus, foſſiſque munitum; ædificijs ita inſtructum, vt quot domos videat, tot aulas principumque palatia cernere videaris; ac propter nobiliſſimum Gymnaſium, quo à Friderico II. Imperat. ornata eſt Anno 1237. mercatu etiam frequens eſt ac celebris, agroque gaudet fœcundiſſimo. & vt multa ſimul dicam: hæc vel opulentiſſimis Germaniæ Italiæque ciuitatibus par eſt, ac quam plurimas etiam vincit. Habet & Patauium, Lintzium, Preſburgum nobiliſſimas vrbes, ac complurimas his vix inferiores. Eſt & pagus Auſtriæ, cui S. Stephano nomen eſt, duobus circiter miliaribus diſtans à Vienna, qui proditur habere ſepulchrum Theutanis, vnde nomen ſeruaſſe gens dicitur. Styriorum oppidum Greetz ad Müer flu. ſitum eſt. Carinthia, Dragburgum & Lauamunda ad Tranum flu. Aëre fruuntur læto & amœno, ſalubrique, ob Euri Spiritum quo perflatur.

Non deſunt tamen qui Styriorum ſtrumas aëris, quo viuunt, vitio imputent: quamuis aquæ fontibusque ipſorum hoc potius imputandum erit. Regio eſt, qua Auſtrum ſpectat, montoſior: qua Ortum, paluſtris; medio tractu vtcunque plana ac leniter deuexa. *Vnde ſtrumæ.*

Fluminibus pluribus irrigua, ob idque fœcundior; vini frumentique feraciſſima; lignorum etiam copiam habens, amneſque piſculenti ſunt. Vini abunde ſatis præbet Bohemis, Morauis, Sileſijs, viciniſque Bauaris. Zinziber producit iuxta Hamburgum, ad radicem Cæcij montis. Crocum etiam gignit per- Zinfiber

perfectiſſimum. Styriæ montana vberrima frugum omnis generis ſunt, nec magnopere cultura egent. Ac Marchianus quoque campus patens, vulgo Marckuelt, croco, vino, frumento, & frugibus mirificè fertilis. Carinthia montibus attumulatur, vallibuſque viciſſim deprimitur, quæ pabuli frumentique copiam exhibent.

Tyrolis. Tyrolenſis autem Comitatus vel cum ampliſſimo regno certat de redituum annorum, quos ex montibus ære, auro, argentoque ſcatentibus haurit abundantia. Sal coquunt Styrij, quod in alias prouincias exportatur: ijdem argenti ac ferri mineras habent ditiſſimas. Auſtriæ verò ciuitas Archiepiſcopalis Gran thermas habet ſaluberrimas. Syluis hinc inde conſperſa eſt regio, montibuſque multis aſperatur. Fluminibus permultis etiam perfunditur, & lacus complures habet.

BOHEMIAE REGNVM.
Cap. 4.

BOiohemia ſi interpreteris Boiorum patriam ſeu domicilium ſignificat (**der Boierheim**) nunc corruptius Bohemia: Boij autem Galliæ populi fuêre, haud procul ab Inſubribus diſſiti: ij à Cæſare victi Gallia excedentes, Italiam tranſcenderunt, quos Romani finibus eiecerunt. Inde trans Rhenum in Germaniam profecti, Herciniæ ſyluæ incinctos incoluerunt campos. hos Boios è Boiohemo potentiſſimus Sueuorum populus Marcomanni depulêre. Eiectis tandem è Boiohemo etiam Marcomannis Quadiſque, Sclauini Scythica & barbara gens intrauerunt. Hodierni igitur Bohemiæ incolæ Sclaui ſunt, quorum etiam idiomate v-

tun-

tuntur. Habet hoc Regnum vltra triginta vrbes im-
mediatè Regno ſubiectas: reliquas autem Principes
regni, Primates, Barones, Comites, atque Nobiles
ſibi vendicant. Praga, Caſurgis Ptolemæo, Regni *Praga metropolis.*
caput eſt ad Muldauiam amnem ſita. hîc regia au-
la & Archiepiſcopatus eſt. vniuerſali olim ſtudio
floruit, id hodie Lipſia Miſniæ ciuitas obtinet. Er-
go vrbs à fluuio præterlabente ſic cognominata, in
veterum Nariſcorum ſedibus; loco arte & natura
munitiſſimo ſita, vtpote quæ maxima ſui parte na-
tiuæ rupi ſuperſtructa ſit. intra mœnia ambitum
continet duorum miliariorum: extra autem mœ-
nia trium. nec procul ab vrbe fons eſt aquæ acidæ,
ſaluberrimæ, quam eius incolæ bibunt auidiſſimè:
præter hunc autem potum & cereuiſiam. Medo au-
tem, qui nuſquam lautior meliorque conficitur, af-
fatim exhauritur. Litomeritium vineta habet. Kut-
tenbergium argenti fodinis diues eſt. Launum fru- *Prouentus*
menti fructuumque reliquorum prouentu felix *Bohemiæ.*
eſt. Glatavvenſium caſei, Rakouicenſium verò ce-
reuiſia cōmendatur. Bernum autem ferrifodinis ac
ſclopetis nobile eſt. Landshutenſium ager gemmi-
fodinis celebratur. Gilouuium inſuper auri, Rum-
bavv argenti, Granpenum ſtanni, Schonbachium
argenti viui, Linſtadium plumbi minæris fœcunde
ſunt. Pardubitzenſes autem gladij & enſes magno
vbique pretio ſunt. Aere quod perpetuis Aquilo-
nis flatibus expoſita ſit regio, fruuntur duriore ac
frigidiore, nec tamen inſalubri. Regio Hercinia ſyl-
ua vndique cingitur, Albi ac Muldauia irrigatur.
Ager ipſe hordei ac tritici ferax, populo, pecore, ac
piſcibus abundat. Ferarum etiam ingentem habet
copiam ob ſyluarum frequentiam, quæ vulpium,
urſorum, ceruorum, vrorumque ſeu bubalorum,

Lomi fera. quos lomi ipſi ſua lingua vocant, aſſiduam venationem præbent. De hac autem fera quam lomi ipſi vocant, perhibent, quòd venata veſicam (quam largam infra mandibulam in collo penſilem habet) aqua calidiſſima, dum canes inſequentes fugit, impleat, eoſque hac cùm poteſtas datur, inſpergat; qua quicquid tactum fuerit, aduritur, non ſecus ac ſi feruenti aquæ immerſum fuiſſet, vt & pilos & cutem abſumat. Metallicarum ac minæralium, item aromaticarum rerum pharmaceuticæ inſeruientium, ditiſſima regio eſt. olei tamen (quemadmodum & reliqua Germania, ſterilis eſt. Vino non caret omnino, auſterum tamen & paulò acidius gignit. Ditiores autem nobiliori ac delicatiori vtuntur, ex Auſtria & Hungaria importato. Viciſſim ipſi cereuiſiam quam coquunt præſtantiſſimam in eaſdem regiones exportant. Thermis quoque calidis & ſalubribus non deſtituitur hoc regnum. Mons Pinifer in eo, à pinuum quas profert abundantia ſic dictus, & in Nariſcorum ora ſitus, intra ſpatium duorum ferme millium paſſuum quatuor inclytos amnes non ſine admiratione & naturæ maieſtate effundit in quatuor Orbis cardines: idem mons auri, argenti, argenti viui, ferri, ſulphuriſque minæris fœtus, gemmarum etiam fodinas exhibet. inde dici ſolet, ſæpenumero in monte Pinifero vaccam lapide peti, qui vacca ſit pretioſior. Syluis regio hæc tanquam natiuo muro circumdatur: cuius pars ea quæ inter Occidentem & Septentrionem porrigitur Gabreta ſylua Straboni dicitur. portio verò qua à Meridie ad Danubium vſque pertingit, Luna ſylua Ptolemæo vocatur, hodie Paſſauica ſylua; verſus Occidentem qua Morauiæ contigua eſt **Der Schiech** vocatur. Vndique hæc regio Germanis popu-

Mons Pinifer.

populis ſepta eſt. Terminatur enim ad Septentrionem Sileſijs ac Miſnenſibus, ad Occaſum Voitlandia, Norico agro, ac Palatinatu ſuperiori; ad Meridiem Auſtria ſeu Pannonia ſuperiori; ad Ortum Morauis ac Sileſitarum parte, qui omnes Germani ſunt: quamuis ipſa regio non Germanica ſed propria ſibi vtatur lingua. hoc tamen cum Germanis & præcipuè cum Saxonibus incolis terræ commune eſt; quòd non magni ſed ingentes ſint potatores, vtpote qui vbi potum è recenti dolio promptum guſtare inceperint; non deſiſtunt nec diuerſorium egrediuntur donec penitus ſit euacuatum. Aliâs magnanimi multum ſunt, & per omnia ferè leonibus comparandi, ſub cuius etiam ſidere naſcuntur, quemque pro inſignibus ſuis geſtant. præterea & Electoratus dignitate Regnum hoc decoratum eſt, idque non ſine graui, vt creditur, cauſa: locus enim & naturâ munitiſſimus eſt, communiſque Germaniæ libertati quaſi innato ſtudio ſemper addictus. *Antiqua Germanorum laus.*

Colligitur autem regio hæc ab Occaſu in Ortum; hoc eſt, in longum habere miliaria Germanica vnum & quadraginta, aut Italica centum ſexaginta quatuor; ab Auſtro autem in Boream miliaria Germanica ſex & viginti; aut Italica centum & quatuor.

HELVETIA. Cap. 5.

HElvetia non totius modo Germaniæ, ſed vniuerſæ etiam Europæ regio eſt altiſſima. namque tota ferè inter Alpes ſita ſummorum Europæ fluminum, velut Rheni, Padi, Rhodani, &c. fontes complectitur; qui inde tanquam loco excelſo in varias Europæ partes decurrunt.

Huius regionis potior pars hodie confœderatorum terra dicitur, continetque vrbes ac dynaſtias ſeu præfecturas Vri, Svvitz, Vndervvalden, Tigurum, Luceriam, Zugam, Vvallim, Claronam, Solodurum, Bernam, Abbatis cellam, & nonnullas alias quæ omnes liberæ ſunt, nulli parentes Principi.

Partes regionis. Continet præterea valles aliquot, vt ſunt Ergouia, Sungouia, Turgouia, Briſgouia, Nuithones ſeu Vchtlandia, Auenticenſis tractus, & Alſatiæ quædam pars. Epiſcopatus complectitur Baſilæenſem, Conſtantienſem, Loſanenſem, & Curienſem. Comitatus verò infinitos propemodum, Habsburgenſem, Kyburgenſem, Grierenſem, Sarganſenſem, Badenſem, Rheinfeldenſem, & complures alios. Baronatuum vix eſt numerus. Habet autem & præter ſupra memoratas vrbes plures vix illis ignobiliores. Vindoniſſa olim celebris, nunc viculus tantùm eſt, vulgo Vvindiſch vocatur; Forum Tyberij Keyſerſtul; Gaunodurum, Zurzacum ſiue Lauff. nberg, Vitodurum VVinterdur, Arbor felix ad lacum Acronium, Arben, vulgo Friburgum, Schaffhuſium, Sangallum.

Incolarum qualitas. Gens eſt vt Volaterranus ait, animæ prodiga, & reuera bellicoſa, breui vtens armatura. Hodie viris iuuenibuſque minimè ignominioſum eſt, & vaccas mulgere, & reliqua puellaria munia obire; vt mirum videri queat, eandem gentem ſummæ fortitudinis ac penè infinitæ ſeruitutis capacem. Tanta horum virtus ac potentia, vt & Principes & Imperatores aliquot, dum eos ſubiugare niterentur, non ſolum animarum ſed & opum ac ſumptuum iacturam fecerint: quod inuiolata eorum fœdera præſtiterunt, cuius autores primi fuêre Vri, Svvitz, Vndervvalden: qui eiectis præfectis in libertatem ſeſe vindicarunt, anno Chriſti 1315.

Iis deinceps ſe adiunxêre Lucernates, poſt hos Zugenſes, quos ſecuti ſunt Tigurini, ac mox Bernenſes, quos paulatim ſecuti ſunt reliqui. poſtremi ferè ipſis acceſsêre Baſileenſes, ac Griſones ſeu Lepontij, Comenſis lacus accolæ. In hac enim terra ad Mortenſem lacum Carolus Burgundiæ Dux omnibus amiſſis copijs lacum tranando vix vnus incolumis euaſit, anno 1475. Regio omnis ſalubri fruitur âëre: montoſa eſt vſque adeo, vt reliqua Europa vniuerſa tot ingentia montium cacumina, tot faſtigiatas, ad nubes vſque rupes; tot ingentes perpetuò niue in duratos montes in collium verticibus nuſquam exhibeat atque hæc regio. Valles rurſum tantæ profunditatis: vt abyſſum intueri videaris. Ita tamen aſpera duraque hæc tellus incolarum indefeſſo labore, induſtria ac cultura miteſcere cœpit, vt nulla parte ſterilis ſit; quin ad vitam ſuſtentandam producat non ſolùm neceſſaria, ſed & quæ luxui ac delicijs inſeruiunt. Frumentum abunde profert; quanquam pleriſque in locis, niſi gleba exulta fuerit, ſementem fruſtra proieceris. Verùm huic incommodo agricolarum labor & induſtria occurrit. Vinum multa loca adeo generoſum producunt, vt Rhenenſe longe ſuperet & virtute & ſapore. Heluetij præterea armentis abundant, vnde magna ipſis annonæ facilitas accedit: quam augent venatio frequens, aucupium ſingulare, piſcatio ditiſſima tot non ſolùm fluminum ſed lacuum etiam ampliſſimorum ac piſcoſiſſimorum. Et cùm infinitus ferè fluminum ex montibus Heluetiæ ſcaturientium ſit numerus: eorum ortus curſuſque omnes ſpecialiter referre anguſtia non patietur. nominatiſſimus tamen lacuum Bodanicus eſt, quem & Brigantinum à Brigantio oppido,

Regionis ſitus & qualitas.

Heluetia aquoſa & piſculenta.

& Acronum ſeu Acronium, Conſtantienſem quo-
que appellant: eum Rhenus perlabitur, nec miſcens
aquam ſuam, incorruptus inde exit. In Occidente
habet lacum Neoburgenſem, Lacum Lemannum.
In Meridie ſunt Verbanus lacus, Gauni lacus, La-
rius lacus, Seuinus lacus, Benacus lacus. Mediterra-
nei autem lacus ſunt Lucerianus, Tigurinus, Riua-
nius, ac nonnulli alij. His miraculi cauſa annumera-
Pilati lacus. bimus etiam lacum Pilati, qui in monte quem
Montemfractum vocant inter Luceriam & Sylua-
niam, in ſummo penè montis iugo paludinoſo ſo-
litarioque ſitus, ſyluis vndique circumdatur, ne ſci-
licet à quoquam irritetur. Fertur enim ſummas ſæ-
uiſſimaſque tempeſtates eum cauſari, ſi quid data
opera iniectum fuerit, quod accolæ experientia ſi-
bi notum eſſe teſtantur. locus eſt viſu horrendus
aqua ſuo aluco incluſa, nec exitum habet, neque
flumen in ſe recipit aliquod, nec pluuijs augetur
nec niuibus: vento etiam minimè agitatur; quin
ſemper ſui ſimilis, nigras ſuas tuetur vndas, nec fa
eſt peregrinis eum adire locum, ne temerè quid in-
ijciant, vnde vicina periclitetur regio. Montes hîc
enumerare opus haud erit, cùm notiores ſint pe
Orbem montes Rhetij, quàm vt quiſquam eorum
nomina deſideret. Syluæ ſunt innumeræ; thermiſ-
Ingeniorum liberalium ferax Heluetia. queſaluberrimis regio hæc abundat. Mirum au-
tem quantum fera iſta ac ſyluestris regio poſtre-
mo hoc ſeculo excellentium ingeniorum ſumpſe-
rit incrementum: Tigurinus namque fuit Iuſtu
Amannus pictor ille ac inuentor copioſiſſimus
Sangallenſis fuit Ioachimus Vadianus poëta ex-
cellens, Mathematicus ac præſertim Geographu
exactiſſimus, quod ipſius in Pomponium Melan
com

commentarij, & trium Orbis partium epitome demonſtrant: quin & Theologus ſui ſeculi eximius. Bremogartenſis fuit Bullingerus. Baſilienſis fuit Ioannes Oporinus typographus doctiſſimus. Capellenſis fuit Ioſias Simlerus, elegantis homo ingenij ac doctrinæ, Mathematicus nobilis, ac hiſtoricus excellens, Theologiæ in ſchola Tigurina profeſſor. Bernenſis fuit Sulcerus trium linguarum, & artium diuinarum ac humanarum egregiè peritus. Tigurinus fuit Ludouicus Lauaterus, Ioannes item VVolphius philoſophiæ pariter ac Theologiæ eruditiſſimi: Conradus item Geſnerus, Græcus, philoſophus ac medicus notiſſimus. alijque innumeri quorum multi citra inuidiam nominari non poſſent.

MORAVIAE MARCHIONAtus. Cap. 6.

MOrauiæ ſeu Marauaniæ nomen à Marauaha fluu. qui eam perfluit regionem, deducitur. Multis tamen Marcher potius quàm Merchern dicendi putantur: idque à Marcomannis Sueuorum populis. quorum quidem ſententiam haud immeritò amplectimur, ij enim dubio procul Morauiam tenuerunt, & poſtmodum etiam Bohemiam eiectis Boijs. inde olim etiam Marcomanniam appellatam fuiſſe regionem hãc, in Bohemica ſua hiſtoria teſtatur Ioannes Dubrauius. Non exiguam etiam Marauaniæ Sileſiæque partem Quados tenuiſſe conſtat, iuxta Lunam ſyluam. Marauaniam præterea quæ ad Iſtrum declinat, putãtur coluiſſe Oſi, quorum Tacitus meminit,

Arrianus in Germanorum hiſtoria ſua ad hunc modum ſcribit:Harum gentium extremi ſunt Quadi & Marcomanni, poſt hos Iaziges Sarmatarium gens, hos ſequuntur Getæ, eos autem magna Sarmatarum,hoc eſt Tartarorum ac Polonorum pars. Sufficiat tamen vel hæc ſola ratio, quòd antiqua Marcomannorum ſedes fuerit,nimirum quod iuxta Hanam fluuium ſæpius ab agricolis inter arandum inuenta fuerint numiſmata veterum Imperatorum Romanorum, inter cæteros autem M. Antonini, quem plurimæ teſtantur hiſtoriæ gentem hanc debellaſſe. moneta autem erat ex hoſte ſpolium, cum hac inſcriptione DE MARCOMANNIS. Sunt etiam qui ex vocabuli etymo conijciant, deinceps Marcomannos eam Germaniæ prouinciam occupaſſe quæ vulgò die Marck appellatur, ſeu Marchia Brandenburgenſis vltra Albim,verſus Oceanum, cultores enim eius die Mercker, hoc eſt Marcomanni quaſi Marckmenner dicuntur. Creduntur etiam Marcomanni à limite nomen ſortiri, quem nos Marck vocamus. Non deſunt qui ab equis nomen adeptos Marcomannos tradant, ſicut Marſchalcum equitum præfectum, Marſtallerum equorum ſtabuli magiſtrum appellamus:ſiquidem Maren & Merrhen noſtrate lingua equum & equam ſignificat, vnde Merrhenlant interpretantur equarum regionem. probabilior tamen prior eſt ratio.Regni titulo olim hæc regio decorabatur,cuius Rex vicinis Bohemorum Polonorumque ducibus imperabat: nunc verò multò inferiori fortuna contenta, ſuis deinceps aliquando ducibus, poſtmodum Marchionibus paruit, nunc diſtracta. eius tamen potior pars ac penè tota Bohemiæ regib. paret.reliqua pars alijs Primorib. ac Baronibus ſubeſt.

Marcomannorũ ſedes.

Marauiæ etymon.

Gẽtis

Gētis caput, ac Marchionis ſedes eſt Brin, Eburum. Olomontium Epiſcopalis ſedes eſt, Volagradenſis prius dicta. Vrbibus præter has plurimis, domibus, mœnibus, turribus, & id genus ædificijs clariſſimis abundat: cuiuſmodi ſunt Zuoyma, Radiſch, Iglauia, Noua ciuitas, Mons Nicolai, VVeiskirchen, Cremſer, Coſerlitz olim Marchionum ſedes, & cōplures aliæ. Incolarum lingua eſt Sclauonica ſeu Bohemica & Teutonica mirum in modum commixta & confuſa. Aër loci mollior, atque ob id corruptioni magis obnoxius dicitur. Prouincia eſt vt populoſa, ita frumenti ferax, piſculenta & nemoroſa. Vinetis quoque abundat, maximè vbi in Orientem vergit, quod inde abundè in Sileſiam Bohemiamque exportatur. Eius etiam campi præter neceſſariarum rerum mirificam fertilitatem vbertatemque, croci etiam optimi plurimum proferunt. Sudetæ montes iuxta Iglam vrbem minæris etiam fœti habentur. Regio quàm Bohemia minus montoſa, non tamen prorſus plana. Ponit hoc loco Ptolemæus Orcynum nemus, Sudettam, & Gabrettam ſyluas. Flumina habet nō pauca, quorum quatuor ſunt præcipua Moraua, ſeu Marauaha, amnis piſcoſiſſimus vulgò die Marhe qui regioni nomen indidiſſe creditur, ſeu potius à regione ſibi ſumſiſſe nomen: lambit mœnia Olomūtij, & regiunculā Auſtriæ Marckfeldenſem. Svvartzaha Brinnā præterlabitur, & Theię miſcetur. Theya vel Deins, qui nōnullis etiā Thiſia vocatur, Zvvoijnā præterfluit, & limitem Marauaniæ ac Auſtriæ ſtatuit. Igla, à quo Iglauia vrbs nomen ſortita eſt, dirimit Morauos à Bohemis, & Morauiam quoque ingreditur. hiſce & Hauam fluuium iungemus, vt plurimum temporis paruum quidem, vbi verò exundauerit, longè late-

Terræ qualitas.

Fluuij.

que omnes circum agros adeò humectatione ſua fœcundantem, vt ab eius loci incolis haud immeritò adipis ſuæ fouea nuncupetur. Porrò regio hæc à diuo Methodio primum iuſſu Arnulphi Imperatoris ad fidem Chriſtianam conuerſa eſt, ſub Henrico 4. Imp. circa annum Chriſti 895. poſtmodum tamen anno 1086. vnà cum Luſatia & Sileſia regno Bohemię attributa eſt. Deniq; regionis huius termini hi ſunt: ad Orientem habet partim Hungariam, partim Auſtriam; ad Meridiem Auſtriam tantùm; ad Occidentem Bohemiam; ad Septentrionem Sileſiam. initium ſumit ex parte Occidentis ſub gradibus longitudinis.

SILESIAE DVCATVS.

Cap. 7.

SIleſiam à cognomine ſibi amne nomen accepiſſe tradit Conradus Celtes libro Amorum 2. Eleg. 5.

Hîc Odera (à priſcis qui nomina Sueuus habebat)
Naſcitur, & Codani præcipitatur aquis.
Sueuus qui Sleſum ſocium ſibi conuocat amnem,
A quo nunc nomen Sleſia terra gerit.

Malunt alij ab eiuſdem nominis Rege deducere. Althamerus Sileſus de Elyſijs Sueuorum populis exiſtimat nuncupatos, eoſque Selignos quoque appellatos tradit. quos cùm eo loco habitaſſe colligere liceat, in Sileſiorum eos nomen tranſijſſe veriſimile eſt, facta literarum metatheſi & s præfixa. ij Lygiorum, Sueuorum gentes fuere, quod Tacitus oſtendit: numeroſa gens, ſuis diſtincta nominibus, Arij, Heluecon æ, Manimi, Elyſij, Naharuali, hæ omnes

mnes Sueuorum gentes poſt Hermunduros, Marcomannos, Quados, & Bohemiam, verſus ad Eurum ad Danubium ſiti, in ipſa Sileſiæ regione ampliſſima, Pannoniæ finitimi ſederunt. Teſchnenſem autem ditionem iuxta Carpathum montem ad Viſtulæ flu. caput, Morauiæque contermina Luti Burijque habitarunt. quo loco Parmæ campos Ptolemæus ſtatuit. Marſigni Sueuorum quoque populi indubiè hunc Sileſitarum tractum tenuere prope Niſſam vrbem, vbi à Ptolemæo Maruinges Curioneſque locantur. Quados præterea etiam Sileſiæ Morauiæque loca habitaſſe conijciunt nonnulli, quorum ſedes Ptolem. libr. 2. cap. 11. ad Hercyniam Syluam fuiſſe poſitas refert, inquiens: Sub Hercynio nemore Quadi, ſupra quos ferri minæra & Luna ſylua: quos tamen Marcomannis Bohemiſque Occidentaliores facit, cùm Marauani ac Sileſitæ ijſdem Orientaliores ſint. vnde circa Voitlandos potius ſedes horum antiquas, quærendas eſſe veriſimilius eſt. De Sileſitis tamen hæc ſunt quæ Beatus Rhenanus refert: Indubium eſt (inquit) hanc gentẽ aliundè ex remotiore Aquilonaris Germaniæ parte emerſiſſe, & Quadorum interiora partim loca tenere. Porrò & Ioannis Cratonis ſententiam de patria ſua etiam hoc loco audiamus. De Sileſiorum (inquit) appellatione non eſt tantoperè inquirendum, nec ab Elyſijs vſque eam deducendam, facilè exiſtimare poſſunt ij qui regionem illam quam nũc tenent, Quados incoluiſſe ex veterum ſcriptis perſpectum habent. Idem autem Saxonibus & antiquis Germanis Quad, quod Polonica ſeu Sclauonica lingua Sileſium dicimus, ſignificat. Fuit enim gens quæ ex varijs locis in iſta confluxit, belli magis quàm pacis ſtudioſa, plura deſtruens quàm exæ-

Variæ ſententiæ de Quadis ac Sileſijs

exędificans, & dominorum impatiens. Primus quidem Rex quem dominum habuit, Boleslaus Polonus fuit: is natus eſt anno Chriſti 967. &c, hucuſq; Crato. Certè Quados adhuc Danubij ripæ prętexi, contra Vindebonam, quam truncato vocabulo Viennam appellamus, à vero non abhorret, tametſi nomen obſoluerit. Sileſitæ olim proprijs ſuis ducibus paruere; iam verò Bohemiæ regno magna ex parte ſubſunt. Sermo gentis Germanicus eſt, quamuis vltra Viadrum fluuiū Polonicus præualeat. In duos regio Comitatus ſeu Ducatus diuiditur: Lignitzenſem alterum, prępotentē, ac diuitem; Svveidnicenſem alterum, qui Coronæ ſubeſt Bohemicæ. Vrbium ampliſſima eſt Vratislauia, ad Oderæ & Olauæ fluuiorum confluentem ſita, ab Vratislao Bohemo, teſte Crantzio in Vandalia ſua, condita & ab eodem ſic dicta. vnde & in illius honorē vrbs in ſuis inſignibus literam VVgerit; quemadmodum hoc Imp. Carolus V. in ſuis priuilegijs vrbi datis confirmat. Ptolemæus in his oris Budorgin ſitam fuiſſe exiſtimat: ideoque opinantur aliqui ex ruinis illius creuiſſe Vratislauiam. parua autem huius vrbis initia fuiſſe anno Chriſti 965. ex eo euidēs eſt, quòd in Auſtrali ripa Odræ tantùm tres vel quatuor domus turritæ, quarum veſtigia adhuc ſuperſunt, in quibus haud dubiè duces Quadorum habitarunt, extiterint. hodie totius regionis eſt metropolis, & Epiſcopalis, priuatis publicisque ædificijs magnificè ornata; vt typus demonſtrat quem aliquando tabulæ æneæ incidi Franc. Hogenbergio, ad exemplar quod Iacobus Monauius genere ac virtute nobilis, patritius Vratislanienſis, ſumptibus ſuis effigiari & quarto Vrbium theatro inſeri curauit. Hanc ſequuntur Niſſa Epiſcopalis ſedes; Gla-

Diuiſio terræ

Vratislauia vrbs.

Glagouia maior, Signitium, Oppelia, Svvciuitium, & Svvcibuſſa, à Sucuis forſan cognominatæ, ac complures aliæ. Aër quamuis paulò frigidior, vtcunque tamen mitis eſt & clemens. Regio ipſa ab initio vaſtæ Herciniæ ſyluæ portio fuit. vinum pro ducit modicum, quamuis auſterum; in Groſnenſi agro. vulgus cereuiſiam potat. Annonæ hic magna felicitas: ager enim quòd crebris torrentibus ac riuulis è Bohemicis montibus profluentibus irrigetur, fertilis admodum eſt. Thermas habet prope Hirſchbergum ad Zackam fluuium. Minæris quoq; non deſtituitur. Fluminibus cùm rigetur plurimis, tamen Viadro tanquam principi omnes corriuantur, eiuſque fontes in Morauiæ conterminis viſuntur.

Aer.

Regionis qualitas.

PRVSSIAE DVCATVS.
Cap. 8.

PRuſſiæ nomen à Bructeris deriuatũ credunt, voce nonnihil corrupta ac fracta: Bructeri enim ex VVeſtphalia à Charmauis & Angriuarijs eiecti, ſecedentes in Sarmatiam conceſſere, & ad Balthicum mare, domitis aut expulſis Vlmigeris, conſederunt: quod Claudianus hoc verſu innuere videtur: venit accola ſyluæ Bructerus Herciniȩ, latiſque paludibus exit Cimbrus. In Sarmatiam enim Hercinia propagatur. Verùm de Pruſſiæ nomine aliter ſentit Eraſmus Stella; ait enim Boruſſios populos, quos Ptolemæus ad Riphæos montes collocat, non longè qua Tanais ex eis erumpit, infelicitate ſua concitos (quòd perpetuis niuibus algoribuſque illic terra riget, & ad omne naturæ myſterium damnata eſt) ad nouas ſedes capeſſendas,

das,patria egreſſos, in hæc loca delapſos eſſe, terramque vocabulo gentilitio Bruſſiam appellaſſe; qua vſque hodiè vnius literæ ſuppreſſione vulgò dicitur. Rei fidem facit quòd etiamnum populi ad Ryphæas habitantes,eodem parique ſermone quo hi vtantur.Pruſſij itaq; VVigevvonũ populiſunt,ad Chylipenũ ſinum in Sarmatia Europæa, atq; inter Vãdalos numerantur:quorũ ſedesolim Burgundiones,Varinos,Gothones,Fẽnos, Aeſtios,Stagnanos Sargatios,Sudinos,Gelidanos,Gillones,Charinos; Sulones,Subarios,Vlmigeroſque tenuiſſe ferunt: à quibus etiam hodie pars Pruſſiæ ad Viſtulam,Culmigera vocatur. Partitur eam more antiquo Eraſmus Stella in Pomeſaniam,Galingiliam, Notangiam,ac poſtmodum in Barthiam, Naoderitiam, & Varnitiam. pro ducatu habetur hodie pars Orientalis;quæ Chrono ſeu Pregelio fluu. adiacet Schalaunia & Graudia vocatur. His in Meridiem vicina eſt Bartenlandia,ac Meridionalior his Mazouia,ad Occidentem iuxta Elbingum fluuium Natangia remanet,& ſub hac Huntavvia. His verò Occidentalior pars ad Viſtulæ vtranque ripam iuxta Gedanenſe emporium Pomeſania & Pomerellen vocatur.Culmigera autem quam Culmiſchlant vocant; ad Triebnitzam atque Viſtulam fluuium verſus Meridiem ſita eſt.In Septentrione autem inſula illa quam ſinus efficit Venedicus, Samaiden vocatur. Vrbium omnium opulentiſſima eſt Dantiſcum, proprio nomine Gedanum dictum. præter hanc, maritimam quoque vrbem habet Konigſpergum, Latinè Regium montem appellare licet, ad Chronum ſeu Bregelam amnem,in quo magni magiſtri ordinis Teutonicorum ſedes erat aliquando.Intus in mediterranea,in ripa Viſtulę fluuij,inſignis vrbs

Partitio Pruſsiæ.

Vrbes præcipuæ.

Turream & Turroniam, vulgò Dorn, vocant. ſimiliter Marieburgum, Chulmen, Notangen, Samkād, Riſenburgum, Brunsbergum, ac complures aliæ. Aëre fruuntur frigidiore. Terra ipſa vaſta, ampla, ac paludibus inuia. Frumenti ferax eſt, aquis irrigua & plena colonis; multa ambitioſa oppida, multi maris ſinuoſi reflexus amęnam efficiunt. pecorum ingens vis, inceduæ ſyluæ; multa venatio, piſcatio diues. Saltus Hercynius qui per Bruſſiam vagatur, multa ferarum genera gignit: alces (vulgò Ellents vocant) onagros, vros ſeu bubalos (Germ. Auroxē) & biſontes ſeu buffalos. Præter illa & pelles quaſdam non ignobiles mittunt hæ ſyluæ quæ veſtium fimbrijs principum hominum ſubduntur. Lectorū etiam ſtragula ex his conficiunt, pretioque ingenti vendunt. Habent etiam ſyluæ præter id ſuas diuitias, apum ſcilicet ingentem multitudinem, quarum alueos ceu natiuos intra arbores ad hoc cauas cernere eſt; ex quibus tanta mellis & ceræ copia prouenit, vt Germaniæ Britanniæque, ac cæteris adiacētibus inſulis commodè harum rerum vſum ſuppeditet. Ora illa quæ quaſi Peninſula eſt, ob ſinuoſos flexus Maris, terramq; ſpatioſè in freta excurrentem (Samaiden vocant) ſuccino abundat; in quam vi tempeſtatum idipſum aduehitur: id olim à Germ. Gleſſum vocatū eſt, inde Gleſſaria regio ipſa. quo loco aūt ſuccinū naſcatur, ſcriptores non conueniunt; quidq; ſuccinum ſit controuerſum quoq; eſt. crediderunt nonnulli purgamentum eſſe Maris concreti; quidam Solis radiorum ſuccum eſſe putarunt, quos circa Occaſum vehementiores in terram actos ſudorem pinguem in eam partem Oceani relinquere; deinde æſtuante mari in littora Germaniæ eijci dixerunt. quidā verò è limo quorundā mon-

Prouentus Pruſſiæ.

Succinum.

montium Sole excaleſcente fluitare exiſtimant, in herbido ſolo atque algido, quod his montibus ſubeſt, indurari: Oceano illic efferueſcente, inde rapi, & in proxima littora expelli. Plinius tradit ſuccinum gigni in inſulis Septentrionalis Oceani, ipſumque naſci de fluente medulla, ex pinei generis arboribus (ſicut enim reſina in Cerafis, ita & in pinis humoris abundantia erumpit) denſamque rigore Maris, eo intumeſcente ex inſulis rapi, certoque littore expelli, ita inuolutum herbis, vt ex his pendere videatur, ſalo expui. Fluminibus terra rigatur ad Ortum Chrono, ad Occaſum & Meridiem Viſtula: Mediterranea Elbingus fluuius humectat. Sunt præter hos alij ignobiliores, Bro, Oſa, Triebnitz, Brieg, & innumeri ferè lacus. Eruditiſſimam huius regionis deſcriptionem reliquit nobis Andreas Aurifaber Vratislauienſis.

POMERANIA, ET BRANdeburgenſis Marchionatus. Cap. 9.

POmerania nomen accepit à Pomeſano Vidunti, primi Boruſſorum regis filio. Malunt tamen alij Vandalicè ſic dictam Paa Meern, quaſi terram Maritimam, cuius ἐτύμȣ coniectura non videtur inanis. Diuiditur autem in ſuperiorẽ & inferiorem Pomeraniam, quarum hęc in Orientem vergens, Vandaliam Caſſubiamquę, illa Stetinenſem Barthienſemque ſeu VVolgaſtenſem Ducatus, ac Rugiam inſulam complectitur. Oppidis egregijs exculta eſt, inſigniora tamen quæ habet maritima ſunt, præter pauca quædam mediterranea,

BRITANICÆ INSVLAE



montium Sole excaleſcente fluitare exiſtimant, in herbido ſolo atque algido, quod his montibus ſubeſt, indurari: Oceano illic efferueſcente, inde rapi, & in proxima littora expelli. Plinius tradit ſuccinum gigni in inſulis Septentrionalis Oceani, ipſumque naſci de fluente medulla, ex pinei generis arboribus (ſicut enim reſina in Ceraſis, ita & in pinis humoris abundantia erumpit) denſamque rigore Maris, eo intumeſcente ex inſulis rapi, certoque littore expelli, ita inuolutum herbis, vt ex his pendere videatur, ſalo expui. Fluminibus terra rigatur ad Ortum Chrono, ad Occaſum & Meridiem Viſtula: Mediterranea Elbingus fluuius humectat. Sunt præter hos alij ignobiliores, Bro, Oſa, Triebnitz, Brieg, & innumeri ferè lacus. Eruditiſſimam huius regionis deſcriptionem reliquit nobis Andreas Aurifaber Vratislauienſis.

POMERANIA, ET BRANdeburgenſis Marchionatus. *Cap. 9.*

POmerania nomen accepit à Pomeſano Vidunti, primi Boruſſorum regis filio. Malunt tamen alij Vandalicè ſic dictam Paa Meern, quaſi terram Maritimam, cuius ἐτύμȣ coniectura non videtur inanis. Diuiditur autem in ſuperiorē & inferiorem Pomeraniam, quarum hęc in Orientem vergens, Vandaliam Caſſubiamquę, illa Stetinenſem Barthienſemque ſeu VVolgaſtenſem Ducatus, ac Rugiam inſulam complectitur. Oppidis egregijs exculta eſt, inſigniora tamen quæ habet maritima ſunt, præter pauca quædam mediter-

nea,

NB

Erronee hic inserta tabula
transferenda est ad paginam
supra 299.

ranea, quorum primum eſt Stetinum emporio celebre; quòd ex VVineta vrbe eò translatum eſt, totiuſque Pomeraniæ hodie eſt metropolis, amœniſſimum habens ſitum: in ea namque ſedem habent continua ſerie à maioribus acceptam illuſtriſſimi Stetinorum, Pomeranorum, Caſſubiorum & Vandalorum Duces. quin & Hanſiatici iuris ac fęderis, ad illud ſocietatis membrum pertinens; quod Lubecam totius Hanſæ caput primò reſpicit. dicitur & alio nomine Sedinum, à Sedinis vt creditur denominatum, populis ad Viadrum. nulli maritimarum vrbium cedens: piſcium lectiſſimorum varij generis & pretij exigui inexhauſtum promptumque viuarium. pratorum quoque ac lignorum cæduorum adeò ferax; vt parem haud facilè, ſuperiorem vix vſque reperias. Habet præterea VViſmarium, Straelſundam oppidum ſplēdidum, olim ſuum habens principem, quem dixêre Bardenſem Ducē; Gripesvvaldum à Ptolemæo Viritium iuxta coniecturam appellata; Roſtochium in quo liberalium artium florens Academia; quam impetrarunt ciues ac Magnopolenſes ſeu Mechelburgenſes principes; anno Chriſti 1415. accerſitis ac doctoribus potiſſimum ex Erphordienſi Gymnaſio, quod & ipſa recens tum ſchola erat; annos necdum habens ... Eſt verò is locus Roſtochienſis in eam rem non incongruens, quòd aëris ſalubritas, & victualium omnis generis leui pretio ibi magna ſit copia. Caminum Epiſcopalis ciuitas; Iulinum nunc VVolinum oppidum, olim nulli clariſſimarum vrbium ſecundum, multas etiam præclaris opibus & ſtructuris exuperans, nobile Vvandalorum emporium tantis opibus mercatorum negotijs frequēs, vt excepta Conſtātinopoli, vix aliud ei par Europa tum

Stetinum metropolis.

Roſtochium.

VVolinum emporium.

Gg vide-

videret. ibi enim Ruſſi, Dani, Sorabi, Saxones, &
VVandali ſuos vicos & plateas incolebant. ex ho
oriundus eſt Io. Bugenhagen Pomeranus, Eccleſi-
aſtes Vitæbergenſis celebratiſſimus. Apud Camin
inſula eſt Chriſtoa. Inſulæ VVinetæ olim vrbis i
ea nomen erat. hic & Oderæ oſtia, quę tribus allui-
tur fretis, quorum vnum viridiſſimæ aiunt eſſe ſpe-
ciei, alterum ſubalbidæ, tertium motu furibund
perpetuis ſæuiens tempeſtatibus. Eſt hæc regio vbi-
que fertilis, aquis irrigua, ſtagnis abundans, naui-
bus peruia, diues agris, paſcuis, pomis, lignis, riuis
montibus, venatione, pecore, piſcibus, frumento
butyro, melle, cera, & alijs his ſimilibus rebus. Mo
tium in hac plura iuga, ſed quorum apud authore
nulla fama eſt, ſicui nec ſyluarum, quibus tame
Pomerani non carent. Mineræ tamen nec therm
vllæ in ea celebres. colligunt autem incolæ ſucc
num in Mari, ſed non tantum quantum Pruten
Nullus denique in hac regione locus eſt vacuus, n
ſi quem aut lacus aut montes occupant.

Regionis proventus.

Brandeburgenſis Marchionatus ſic dictus à m
tropoli in ea Brandeburgo, patria clariſſimi iſtiu
poëtæ Georgij Sabini. vnde autem nomen hoc ſo
tita ſit vrbs, ex eiuſdem poëtæ diſticho quodam co
gnoſci poteſt; ſic enim ait in Hodœporico ſuo:

Italiam quando digreſſus ab vrbe petebam,
A Duce quæ Brenno condita nomen habet.

Brenneburgum enim à veteribus appellata eſt, ſe
vulgus Brandeburgum pronunciat. burgum ver
ſignificat propugnaculum, ἀπὸ τοῦ πύργο
& Brennus idem nomen eſt apud Germanos, quo
Galeatius, vt veteres illæ cantiones teſtantur qu
in Theodoricum Regem Gothorum extant. ſign
ficat igitur Brenniburgum, equitum ſeu Galeato
vrbem

Brandeburgũ vnde dictum

vrbem. Tota autem hæc Principis Electoris ditio in ſeptem aut octo prouincias eſt diſtributa, quæ ſunt Aldemarck, Mittelmarck, Nevvmack, Vkermarck, Pregnitz, Croſſen, ducatus Sterneberg & Cotbus dominia. item pars Luſatiæ: inter quas proculdubio tum ad conſeruationem & curam totius corporis, tum ad gubernationem populorum certus eſt ordinum ſtatus & politia. Electoratus etiam dignitas Marchionatui huic attributa. tenuerunt ſiquidem Brandeburgum tunc temporis Saxonici quoque principes, Cæſaris cognati: & facilis coniectura eſt fauiſſe Othonem impenſius hiſce regionibus quam ducatibus reliquis.

SAXONIAE DVCATVS ELEctoralis. Cap. 10.

SAxonici nominis etymon obſcurum reliquit vetuſtas. eorum Tacitus non meminit, quod tum fortaſſe ignobiles adhuc erant. Meminit utem Ptolemæus, antiquiorem licet geographiã ecutus: is Germanici maris accolas, ac potiſſimum nſulares fuiſſe docet. Speculum autem Saxonicum hanc ſentẽtiam de eorum nomine diſſerit: quòd oſt obitum Alexandri Magni, Aſiatici Petroculis ellum intulerint (eò quòd opem ſuppetiaſque ipſi lexandro tuliſſent) eoſque è Cilicia expulerint. Iſi itaque vela dantes ventis, expulſi ſuis ſedibus pulere decem & octo ratibus in Pruſſiam, quæ emus tum erat. Petra autem ſeu πέτρη ræca dictio, Latinis ſaxum ſonat: vnde Saxonum omen deriuatum eſſe creditur. Ab Aſiaticis etn Becanus & Melanthon, deducit, verùm aliò

Saxonum origo.

modo. dicunt enim Sacas Aſiæ populos colonias quaſdam à ſe emiſiſſe ad montes Moſchicos, è regione Cappadociæ : alteram, quos Saccaſſones, quaſi Saccarum filios appellatos contendit : vltra montes Tapuros alteram, ad latitudinem 56. paulò plus minus graduum, quàm Ptolemæus Saſonũ nomine ſignarit. hoc priore ſui parte, perinde atq; illud poſteriore corrupto, Saoſſones enim Symcoptos, vel integrè Saccaſſones fuiſſent dicendi, id eſt Saccarum filij. Ex his igitur Saxonibus Saxones noſtri Europæi deſcenderunt. Memini etiam me legiſſe in Friſiorum quadam hiſtoria, gentes iſtas, Friſios Brunſvvicenſes, & Saxones, à Friſone, Brunone, & Saxone ducibus denominatos eſſe : verùm huic ſententiæ quantã volet quiſq; fidẽ tribuat. Saxoniæ autem veteris fines latius multò quàm modernæ extendebantur. Initium namque eius eſt trã
Albim ab Holſatia, inde trãſiliens Albim per diœ
ceſim Bremenſem in VVeſtphaliam vſq; Rhenam
ferè pertingit. abinde verò Haſſiam peruenit, a
Herciniam Syluam (qui nunc Hertici montes di
cuntur) pertingens ad confinia Thuringiæ, in qu
olim non contemnendam partem Saxones, militi
ſtipendium à Francis, quibus militauêre, ſuſcepe
rant. Inde iterum ſub montibus longo tractu per
uenit in regionem Albi non longinquam, comple
ctens Vitæbergam & confinia eius, quæ nunc Sa
xonia ſuperior dicitur: duobus principatibus Saxo
niæ ſibi titulum vendicantibus. Legitima quadam
ſucceſſione ad principes inferioris Saxoniæ omn
regio pertinet: ſed ſuperiorem appræhenderun
Marchiones Miſnenſes cum dignitate, Electura
quæ illi inſeritur principatui. Meditullium aute
huius prouinciæ totum ex Vandalico, id eſt, Slau

c

co ſolo redactum eſt in linguam & mores Saxonum, in terra videlicet Brunſvvicenſi, Lunæburgenſi, Magdeburgenſi, & Halberſtadenſi, Ad eandem vero pertinet nationem omnis Marchia Brandeburgenſis, ex eodem ſolo Vandalico capta, ac verſa in linguam & mores Saxonum. Præter vrbes autem magnificas, omnis hæc regio, & Gymnaſia celeberrima, populum habet robuſtum ac validum quorum potus cereuiſia; cibus autem plerunque lardum crudum, butyrum, caſeus, ac reliqua lacticiniorum genera. Aër regionis durus, attamen purus ac ſalubris, niſi quà paludibus humectatur nimium, quod Marſis nonnunquam accidit. Gleba fertilis eſt, rerumque omnium, præterquam vini, prouentu felix. Mechelburgij ducatus fœcundiſſima fertiliſſimaque regio frumenti, ligni, lacuum, fluminumque piſcoſiſſimorum; pecudum etiam domeſticarum ac ferarum. Vrbibus amplis, arcibus ficiſque mirè exculta. Iſatim herbam (Quadam ipſi vocant) lanarum tinctoribus aptiſſimam abundè profert in Thuringia, ita vt incolarum pleraque pars annonam ſibi ex ea comparent. Syluas complectitur permultas, Lunenburgerheid, Spondaverheid, Ratrenavverheid, Galberheid, Pomeriſcheid, Herciniæ portiones &c. Fluminibus interluitur nobiliſſimis. Saxoniæ montana mineris fœta ſunt. Habet & Goslaria vltra æris, auri, argentique mineras, ditiſſimos ſalis fontes, quibus & Hala & Luneburgum abundat. Illud quoque memoratu dignum eſt, montem haud ita procul à Kupperbergo reperiri, qui lapidem gignat emittentem viriarum odorem. quin & marmoris copiam hæc montana exhibent. Eſt autem hodierna Saxonia vrbibus quam plurimis iiſque inſignibus mirum in

Incolarum qualitas.

Ager.

Magalopolis terræ quali.

modum decorata, quarum maritimæ pleræque omnes, ac bona mediterranearum pars Hanſeatici ſunt iuris ac fœderis, Gymnaſijs atque Academijs illuſtres, viris eruditiſſimis inſtructis, vtpote Chytræo, & alijs. Ex inclyto autem Hamburgenſi emporio olim prodijt Ioannes Oldendorpius Iuriſc. qui ſummam in ſtudijs expertus liberalitatem auunculi ſui Alberti Crantzij Hiſtorici clariſs. Gryphiſvvaldiæ doctor vtriuſque Iuris creatus, Syndicus primò Reip. Roſtochianæ conſtitutus: poſt Coloniæ Agrippinæ, ac dein Marpurgi multis annis ius ciuile in Academia profeſſus ſingulari cum laude doctrinæ, fidei, induſtriæ, ſapientiæ: commentarijs in multas Iuris partes editis quam plurimis, Marburgi obijt. Eandem patriam ſuam illuſtrauit Ioan. Aepinus Hamb. qui preter multiplicem linguarum & artium humanitatis eruditionem, primum Vitebergæ Theol. doctor creatus, deinde ſupremus Eccleſiæ Hamburgenſis ordinatus eſt Antiſtes: cui præfuit annos circiter viginti ſumma cum fide & diligentia. Nec minus Magdeburgenſis vrbs claruit ſub Eccleſiæ ſuæ Propoſito D. G. Principe Anhaltino, Comite Aſcaniæ, Bernburgi, & Serueſtę Domino. is enim primis ſtudiorum rudimentis Vitebergæ feliciter poſitis, Theologiæ totum ſe addixit, Magdeburgenſis ac Miſnenſis electus Præpoſitus, optimi Principis & Paſtoris perfunctus munere. quia & publicis ingenij præſtantis, & ſanctæ operæ monumentis apud poſteros relictis quàm plurimis, obijt morte feliciſſima, completo ætatis anno quarto & quadrageſimo:

Salutis humanæ 1553.

anno.

Oldendorp.

Crantzius.

Aepinus.

DE PVERIS INGRESSIS in montem Hameliæ.
Cap.11.

SAxonicæ huic deſcriptioni inſerere placuit mirabilem quandam nec minus miſerabilem hiſtoriolam, quam Lucas Loſſius aliquando carmine reddidit.

Hamelia in ripis iacet vrbs celebrata Viſurgis,
Qua ſathanæ eſt olim res noua geſta dolis.
Aſcaules crebrò venit hanc ignotus in vrbem,
Vtriculo pueris carmina grata canens.
Aſcaulem ſequitur puerorum longa caterua,
Ducta nouo cantu,ducta nouoque viro.
Tempore vbi multo hos circumduxiſſet in vrbe,
Vtriculi oblectans carmine dulciſono:
Vicinum ad montem deduxit præuius illos,
Ad montem,Capitum qui ſibi nomen habet.
Aſcaules intrat montem,comitantur euntem
Incauti pueri montis in ima ducem.
Fama venit,trepidi procurrunt vrbe coloni,
Procurrunt matres attonitique patres.
Stat puer illachrymans non montis in antra ſecutus,
Hic monſtrat pueri quem introiêre locum.
Perfodiunt ciues latebras montiſque cauernas,
Scrutantes pueros voce quærente ſuos.
Aſt non inueniunt perfoſſo monte dolentes,
Ah miſeri natos quàm doluêre diu.
Annales factum veteres teſtantur in vrbe,
Pictura & vitrea eſt teſtis in æde vetus.
Hei Sathanas ludens Solymam perſuadet adire,
Hos nuper pueros qui reuocare velit.

Hac etenim ſaluos annos tot in vrbe puellos
Seruari mira de bonitate Dei.
Barbaricis annos iam binos errat in oris,
Si modo adhuc aura veſcitur ætheria.
Hei ſathanæ inſidiæ quantæ? heu ludibria quanta?
Qui nos ſic miſeros ludificare ſolet.
Hoc docet exemplum Sathanas quàm quærat in Orbe
Quos leo ceu rugiens perdat vbique pios.
Et magis hic pueris intentat funera mortis
Chriſtiadum vt tollat ſancta Lycea ſcholæ.
Hunc tu Chriſte potens ſæuum compeſce tyrannũ.
Ne vaſtet cætus alueoloſque tuos.

MISNIAE MARCHIONATVS.

Cap. 12.

MIſnia Saxonum quoque regio, à cognominata ſibi primaria in ea vrbe ſic dicta, quæ ad Albis fluuij ſiniſtram ripam poſita & Epiſcopalis eſt. Recenter tamen hoc nomen regioni inditum eſt, cùm Hermundurorum hîc olim ſedes fuiſſe non obſcura coniectura colligere liceat ex Cornelij Taciti hiſtoria: nam in Hermunduris Albim naſci commemorat. Hermunduri autem Sueuorum gentes fuêre ad Albim fluuium, ſub Hercinio iugo, Danubium verſus è regione Semnonum habitantes, Velleius autem Paterculus libr. 2. Semnonum Hermundurorumque fines Albim præterfluere tradit. Tacitus autem libr. 10. Annalium docet Hermundaros cum Cattis magno prælio propter flumen gignendo ſale fœcundum & conterminum concertaſſe.

Is

Is autem Sala fluuius eſt Cattos Hermunduroſque interluens ac ſeparans, ad cuius ripam etiamnum Salinę in Hala vrbe conſpiciuntur. Ioannes Gerſon perſuaſum habet, Eudoſes, Varinos, Suardoneſque Libonotriam (quo nomine Miſnenſium ditionem vocat) habitaſſe, eoſque poſtmodum vnico vocabulo Soirabos nuncupatos eſſe. ij Sclauini fuêre, quos inter Albim & Salam habitantes Carolus Magnus oppreſſit. Inde poſtquam Germani priſtinos agros receperunt, Miſnij ſeu Miſnenſes, ac Epiſcopali vt dictum eſt vrbe vbi principis ſedes erat, cognominati ſunt. Birckheimerus Miſnenſes Cheruſcos eſſe credit, qui cum Cattis de Salis fontibus qui ſunt Halæ Miſnenſium, decertarunt. Quamuis demonſtrari planè poteſt Thuringos Cheruſcorum ſedes inter Albim & Viſurgum fluuios tenere. Camanos etiam Miſnenſium olim loca poſſediſſe credunt nonnulli. Ilingi etiam & Glaucones dicti ſunt Albis fluuij accolæ, Miſnenſium pars iuxta Serues tum, vulgò Zerbſt. Hodierni regionis incolæ fortes ac robuſti, & commendanda corporis forma ac proportione, iucundi, hilares, amici, modeſti, pacis amantes, nulla in parte Germanorum innatam feritatem ac minacitatem referentes. Marchionatus hodie eſt, olim Saxoniæ Marchionatus dictus. Valles multas complectitur, ac Voitlandiæ etiam Ducatum, & Luſatiam ſuperiorem, cuius habitatores Theurochemi dicti ſunt. Ciuitates vrbeſque principes habet Miſniam ſeu Miſſenam, quę regioni nomen ſuum communicat. Lipſia ad Pleiſſenam amnem, quæ cæteras omnes opulentia ac ſplendore antecellit, nobiliſſimoque floret Gymnaſio: quod cùm olim Pragæ in Bohemia extaret, huc anno Chriſti 1408. translatum eſt.

Varij Miſniæ olim cultores.

Incolarum ingenia.

Lipſia.

Suiccania etiam triuiali ſchola clariſſima, ad Molſdam amnem ſita. & Leiſnicza Petri Appiani patria, Aſtronomi & Coſmographi nobiliſſimi: Mathematicarum namque diſciplinarum in Academia Ingolſtadienſi profeſſor atque illuſtrator fuit maximus Carolo V. Imper. ob id acceptus mirificè, à quo ob fidem magiſterij præſtitam, & Equeſtris dignitatis ornatus titulo, & honoribus auctus ampliſſimis: Aſtronomicis inueniendis inſtrumentis ſolertiſſimus; opere egregio illo Coſmographico, vnà cum alijs quibuſdam eiuſdem generis monumentis poſt ſe relictis, ex hac vita migrauit anno partæ ſalutis 1552. Dreſdena quoque ac Torga, in quibus Principis Electoris ſedes frequens eſt. Aër dum vix ferendus eſſe dicitur, ob montium ſyluarumque humidiſſimarum exhalationes viſcoſas; præſertim vbi Ioachimica vallis ducitur in Sudetis montibus, qua Bohemiæ Voitlandiæque vicina eſt, eam namque vallem vſque adeo denſæ tetræque nebulæ nonnullis anni temporibus integebant vt Solis radios nequaquam admitterent: nunc verò ſyluis exciſis, terræque meatibus quantum interclusi erant, apertis, fluminibus quoque exitum ſuum ſortitis, ceſſant nebulæ. montes enim exſiccati, vento liberius perflantur, vnde aëre hodie ſalubriori fruuntur. In iſta autem Ioachimica valle (Germ. Iochimsthal) primùm cuſi ſunt argentei illi craſſiores, quos vulgo Thalers quaſi Vallenſes, ac deinde barbarè Thaleros vocamus. Terra montibus colliburque minæris refertis vndiquaque attumulatur in Bohemiæ finibus, ipſis Sudetis montibus. Ager etiam frumenti feraciſſimus eſt, præterquam in prædicta valle Ioachimica, vbi gleba durior, minuſque fertilis eſt: dumorum autem & ru-

Petrus Appianus.

Vallis Ioachimica.

Thaleri.

borum

borum referta; plus tamen in receſſu quàm in fronte prima habet. quod enim ſuperficiei eius denegatur, id eius viſcera abundè compenſant: argenti enim tam ſunt diuites fodinæ, vt & laudatiſſimas menſas comparare valeant. Eſt & ad tertium fermè lapidem ab Zvviccauia vrbe ad Moldam ſita, Colberg mons, id eſt, Carbonarius; è quo effoditur lapis terræ calore exſiccatus, ater ac leuis, perinde vt carbo, vnde & carbonarium lapidem appellant, quo per totam ferè Miſniam carbonum loco fabri ferrarij vtuntur, cuiuſmodi Lithantraces inferiorem Germaniam in Leodienſi & Aquiſgranenſi agris, ac Scotiam dare notum eſt. Horum carbonum fodinis olim accenſis, montem ipſum non aliter ac Aetnam, Veſuuium, aut Heclæ montem in Islandia, arſiſſe, flammaſque euomuiſſe, ita vt vicinæ Zvviccauiæ ingentem terrorem incuſſerit, memoriæ proditum eſt, hodieque fumare conſpicitur.

Hala etiam præter Salis fontes, vnde nomen ſortita eſt, æris minæras habet. Hæc metallorum tam diues atque abundans eſt regio, vt ſingulos penè etiam maximos montes perforatos videas. *Hala.*

MANSFELDIAE COMITATUS. Cap. 13.

MAnsfeldiæ Comitatus nomen haud obſcurum eſt, à metropoli eiuſdem in ea nominis ſic appellata, quæ ipſa à Manno Tuiſconis filio nomen accepiſſe traditur, ſonat autem Manni campum. huic ſententiæ ſuffragari vide-

videtur huius vicinus locus Aſcaniæ, qui Aſcanes Germanorum patris nomen referre videtur. Saxonum enim hi populi ſunt, & inter Hermunduros numerantur cenſentur. Hertici hodie & Herziſchen aut Hartzlender ab Hartone ſylua Heſſos, Thuringos & Saxones diſcernente nominantur. Regio eſt ſuperioris Saxoniæ inter Salam amnem ac VViperum inſerta. Complectitur autem huius Mansfeldienſis Comitatus territorium in ſe complura dominia, vtpote Principatum Anhaltenſem, Palatinatum Saxonicum, Comitatus Arnſtettenſem, VViprenſem quem Cheruſci olim tenuiſſe creduntur, VVethinenſem, Quernfurtenſem, Ballenſtedenſem, Aſcanienſem, Stolbergenſem, Arnſteinenſem, Reinſteinenſem: ac præter hos dynaſtias, collegia Canonica, Baronatuſque aliquot; quæ pleraque olim peculiaribus ſuis ſubfuêre Comitibus ac Dominis: nunc verò vix alium preter Comitem Manſfeldenſem agnoſcunt. Loca autem montana, Meliboci montes antiquioribus Geographis dicti ſunt, ſyluis hinc inde conſperſi. Aër bonus ac ſalubris. Terra frumenti ſatis ferax: eius tamen viſcera diuitiarum plus quàm ſuperficies habent. eruitur enim ex eius montibus prope Mansfeldiam, Islebiam, ac Hochſteten, lapis niger ac fuſſilis, cuiuſmodi is eſt, quo in laminas tenues ſecto tegularum loco vtimur, nonnullis ardoſæ vocantur; is picis æriſque plurimum obtinet, ac metalli minimè occulta habet indicia, conſpicitur enim inſperſus auri cupriue color. Hunc itaque ingenti copia erutum ex montibus, lignis circumpoſitis vnà exurunt. incenſus autem odorem emittit eundem quem lithantraces ſeu carbonarij lapides. ac ſi contigat placidas pluuias ignem conſpergere, tantum abeſt vt extinguatur,

Terræ qualitas.

tur, vt maiores etiam flammas excitet, lapiſque eò citius liqueſcat: quod bituminis piciſve non obſcurum eſt indicium. Neque hoc tacendum videtur, cùm ludentis naturæ miraculum non immeritò videri queat; quòd is lapis manifeſtas oſtentet inſpicientibus animalium ferè omnis generis effigies, ramentis ac lineamentis aurei coloris; ita vt quoduis primo intuitu dignoſcere queas. Affirmant nonnulli, eorum ſaltem animalium quæ propinquus gignat lacus, eum præ ſe ferre imagines, cuiuſmodi ſunt piſcium, anguillarum, carpionum, ranarum; verùm alij perhibent etiam aliarum animantium figuras eum exhibere ad vnguem, vtpote gallorum gallinaceorum, & Salamandrarum: quin & in quodam eorum lapidum Pontificis cuiuſdam barbatam effigiem, triplici diademate ornatam multis conſpectam aiunt. Hæc loca Tubantes populi olim habitaſſe creduntur. Regionis caput eſt Mansfeldia, ad VViperum amnem ſita. Vrbes poſt hanc habet præcipuas Islebiam, Quernefordiam, Rotenburgum, Alſtadium, ac complures alias. Fluminibus rigatur Sala, Vnſtrut, duobus tribuſve VVipperis, ac infinitis alijs riuulis, torrentibuſque ignobilioribus. Latus Orientale Miſnia claudit; Meridionale partim Miſnia, partim Thuringia cingunt; Occidentale Haſſia, Hartoque ad Melibocum montem excipiunt, vbi Nigrimontenſis & Stolburgenſis Comitatus, item Sangerhuſi, Anhaldiæ, & Aſſenburgij principatus confines habet; Septentrionale autem latus Saxoniæ ſuperioris Ducatus terminat.

Lapidum mirabile genus.

Termini Regionis.

FRAN-

FRANCONIAE DVCATVS.

Cap. 14.

FRanci Orientales, quos Rhenanus etiam Anſibarios & Anſuarios fuiſſe oſtendit; cùm ad annos ferè quadringentos ſuis ducibus paruiſſent; dominium ſeu imperium id tandem peruenit ad quendam Francum nomine, quem tantò perſequebantur amore, tantique eum faciebant, vt auito veterique nomine relicto, ab eodem ſuo duce denominari voluerint. quod factum tradunt circiter quatuor & viginti annos ante Chriſtum natum. Saligni etiam ſunt dicti Franci à Romanis. Salios fuiſſe appellatos, Ammianus oſtendit libr. 17. quod à Sala fluuio deſcendiſſe creditur. rei fidem facit Salingo ſtadium Mæni vrbs, quam Selgenſtat vocant incolæ. Gens ipſa viribus armiſque potens, ac multa nobilitate pollens; fallax & aſtuta, laborum patiens; vinetis colendis vterque ſexus incumbit, nec cuiquam otioſo eſſe conceditur. Ducatus nomine ac dignitate adhuc hodie gaudet, & hunc ſibi VVurceburgenſis Epiſcopus titulum vendicat. Verùm huic non integra paret Francia: ſed cùm quatuor in partes diuiſa ſit, quatuor ex Magiſtratibus ſunt audientes: Marchioni Brandeburgenſi obediunt Kitzinga & Briſtadium. Graglingiacum Bambergenſi antiſtiti ſubeſt. Chronachum, Forcheimium, Staphelſteinium, Hochſtadium, & præter has multæ aliæ vrbes VVurtzburgenſi ſeu Herbipolitano præſuli, qui Francorum dux ſalutari ſolet, parent. Konigſpergum, Oxenfordia, Caroloſtadium, Hasfordia, ac nonnullæ aliç ciuitates Moguntinenſi Metropolitano Archiepiſcopo & Electori Septemuiro, S. Imperij Cancellario

Incolarum mores.

Franconia quadripartita.

lario ſubſunt; item Biſchofsheimium, Alderburgium, Mildeburgum, & multa alia oppida. Quædam inſuper Franciæ portio ad Saxonum principem ſpectat, velut Coburgum oppidum excelſa arce munitum, ac nonnulla alia. In huius prouinciæ finibus ſita eſt Norimberga, vrbs ampla, opulenta ac Imperialis, ſolo licet infœcundo & arenoſo; ingenia tamen parit ſolertiſſima ac promptiſſima ad quæuis etiam ingenioſiſſima inuenta, vnde ex ea, tanquam ex equo Troiano, ſubtiliſſimi totius Germaniæ artifices prodeunt. verùm Franconiæ hæc vrbs minimè annumeranda erit; niſi quod ad ſtatum Eccleſiaſticum Bambergenſi vrbi quę Franconiæ annumeratur, ſubſit. Quamuis nec Bauarię annumerari ſe Norimbergenſes velint, ſed ab vtriſque diſcreti ſingularem gentem efficere. cùm autem, Noricorum ſedes occuparint hodierni Bauari, ad eos ſe pertinere ipſum nomen arguit. Francofurtum autem Francici iuris eſt, vrbs tamen Imperialis, ac binis nundinis quotannis celeberrimum nobiliſſimumque totius Germaniæ emporium: quo loco Romanos Reges eligi à ducibus Electoribus mos eſt. Ibidemque ſi Imperij binos eſſe competitores contingat, vtrique collecto exercitu pro Imperio dimicant. Aër purus ac ſalubris ſatis. Terra denſiſſimis ſyluis aſperiſque montibus clauſa, intus plana ac fertilis Cerere & Baccho, in Germaniæ propemodum meditullio ſita. Ad Rotenburgum vrbem in Tuberæ ripa, haud procul ab eiuſdem fluuij fontibus, initium ſumunt vineta, flumenque ſequuntur donec Mæno coniungatur. Vinum ipſum bonum ac ſalubre, ſi nullum adhibeatur vitium, & ob ſui præſtantiam in remotiſſimas exportatur terras.

Norimberga vrbs.

Francofurtum ad Mænum.

Gly-

Glyzeriza. Glycerizæ radicis Babebergenſis ager tantam præbet copiam, vt currus eadem onuſti per vniuerſam Germaniam diuehantur. Rapæ cæpæque nullibi ferè locorum laudatiores: hortorum; viridariorum ac pratorum cultura regio eſt amœniſſima, pecudum domeſticarum, ferinarumque diues. Fluminibus piſcoſiſſimis vndique perluitur, quorum præcipua ſunt Mœnus, Sala octo ignobilioribus amnibus comitata, Sinna, Radiantia, Aeſtus, Tubera, ac nonnulla alia.

Syluæ. Syluas habet Speshart; Othonis ſyluam (vulgò **der Odenwalt**) quæ eam editiſſimis iugis per circuitum obfirmans, veluti natiuo muro ambit, ac alias etiam Hercyniæ portiones. Hæc Sueuiam ac Boiariam à Meridie habet; Rhenus illi Occiduus eſt; ab Ortu Bohemi accolunt; Haſſi ac Thuringi populi à Septentrione. Inter cætera præſtantiſſimorum ex hac regione orta ſunt ingenia: Huldrichus Huttenus optimis eruditus artibus omnibus, *Vlricus Huttenus.* Literarum pariter ac armorum pręſtans, dum poëta lauro, & eques auro coronatus eſt; ob excellentis namque ingenij vim ac probatæ virtutis in bello Veneto ſub Maximiliano I. laudem meruit: libertatis communis propugnator acerrimus; partium ſemper ſtudioſus ac defenſor bonarum. Kittingenſis fuit Paulus Eberus ſummos in ſapientia tam diuina quàm humana honores conſecutus. VVinſbergenſis fuit Ioannes Oecolampadius Iuriſconſultus ſimul & Theologus, trium linguarum periſſimus, in Academia Tubingenſi Ioanne Capnione vſus doctore. Caroloſtadius fuit Ioannes Dratonites Hebrææ, Chaldææ, Græcæ, Latinæ, præter vernaculam, linguarum periſſimus. opus namque Biblicum quintuplex, ad inſtar celebratæ illius

monu-

monumentis veterum Origenis operæ, vt & alterius recentioris Complutenſis, animo agitauit: cuius ſpecimen in medio reliquit ſanè egregium, & poſteris admirandum.

SVEVIA. Cap. 15.

SVeuus Gambriuij filius, & Manni nepos, Germanorum Rex, apud Tuiſcones regnauit tempore Balei, vndecimi Regis Babyloniorum. Hic ampliſſimam Sueuorum gentem & regnum condidit, & de ſuo nomine cognominauit. Sueuos autem Hermionum populum fuiſſe tradit Plinius, ſicut & Hermunduros, Cattos, & Cheruſcos. Sedes verò non eaſdem quas hodie tenuiſſe eos, omnes teſtantur Chronographi ac Hiſtorici. Intra hos ferè terminos olim fuere concluſi: ab Oriente Carpathus mons, à Meridie Hercynium vlmus quod Bohemicum etiam appellatur, ab Occidente Rhenus, ab Aquilone Sueuicum mare ſeu Balthicum, ipſorum limites fuere. Hæc gens nunc in anguſtiores, verùm ab alijs ne compulſa an ſponte delata incertum, limites redacta eſt. In Rhetiam enim populariter commigrarunt, quo loco iam aliquot ſeculis hæſerunt, abolitoque veteri Rhetorum nomine, Rhetiam à ſe nouis cultoribus Sueuiam dixere. Atque hi ſunt qui latè per Germaniam imperitabant, maximam eius poſſidentes partem nam & in Sarmatiam ac Pannoniam colonias deduxerunt; illic enim antiquæ fuerunt Sueuorum ſedes, deinde Rhetias occupauere, quas etiamnum tenent; ij inquam in quinquaginta quatuor populos ab Oroſio diſtinguuntur. a Tacito autem iſtæ nominantur gentes: Semnones, Longobardi, Rheudigni, Auiones, Angili, Varini, Eudoſes, Suardo-

nes,Nuithones, Hermunduri, Nariſci, Marcomanni,Quadi,Marſigni,Gothini,Oſi,Burij, Lygij,Arij, Helucones,Manimi,Elyſij,Naharuali, Gothones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aeſti, & Sitones, qui in commune vno nomine Sueui nominabantur. Hodierna autem Sueuia in plurimas quoque ſeparata eſt regiones & tractus ſuis nominibus diſtinctos; ita vt nullus hodie in tota Germania Princeps reperiatur qui ſe Sueuiæ dominum dicere poſſit, cùm inter plures ſit principes diuiſa. vna enim pars hæreditario iure ad domum Auſtriacam ſpectat: maximam ſibi eius partem vendicat VVirtebergenſis Dux: multæ ei inſunt vrbes liberæ & Imperiales: & haud paucæ in ea ciuitates Bauariæ ducibus ſubiectæ ſunt:reliqua pars vel Palatinis vel Badenſi principibus,aut Conſtantienſi &Auguſtenſi Epiſcopis, & Comitibus, Baronibus, atque nobilibus paret. Gens eſt populoſa,fortis,audax,& bellicoſa, procero corpore,venuſta facie & decora, ingenio ſingulari prædita,prǽſtantiſſima Germanorum à Plutarcho dicta, cuius gloria euſque creuiſſe memoratur, vt virtute & armis Imperium Orbis meruerit illudque vltra vnius ſeculi ſpatium magnificentiſſimè tenuerit.Suis olim regibus paruit ac Ducibus; quibus in Chunradino vltimo Sueuorum principe extinctis, collapſum eſt regnum, & in plures dynaſtias diuulſum. Ex hac gente prodijt celeberrimus ille Albertus cognomine Magnus Bolſtadius,Epiſcopus Ratisbonenſis,equeſtri ordine natus Lauingæ,anno ſal.1293. ſummo ingenio, ſumma præditus eruditione, Philoſophiæ ac Theologiæ doctor maximus, Profeſſor Academiæ Pariſienſis & Colonienſis,ſolertiſſimus naturæ ſpeculator, rerumque obſcurarum indagator atque explicator planè admi-

Sueuorum ditio varijs ſubiecta dominis.

Albertus Magnus.

admirabilis: Præſul tandem & Epiſcopus creatus Ratisbonenſis, qui ſua ætate omnes ingenio, doctrina, eloquentia ſuperauit. literis denique ac ſtudijs immortuus Colon. Agripp. vltroque abdicato Epiſcopatu ad otium literarium rurſus extrema ſenectute conceſſerat; obijtque ætatis anno 87. ac ſepultus in templo monaſterij Prędicatorum. Priuati Sueuorum nulla alia re, nulloque artificio magis occupantur, quàm lini linæque operatione: cui adeo incumbunt, vt in quibuſdam locis nedum mulieres & puellę, ſed adoleſcentes & viri hyemis tempore colo admoueantur. Panni genus faciunt cuius tela linea eſt; intertextum bombycinium, Barchet illud vocantes. faciũt & totum lineum quod Golſch appellant. Compertum eſt apud Vlmenſes ſolum quotannis vtriuſque generis pannorum parari centum millia; ex quo conijcere quiſque poteſt quàm incõpræhẽſibilis incredibiliſq; ſumma in tota regione elaboretur. qui omnes ad remotiſſimas nationes pãni trãſuehũtur. Tota autẽ hęc prouincia ſalubri aëre gaudẽs, celebratiſſimis vrbib. vicis & caſtellis referta; arces excelſæ. natura & arte munitæ, tẽpla, collegia, monaſteriaque plurima ac pulcherrima. Terra ipſa partim plana, partim montoſa, ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præterquam aut lacus, aut montes vel ſyluæ occupant: fructuũ, leguminum, frumentorumque abundantia, pecorum magna vis; prata & paſcua lætiſſima; vitiferi mõtes. conualles in ea plurime, per quas perẽnes riui, amnes, fonteſque limpidiſſimi è montium iugis defluentes, iucundo murmure ſtrepentes; vberẽ largiuntur piſcationẽ; qui ſe vniuerſi in Rhenũ & Danubiũ nominatiſſimos fluuios exonerant. Danubij autẽ & Nicri fluuiorũ hęc terra parens eſt. Illud au-

Sueuorum opera.

Terra qualitas.

tem maximè in Sueuis mirandum, quòd cùm reliquis quæ eſui ſunt obſonijs veſcantur, nuces tamen exoſas habeant. Sueuiæ montana ſunt Alpes quæ longo tractu Danubium ſequuntur, nomina ſua crebrò mutantes. Nemora ſyluæque in ea multæ, & ob id genti venatio frequens, & aucupium peculiare. Lacus celeberrimi ſunt, Bodanicus ſiue Brigantinus, Tigurinus & ſuperior lacus, item Federenſis lacus. Minærarum eſt ditiſſima, thermiſque ſaluberrimis pluribus locis à natura donata eſt hęc tellus.

SALISBVRGENSIS EPISCOPATUS. Cap. 16.

SAlisburgenſis Epiſcopatus nomen habet à Salisburgo metropolitana Bauariæ vrbe, quæ eadem à Sultzach fluuio nomen mutuata eſt. olim Iuuauia à Iuuando dicta, Germanicè Helffenburg, quod caſtrum ibi extruxerat Iulius Cæſar, iuuamen ſeu ſubſidium ac refugium legionibus ſuis contra Germanos quos debellaturus erat Nonnulli tamen etiam hoc nomen à Iuuanio fluuio vrbi propinquo obtinuiſſe credunt. Eam prætcrea Volaterranus Badacum dictam ait. Norici hæc pars eſt, vicina Anaſinæ regioni, Pintzgouio, & Alpibus Iulijs.

Cæterum adiacens territorium montuoſum, collibus ac iugis vndique eleuatur, quęTauri montis cacumina eſſe vel ipſum nomen teſtatur. Taurn enim incolæ vocant: cui etiam aſtipulatur Vadianus, cuius hæc de ijs verba ſunt: Durant hęc (inquit) in Norico (cuius hæc terra pars eſt) & Carinthia nomina.

Multi

Multi verò Tauri ſunt, hoc eſt Taurn, vt ipſi vocant, variè ab accolis cognominati, vt: Radſtatterthaurn, Felbergthaurn, Knunlerthaurn, Kornthaurn, Caſteinerthaurn, & innumeri penè alij, adeo alti, vt qui media eos æſtate ſuperant, cùm ad verticem peruentum eſt, frigore infeſtentur. nullus curribus locus, anguſtiſſimi tramites, adeoque præcipiti ſubinde aſperitate, vt iumentis tantùm clitellarijs, ac ne his tutò quidem, niſi aſſuetis, illac iter eſſe queat. Grandia verò pericula, cùm aut ſubitò exorti venti in præcipitia deturbant euntes: aut verno tempore immenſi conolutarum niuium globi ſyluas, ſaxa, iumenta, & iuxta ſitas perſæpe domos funditus auferant. Mirum verò in plerîſque horum montium locis, cùm paulò acceſſerit ſol, in ipſis niuibus natos vermiculos ceu tineas quaſdam cerni. Verum his montibus frequentia quoque aucupia, ac ferarum venatus exiſtit. Plana verò loca conſitionibus, agris, frumentoque apta. Paludes quæ frequentes ſunt, paſcua præbent: fluminibus ac riuulis infinitis propemodum rigatur, qui ex eiuſdem montibus ſcaturiunt. Anaſſus fluuius in Septentrionem fluit, & Altzio, Saltzachio, Matihioque fluuijs oneratur. Traunus ibidem ex lacubus oritur. Item Mur fluuius hîc ſuos fontes ſumit; nec non & Drauus nobilis amnis, quem Plin. libr. . capit. 25. è Noricis fluere tradit. Reliqui ignobiliores fluuij in hos quos nominaui exonerantur. Syluis quoque Epiſcopatus hic non deſtituitur. Hardionem enim, Haenhardum, & VVeilhardum ſyluas ad Septentrionem poſitas habet.

Terræ forma.

Fluuij.

Montes præter ſupradictos Tauros, habet in Meridiem verſus Alpes, quos Albin ipſi vocant; varijs quoque cognomentis aſcitis, vt Villacher

Montes.

Albin, Svvanberger Albin, &c. item Creutzbergum montem, Letachbergum, & in Oeuina valle metalliferos, de quibus ſic cecinit Conradus Celtes lib. Amorum 2. oda 6.

Qui mihi de celſis nuper fuit Alpibus actus
  Oenus vbi, atque Atheſis murmura rauca facit.
Argenti æterno ſcaturit quæ vena metallo,
  Et ditat totam patriam Alemanicam.
Hîc halant liquido, puro & de fonte Safinæ,
  Ditantes Bauaros, Auſtriacoſque duces.
Hîc turba eſt terræ, nigræque ſimillima morti,
  Quæ ſoluunt vaſtis ignibus æra ſuis.
Haud credas noſtris decocta metalla per ignem
  Sed phlegothontæis mundificata vadis.

Cùm olim Epiſcopatus tantùm fuerit hæc ditio, anno Chriſti octingenteſimo vigeſimo primo, Arno decimus Epiſcoporum, primus ibi Archiepiſcopus factus, pallium à Leone tertio adeptus, populum Salisburgenſem annis triginta ſex ſaluбriter pauit. Habet autem Archiepiſcopatus hic ſub ſe ſuffraganeatus, Tridentinum, Pataujenſem, Viennenſem, Gurcenſem, Brixienſem, Friſingenſem, Seccouienſem, Lauentinenſem, & Chyemenſem, vt refert Munſterus.

Theophraſtus Paracelſus. In celebri hac Salisburgenſi vrbe ſepulchrum viſitur Philippi illius Theophraſti cognomento Paracelſi, qui Medicinæ vtriuſque doctor inclytus: quam Baſileæ annis aliquot publico ſtipendio, maxima cum admiratione profeſſus eſt: primus nouæ ac Spagiricæ auctor Medicinæ, quam Archidoxis Theophraſtiæ, alijſque libris editis propemodum infinitis, longè lateque diſſeminauit: qui

dira

dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropiſin, aliaque inſanabilia corporis contagia arte ſuſtulit mirifica. quin & commentarijs in ſacros libros, & præterea quibuſdam dogmaticis poſt ſe relictis paſſim cognitus. Eremiticæ ſectator vitæ, ſuus quàm alterius eſſe maluit, cùm bona ſua in pauperes diſtribuenda collocandaque ordinaſſet, fine optato annos natus ſeptem & quadraginta vitam cum morte commutauit Anno Chriſti 1541. die 24. Septembris, & in hac metropolitana Salisburgenſi vrbe requieſcit.

BAVARIAE DVCATVS. Cap. 17.

BAuariæ appellatio ab Auaribus Hunnorum reliquijs, qui Noricis expulſis in ea terra conſedêre, adiecta lite B deducta videtur. Boiaria etiam à Boijs Ciſalpinæ Galliæ populis hoc loci aliquando moratis dicitur. Noricum olim fuit, & Danubio inſigni fluuio ex Sueuia profluente, irrigatur. Auſtriam, Stiriam, & Carinthiam in ſe compræhendit, quòd ijdem homines ijſdem fere moribus & lingua vtantur. Citradanubiana regio, quam ſcilicet Romani principes poſt Auguſti tempora occupauerunt, cito agnouit Chriſtum, diuiſaque fuit in quatuor Epiſcopatus, Saltzburgenſem, Ratisbonenſem, Patauienſem, & Friſingenſem. Nulla Germaniæ prouincia pluribus cultioribuſque illuſtratur vrbibus. Hæc terra priuſquam in prouinciam redigeretur, à proprio Rege ad Arnolphi vſque Imperat. tempora adminiſtrata

eſt; deinde Duces habere cœpit, hodieque tenet. Suſcepta autem fide Orthodoxa, ſimul leges & viuendi inſtituta genti ſunt præſcripta, nempe de Eccleſię libertate, de incendiarijs Eccleſiarum, de confugientibus ad Eccleſiam, de clericorum percuſſoribus, de decimis, de ſeditioſorum pœna. item leges caſtrenſes de libertis, de nuptijs, de cauſis mulierum, de furtis, de legibus agrarijs, de commendatis & commodatis, de hæreditatibus, de emptionibus & venditionibus, &c. Illis legibus Bauari ante aliquot ſecula paruere, nonnulliſque adhuc. Regio ipſa præterquàm vbi Auſtralior eſt, non ſeritur. nemoroſa multum eſt & montuoſa, vt vna propemodum ſylua videri queat. Hercyniæ enim portiones ſunt omnes in ea ſyluæ, ac totum propemodum eam olim hunc tractum contexiſſe vix dubium: reique fidem facit vel illud ipſum quod Aichſtadio fertur; excidiſſe nimirum eo loco nemus ſeu quercetum D. Bonifacium, ac monaſterium eo loco condidiſſe Benedictinorum. confluente autem vndique ad illud magna hominum, tam ſecularium quàm ſpiritualium frequentia, tanta ſumſiſſe incrementa, vt in orbem excreuerit, cui ex re nomen relictum ſit Aichſtadium. Aich enim Germanis quercum ſignificat. Sues glandibus ſylueſtribuſque pomis tanta copia nutrit, vt veluti Vngaria boues ita hæc ſues cæteris Europæ nationibus largè ſuppeditet. Gens ipſa veſtitu vt plurimum blauo colore amicitur, ocreis libentius quàm caligis calceatur. Extendebatur hæc regio olim, ſicut & hodie verſus Meridiem vſque ad Alpes & Atheſim fluu. vnde Strabo: Incoluerunt Rheti & Norici ſumma Alpium cacumina, quæ in Italiam declinantur, appellatique ſunt Rheti, Vennones, & Lepontij, qui pau-

Regionis conditio.

Prouentus Terræ.

per-

pertate adacti ſpoliabant viatores qui per Alpes in Italiam tranſibant. Non erat tunc certa & trita via ex Germania in Italiam, ſed erant conſcendendi montes, & rurſum deſcendendum in valles; inſidiabanturque tranſeuntibus Romanis raptores & latrones, diſpoliantes & iniurijs afficientes eos; præſertim quando Imperatores exercitibus ſuis mittebant pecunias. vicinis tamen ſuis nihil incommodi intulerunt illi latrones, ementes ab eis cibos & vitę neceſſaria. Durabat autem aliquamdiu huiuſmodi latrunculorum ſæuitia, quouſque per Auguſtum Cæſarem extincti ſunt, atque iter in magno labore ingentibuſque expenſis per montium & ſaxorum aſperitatem, per glaciem & niuem fuit inuentum & paratum. Hodie etiam ſuillis moribus ſatis famoſa gens hæc eſt, & quod dolendum, duobus etiam vitijs plus reliquis notantur, inhoſpitalitatis videlicet & furti. Monacum Principis ſedes eſt, amœnitate loci profectò Ducis aulæ digniſſima ad Iſaram rapidiſſimum amnem ex ſaltu Schiratio, Alpium ſcilicet Penninarum gremio in Danubium profluentem. recenſetur autem inter pulcherrimas Germaniæ vrbes, palatio, templis, monaſterijs, hortis, fontibus tanto artificio extructis, vt alibi vix illis paria reperire ſit. adeò populoſa vt octodecim millia familiarum in ea numerentur. Bibliothecam habet circiter 11000. voluminum inſtructam. agrum vix alterius rei quàm frumenti feracem habet. vrbes præterea plurimas, vt vix alia ſit Germanię prouincia pluribus ac ſplendidioribus ornata vrbibus ipſa Bauaria, hodieque deſerta non eſt, vt Strabo tradit, & ſicut ſuo fortaſſis tempore fuit. Aër vtplurimum ſalubris, & regio amœna eſt. Magna copia frumenti reperitur circa Ratisbonam & Lantshut-

Veteres incolæ quales.

Monacum metropolis.

tam:at vinum in paucis creſcit locis, idque agreſte, ſed nobilia importantur vina ex Alſatia, Franconia, Auſtria, Atheſi, & à Nicro: viciſſim autem Sal, cuius magna ibi paratur copia, effertur. In Nortgoia propè Ambergam & Sultzbachium terra turget minæra ferri, ſuppeditatque omnibus fluuijs materiæ ſufficientiam, vbi in diuerſis officinis fabrilibus cogitur in ferrum. Amnes qui malleos in officinis continuò agunt ſunt Fils, Nab, & Pegnitz. Præterea in comitatu Tirolenſi iuxta oppidum Svvatz, annuatim immenſus theſaurus argenti & æris eruitur ex penetralibus terræ, atque ſine ceſſatione aliquot millia virorum in profundo terrę atque Plutonis regno deſtinantur. Multis denique fluminibus & lacubus piſcoſis regio hęc conſpicua eſt. De ampliſſimo hoc ducatu Annales egregios reliquit Ioannes Auentinus cognomine Tumairius, Abuſina Boiariæ oppido natus, patriæ ſuæ decus eximium, vt qui poſt patriam ſcholam Ingolſtadij in literis egregiè eruditus: Lutetię Pariſiorum Magiſter bonarum artium ſalutatus, quas multis dehinc annis Viennæ Auſtriæ, Cracouiæ, Ingolſtadij publicè priuatimque profeſſus: neq; ita multò poſt Illuſtr. Boiariæ Principum Ludouici & Erneſti doctor conſtitutus, quo ipſe munere cum laude defunctus, cùm hiſtoriæ ſcribendæ ſtudio flagraret mirificè, perluſtratis Germaniæ ferè totius, ac præcipuè Boiariæ monumentis & bibliothecis; magni vir laboris, ſummæque induſtriæ, ac lectionis planè reconditæ, Annalium relicto poſt ſe opere abſolutiſſimo, ſatur æui, ſatur gloriæ, obijt Ratisbonæ, anno 1533. ætat. 68. in æde diui Heymeraui ſepultus.

Mineræ ingentes.

Ioannes Auentinus.

PALA-

PALATINATVS SVPERIOR. Cap. 18.

NOrtgouia iuxta Germanicam etymologiam ſignificat Septentrionalem plagam aut terram. Nordt enim Germanis Aquilonem, Gono terram & agrum ſignificat. Sunt tamen qui Nordgauiorum vocabulum malint à Nariſcis deducere: nam tractum Nordgouiorum vltra Danubium, Boream verſus in Bohemicam, hoc eſt, Hercyniam ſyluam excurrentem in veteri Germania Nariſci tenuerunt, & quibuſdam etiam placet Narca pro Nordgavv ſcribere. Hæc regio hodiè etiam Palatinatus ſuperior (ad differentiam eius qui ad Rhenum eſt Palatinatus) appellatur. Eſt quoque Boiariæ portio trans Danubianæ, cuius princeps eſt è Boiariorum ducum familia, vulgò PfaltzGraue, id eſt, Palatij Imperialis princeps. Includit quoque hæc regio Nordgauienſis vnum ex quatuor Comitatibus prouincialibus, vulgò Lantgrauiatum vocant, qui olim ab Imperatoribus fuerunt inſtituti, nempè Leuchtenburgenſem, accepitque denominationem iſtam ab arce Liechtenberg, cuius ſitum in tabulis haud procul à Nabi fluu. ripa conſpicere licet. Complectitur & Noricum Burchgrauiatum. verùm hi ad Palatinatum non referendi ſunt. Norica tamen vrbs cùm in hoc tractu, tum totius Germaniæ, ampliſſima ac nobiliſſima, ad Pegnitium amnem ſita, qui vrbem interluit, multis põtibus lapideis, duas vrbis partes coniungentibus. Eius ager ſterilis & arenoſus, ideoque induſtrio gaudens populo. omnes enim plebei homines ſunt, opifices ingenioſiſſimi, aut plerunque negotiatores prudentiſſimi, repertores & magiſtri *Noriberga.*

ſubti-

magiſtri ſubtilium operum, quæ hominib.non parum conducunt.vrbs eſt munitiſſima, altis ſcilicet mœnibus,antemurali ingenti foſſa, infinitis turribus & propugnaculis.numerantur in ea 528.plateæ & vici,116.putei aquarum,duodecim fontes ex trũcis aquam euomentes,ſex magnæ portæ, vndecim pontes lapidei,tredecim communia balnea, cingiturque ciuitas duplici muro,in quibus ſunt 183. turres,præter fortalitia & propugnacula. Ingens tamen ac commiſeratione dignum perpeſſa eſt damnum anno Chriſti 1595.menſe Ian.inundatione exigui aliâs fluuioli Pegnizij,molas,ædificia,aliaſque ſumptuoſiſſimas ſtructuras ſecum rapientis, quæ (vt ab eius rei peritis ſupputatum eſt) quater centenis millibus aureorum Rhen. reſtaurari ac reſtitui vix poſſint. Hercynia ſylua occupauit olim fundum vrbis Noribergenſis, ſed temporum ſucceſſu pro magna parte exciſa eſt circum vrbem. tamen nullo non tempore eius virent reliquiæ. Reliquæ verò in hoc tractu ſitæ vrbes & oppida ſunt: Ambergum, Auvverbach, Sultzbach, Caſtel monaſterium vbi principes Nortgoiæ olim ſuam habuere curiamKemnat,Egra, Neoſtadium, Ruuenkoluiũ, Beierrutum, Kruſenum, Greuenvverdum, Eſchenbach,VVeidena,Pernauium,Pleiſtenium, Herſpurgum,Rurbach,Eichſtadium, à ſucciſo ibi querceto ſic dictum, Ingolſtadium celebri academia nobile Neumark,Turſenrutum,Elbogium,Chamum,Naburgum,Kalmuntium, ac alia multa quæ pleraque Palatinatui accenſentur.Regionis huius aër vtcunque gratus eſt & ſalutaris; terra autem ſatis dura & aſpera,licet quibuſdam in locis ſatis producat frumenti, abundeque paſcua pro pecorum ſaginatione.Iuxta Kelheimium Danubij ripa vitifera eſt, vinum

Ciuitates.

Qualitas terræ.

num tamen ignobile & auſterum, vt vulgò dici ſo-
leat acetum in illis montibus naſci. Regionem per-
ambunt Egra, Nabus, Vilſus, Regus, Pegnizius, *Fluuij.*
Schvvartzach, Sutza, Altimulus, Laberus, Lautra
luuij: ac præter hos nonnulli alij riuuli. De Radian-
ia ſeu Regnitio Regoue amne referunt hiſtoriæ,
ommoranti Carolo Magno apud Ratisbonam
erſuaſum fuiſſe; fore vt ex Rheno in Danubium
auigari poſſit, ſi intra Radiantiam & Altimulam
uuios foſſa duceretur quæ nauigiorum capax eſ-
et: quod horum fluuiorum alter Danubio, alter
heno miſceretur. confeſtim Rex ad locum oppor *Labor inanis*
mum accelerat, ac magna hominum turba con-
regata, totum autumni tempus in hac conſumſit.
ucta eſt itaque foſſa inter prædictos fluuios duo-
um millium paſſuum longitudine, trecentorum
edum latitudine: ſed res ſucceſſu caruit; nam pro-
er iuges pluuias & terram natura paluſtrem o-
us ſtare non potuit: quantum enim interdiu ege-
um fuerat, tantum noctu humo relabente ſubſi-
bat. apud VVeiſſenburgenſe oppidum extant et-
nnum veſtigia vani laboris. Huius oræ Nariſco-
m Pinifer mons eſt inter Bambergenſem & No-
am vrbes ad Ortum ſitas: ex eo quatuor inſignes
ofluunt amnes: Mœnus, Nabus, Sala, & Egra. ij in
ucis modum diuaricati, quatuor Mundi cardines
tunt. complectitur autem mons iſte in circuitu
circiter ſex miliaria, & extrudit varias metalli
ecies. gignit & optimum cæruleum colorem,
em vulgò Lazurum vocant. inuenitur quoque
ſummitate montis ſtagnum ſeu lacus, & multæ
eæ ex quibus olim metalla fuerunt eruta: tota
m illa terra minæris turget, potiſſimum autem
ro, vnde Nordgouienſes annuatim ingentem

quæ-

quæſtum faciunt.Nec illud hoc loco prætereũdum censeo,omnes ferè Nariſcorum fluuios fabricis ferri & reliquorum metallorum onuſtos & impeditos eſſe: vtpote quorum fluenta agunt & impellunt tam folles ingentes quàm immenſos malleos fabris ferrum tantum ſuppoſitis incudibus admouentibus. Nariſcorum præterea amnes margaritas etiam prodere fama eſt.Syluis etiam hæc ora vndique conſperſa eſt,maximè qua Bohemię vicina eſt, eæque Hercyniæ portiones ſunt. A Septentrione Voitlandiam vicinam habet, ab Ortu Bohemiam, à Meridie Danubio fluuio à reliqua Bauaria ſeparatur,ab Occasu Hanecampo, Sueuię parte ac Frãconiæ parte terminatur.

VVIRTENBERGENSIS DVcatus. Cap. 19.

VVirtembergenſis ducatus nomen ſibi antiqua prope Stutgardiam arce VVarta vendicat in eius ferè meditullio ſita, in edito colle,haud ita procul ab Eſlingenſi vrbe Imperiali. Verùm Aegidius Tſchudus ab Intuergis populis, quos hîc aliquando habitaſſe refert, veriſimili con iectura nomen hoc deducit.Nam (inquit) Vithungi Alemannorum pars, quos poſſibile eſt VVirtembergenſi ditioni nomen dediſſe,ab illis profectos, qui Trebellio Pollioni Virtingi dicuntur,Italię minantes miſerè Rhetias deuaſtabant. Et mox addit Sub Valentiano tertio Vithurgos rurſum in Rheti am ſecundam.quæ Vindelica prius dicta fuit, & in Noricum incurſaſſe cõſtat. Quod coniecturæ hui fidem fecit fuiſſe eos populos VVirtembergenſes, id eſt, quòd Rhetios ad Meridiem, Noricos autem ad Ortum ferè vicinos ipſi habeant. Verùm fier

potui

potuit quòd omnes hi eadem loca tenuerint. Intu-ergi enim vox VVirtembergo haud diſſimilis eſt; ac fieri poteſt Virthungos Nirtingenſis oppidi in-colas fuiſſe: Vithingos autem VVendingenſes fuiſ-ſe eadem nominis alluſio teſtari poteſt. Tectoſa-ges quoque huius regionis partem olim tenuiſſe a-iunt. eam gentem arbitratur Rhenanus Nicri ripam accoluiſſe, quo loco vetuſta adhuc arx viſitur, quæ Teckenſibus poſtea ducibus nomen dedit. Teck e-nim vulgò appellatur, quæ prima Tectoſagum eſt ſyllaba. Hæc autem regio cùm olim multas priua-tas ditiones & Comitatus haberet, vtpote Comita-tus: Calroenſem, Tubingenſem, Vracenſem, Zabet-goienſem, Kriechgoienſem, Helffenſteinēſem. Zol-erenſem, Achellenſem, Nifenſem, Herrenbergen-ſem, Gruningenſem, Veringenſem, Aſpergenſem, quorum fere omnium ſucceſſio per mortem dele-ta eſt, quædam venditæ, aut belli iure aliò transla-tæ. tandem eò ventum eſt, vt tot Dominia in vnum Comitatum VVirtenbergenſem confluxerint, cum quibuſdam ciuitatibus, quas poſt abditionem Sue-uici Ducatus Comites ſibi vſurparunt. Fuêre in hac etiam regione Ducatus Teckenſis, Vrſelingenſis, & Schilcachenſis, quibus locis ſui peculiares princi-pes præfuêre. VVirtembergenſis autem Comita-tus in Ducatus faſtigium euectus eſt. Cùm anno 1495. Maximilianus Rex conuentum Germaniæ in VVormatiēſi vrbe celebraret, in quo Eberhardum Comitem VVirtenbergenſem ſolenni pompa Du-cem creauit, tituloque Ducali auctis inſignibus in VVirtenberch & Teck propria manu intiguit. Cō-plectitur etiamnum multos Comitatus hæc regio VViſenſteinenſem, Helfenſteinenſem, Boltringen-ſem, ac cōplures alios. nobiliū infinitas pene ſedes.

Nominis occaſio.

Comitatus in Ducatum euectus.

Diui-

Diuiditur autem in pagos, valles ſeu govvas, vtpo-
te Zabergouiam, Kriechgouiam, Albam, Albuchũ
H ttueldum, vallem Kocheranam, Brentianam:
Filtzianam, Nagoltanam, Rembſianã &c. Regionis
aër ſaluberrimus eſt. Ipſe autem Ducatus veluti cir-
Regionis forma. cularem habet ſitum, complectiturque ciuitates &
oppida plurima, caſtra munitiſſima in editioribus
montibus ac collibus ſita. monaſteria, villas & vi-
cos penè infinitos, præter ciuitates Imperiales: Es-
lingam, VVilam, Reutlingam, Giengenam. Præ-
ſtantiores autem Ducatus huius ciuitatis ſunt Stut
gardia & Tubinga: quarum hæc ad Nicrum ſita; v-
bi anno Chriſti 1477. ad inſtantiam comitis Eber-
hardi de VVirtemberg & Montis belgardi, autho-
ritate Romani Pontificis, vniuerſitas ſtudij genera-
lis eſt erecta. illa quoque haud procul à Necchar
poſita Ducum ſedes. habent enim intra huius op-
pidi mœnia elegans ac Regium pene caſtrum, ſed
Agri fertilitas. in plano ſitum. Ager verò per circuitum ciuitatis
fertiliſſimus eſt, conſitus infinitis vineis, & vinum
illius loci ſatis generoſum ac celebre per totam
Sueuiam. Reliqua oppida quoque amœna ſatis, ac
pleraq; arcibus & caſtris munitiſſimis ornata ſunt.
Aurach. Vracum ad Amerum fluu. Nirtingum, Kirchenã,
Helbronna, Lauffena, Piningkheim, Aſchpergus
arx, Grieninga, Martbacchium, Canſtadiũ, VVaib-
linga, Schorndorfium, Goppingium, Fieſen Abudi-
acum olim, Heidenheimium, VVilbergia patria di-
ligentiſſimi Coſmographi Danielis Cellarij Feri
montani ad Nagoltam flu. Herrenbergum, Roten
burgum, Hechingum, Iudæorum aſylum, Balingũ
ac complura alia, quorum nomina ac ſitum tabel
læ geographicæ exhibere poſſunt. Ora hæc ferti
liſſima, ita vt cum optima Germaniæ parte com
para

parari poſſit, imò certare etiam. frumenti, legumi-
num, fructuum nuſquam vberior meſſis, vini ingẽs
vindemia. Nicer etiam flu. vbique vitifer eſt; vnde
vinum accolæ Niceranum vocant. Piſculenti fluuij
ſunt, inter quos facilè primas tenet Brentius amnis
qui nunquam, etiam gelidiſſima hyeme congela-
tur. Ferinarum vberrima venatio, qua tamen vul-
go interdictum eſt, principibus ac nobilibus id iuris
ſibi vendicantibus. Sunt tamen loca quædam pau-
lò rigidiora atque aſperiora, vtpote quæ à glebæ
duritie Hartfeldia dicitur, vbi aquæ etiam penuria
laboratur. Alba ob agros ſaxis ac lapidibus conſi-
tos, nimium aſpera eſt. Martiani etiam nemoris
pars ſementem non niſi exuſta prius gleba, fouet.
Nicer amnis mediam oram percurrit, & multis flu-
minibus acceptis, quorum præcipua ſunt: Nagolta,
ntius, Remiſus, Kocherus, Iaguſta, Filtzius, in Rhe-
um properat. Brentius verò Danubio miſcetur.
Iuius ducatus montes ſunt Alpes, qui ab albedine
c dicti creduntur; albis enim ſilicibus ac lapillis
ongè proſpiciuntur, ac ſæpius noua ſibi vocabula
nueniunt, vtpotè: Schera, Albuchus, Hanecampus
erfeldius; Hercynia ac Martiana ſylua regionem
uribus locis interrumpunt, ac ſuis nominibus diſ-
rnuntur; vt Albuchius lucus, Stubenthal ſylua,
igra ſylua, Odonica ſylua &c. Minæras quoque *Mineræ diuites.*
genti hic Ducatus habet, haud procul à VVilt-
rgo; ac dicitur Puolachium oppidum totum ferè
ifodinis ſuperſtructum. Ferri in Brentiana val-
diuites minæræ, vbi etiam officinæ ferrariæ.
entio amni vicinę ſunt Merckelſtetten, quo loco
rei fornaces conficiuntur, atque inde in multas
trahuntur regiones. Cupri etiam rubei iuxta
rnheimium minæræ ſunt. Verùm illud quoque

memoratu dignum, colligi iuxta Puechlachienſem argentifodinam lapillos quoſdam elegantium ac variorum colorum, vtplurimum tamen blauio diſtinctos: vt videatur etiam Natura molita eſſe eodem loco gemmas producere. Vitreariæ etiam officinæ ſunt non procul à Murhartenſi cœnobio remotæ.

Thermæ. Thermarùm præterea hoc tractu ſatis magnus eſt numerus: Ferinæ thermæ, quas venator aprum perſequens reperiſſe fertur. Cellenſes etiam, ac fontium acidorum in Goppingio; prope Buelachiam, vulgò Donavverbadt; prope Tubingam, vulgo Steinachebadt; iuxta Villingam, ac alijs pluribus locis. Terminatur autem à Septentrione Palatinatu inferiori, ab Ortu Norico & Vindelicia, à Meridie Rhetia, ab Occaſu Badenſi prouincia.

ALSATIA SVPERIOR.

Cap. 20.

ALſatiæ nomen quod Germani Elſaſs vocant, non eſt vetuſtum vocabulum; cùm olim habitatores eius Tribochi & Tribotes fuerint vocati. Sunt enim qui putant metropolim Alſatiæ olim fuiſſe Argentinam, eamque extructam à Treuirenſibus, qui à principe Trebeta originem duxiſſe putantur. Et cùm poſtea Treuirenſes Coloniam deducerent in eum locum quem hodie Argentina occupat: dicti ſunt Coloni illi à Treuirenſibus Tribotes. Nomenclaturam verò Alſatiæ putant longè poſtea ab Ila fluuio, a in i mutato exortam: vnde & quidam eam regionem Illſaſs & non Elſaſs appellatam putant. ſicut rurſus alij fluuium

Nominis etymon.

uium contendunt vocatum Alſaſs. In libro Ludorum equeſtrium vocatur Edelſaſs, quaſi nobilis ſeſſio.

Diuiditur autem Alſatia in Superiorem & Inferiorem. Superior quæ Sungoiam contingit, habet multa dominia. nam haud procul ab oppido Thari eſt ditio Abbatis Murbacenſis, in qua ſunt VVatvviler, Gebvviler, & alia quædam oppida. hinc ſequitur Mundat, quaſi Munus datum, quod includit Sultz, Rubeaquum, & multa alia oppida Epiſcopo Argentinenſi ſubiecta. Huic Dominio adiacet Lantgrauiátus in ſuperiori Alſatia, nempè oppidũ Ensheim cum multis villis. Is Lantgrauiatus peruenit ad ditionem Alberti Comitis Halsburgenſis, patris Regis Rudolphi, circa annum Chriſti milleſimum ducenteſimum. Terminatur Alſatia ab Oriente ad Rhenum, & ab Occidente ad Voſagum montem qui Lotharingiam à Germania diuidit, extenditurque à Suadgoia vſque ad ciuitatẽ VVeiſſenburg. Euomit autem mons Voſagus multos amnes, qui per mediterranea deuoluti Rhenum petunt: præcipuus tamen Alſatiæ fluuius eſt Ila, qui totam ferè percurrit Alſatiam. Quàm fertilis verò ſit hæc prouincia hinc colligere poteris, quòd in hoc terræ tractu tam anguſto, ſingulis annis tanta prouenit vini & frumenti copia, vt nedum cultores quorum ingens eſt numerus, hinc neceſſarium habeant victum, ſed ſupereſt tantum vt etiam vicini longèque eorum abundantia fruantur. Nobiliſſimũ enim vinum quod apud eos creſcit, continua vectura curuum, aliquando etiam nauium, abducitur in Heluetiam, Sueuiam, Bauariam, Lotharingiam, inferiorem German. aliquando etiam in Angl. In Sundgoia magna creſcit vis frumenti. imò per

Diuiſio Alſatiæ.

Ila fl.

Fertilitas eius.

totam Alſatiæ planitiem vſq; ad Argentinam hæc
frumenti vbertas inuenitur , vnde Lotharingia
montes inhabitantes,Burgundia & bona pars Hel-
uetiæ cibantur.In montibus & collibus decoquitu
optimum vinum,& in plano prouenit frumentum
& arborum fructus. Habet quoque Alſatia in mon
tibus ſyluas caſtanearum,habet montes turgente
mineris argenti,cupri & plumbi,præſertim in vall
Leberthal. Habet præterea in montibus & vallibu
nobiliſſima paſcua , id quod teſtantur optimi &
pinguiſſimi caſei,qui in Munſterthal conficiuntur
Et vt vno verbo dicam , non eſt in tota Germani
regio aliqua,quæ in omnibus prouentibus Alſatiæ
poſſit adæquari . nullus eſt enim iuxta montes i
Alſatia locus ocioſus qui non habitetur,aut ſit cu
tus . Hæc tam parua regio adeò humanis vſibus e
dedicata,vt in ea inueniantur quadraginta ſex ciu
tates & oppida,omnia muris cincta. quinquagint
arces in montibus & plano ſitæ : villarum verò &
vicorum non eſt numerus . Vulgares regionem in
colentes & terram colentes miſeri ſunt : nam p
ſingulos annos abliguriunt bona ſua , nec quicqu
in futurum ſeruant , vnde fit vt tempore belli, au
quando frigore vel pruina terræ naſcentia deu
ſtantur aut pereunt,magna premantur penuria.I
uantur tamen pauperes ex publicis granarijs . No
habet hæc terra indigenas multos , ſed maior pa
ſunt aduenæ,puta Sueui, Bauari, Burgundi, Saba
di,& Lotharingi,qui cum ſemel regionem ingre
fuerint,non facile inde emigrãt. Sueui potiſſimu
ibi nidulantur . paſſim omnes ibi recipiuntur , q
colonis in terræ cultura cooperari ſatagunt . Ci
cum Keiſerſpergum , quod ſonat Cæſarianu
montem, terra ſummam habet fertilitatem , vn
& co

Vulgi conditio.

& cor Alſatiæ ibi eſſe perhibetur, inueniunturque ibi tria oppida murata, tāta vicinitate ſibi inuicem iuncta, vt bombardæ iactu illa iſtam appræhendere poſſis, vocanturque Keiſersbergum, Ammersvveier, & Konsheim. Ibi vinum in vaſis magnis per adiectas prunas decoquitur; aut ſepeliuntur vaſa ipſa muſto impleta in ipſis acinis & racemis expreſſis, quouſque vis digeſtiua emoriatur in vino, manetque ſic vinum dulce per totam hyemem, & defertur paſſim in alia loca, habeturque in delicijs.

ALSATIA INFERIOR.
Cap. 21.

TOta olim Tribocorum regio quam hodie vocant Alſatiam, tractus Argentoratenſis. Argentoratum autem vulgò Straesburg, lim mediocre fuit oppidum, hodie verò eminenſſima vrbs eſt, habuitq; Comitem rei militaris, qui tiam Argentoratenſis dictus erat. Quod verò ſcriunt quidam ante Iulij Cæſ. tēpora in Argentorao cameram fuiſſe Ro. tributorum, atque ob id vrem eam Argentinam dictam, multi fabulam eſſe utant, cùm Romani olim Rationalem ſummaum in Gallijs habuerint, & Præpoſitum theſauroum apud Treuiros, atque illic etiam procuratoem monetæ: quapropter cùm Comiti Argento- *Argentina vrbs.* atenſi in ſtipendia militum pecunijs opus eſſet, aundè haud dubiè ſuppeditabatur. Vrbem tamen anc ab antiquo ſemper celebrem fuiſſe conſtat. uin & feliciſſima illa Iuliani cum Alemannis puna eam adhuc nobiliorem apud veteres fecit. Oo enim Reges Alemannorum coniunctis viribus henum cum Iuliano pugnaturi tranſcenderunt,

Infelix Germanorum pugna.

& apud Argentoratum, vbi caſtra fixêre ſua, à Iulia no cædebantur. Fuit autem hæc vrbs primò tributaria Treuirenſibus. deinde Romanis ſubiecta. tertiò paruit Regibus Francorum; hodie incorporata eſt Romano Imperio, numeraturque prima inter liberas ciuitates. abundat autem omnibus bonis, excellitque in opibus cunctas Rheni ciuitates, miram habens copiam vini & frumenti, vtpotè quæ ſitum habeat in optimo fundo, etiamſi oleribus & radicibus ferendis accommodatior ſit quam vino producendo. Turrim habet elegantiſſimam, quingentos ſeptuaginta & quatuor pedes geometricos altam.

Taberna Alſatiæ.

Occidentem verſus Taberna vrbs ſita eſt, vulgò Zabern: ſicut ex Turego Zuregum vulgò Zurch, & ex Tugio Zugium, Fuit autem Taberna munimentum Romanorum ad prohibendas Alemannorum in Galliam incurſiones. hodie ibi Præſulis Argentinenſis eſt domicilium & curia. Sunt qui Alſaticam hanc Tabernam à Iulio Cæſare conditam tradant, qui taxauit in Calendario annum ad duas & quinquaginta ſeptimanas: dies verò trecentos & ſexaginta quinque. conformiter enim mœnijs Tabernę adiecit quinquaginta duas turres; atque murum diſcriminauit in trecenta & ſexaginta quinque mœnia, ſeptem ſcilicet inter duas turres ponens primas.

Ruſtici caſi.

Hoc in oppido & extra mœnia anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, occiſa fuerunt aliquot millia ſeditioſorum ruſticorum à Duce Lotharingiæ, ſpatio trium horarum. ac deinde poſt quatriduum idem Princeps iuxta vicum Schervveiler, qui medio miliario diſtat à Seleſtadio occidit iterum aliquot millia ruſticorum. Haud pro-

procul à Taberna oppidulum quoddam eſt, & iuxta illud monaſterium Maursmunſter, inſtitutum à Mauro Abbate.

Eſt & aliud monaſterium parum diſtans à Brocomago, cui à ſancto Spiritu titulus eſt, quod dicitur fundaſſe Lantgrauius quidam Stephanus nomine, à quo etiam nomen accepit.
Vocatur enim Steffans velt, & corruptè Stechuelt: eſt in eo loco Brephotrophium, hoc eſt, domus in qua pueri expoſititij aluntur. Hinc Septentrionem verſus Haganoa conſpicitur, ciuitas anno Chriſti 1164. à Friderico Barbaroſſa muro clauſa. in hac principes terræ morabantur, quando in Foreſto venationibus vacabant. Fundum habet circum mœnia arenoſum, ſed ſterilitatem iſtam compenſat ager fertilis paulò longius à ciuitate ſemotus. Vlterius deſcendo VVeiſſenburgum apparet, inſigne & clarum oppidum ad Voſagi montis radices, cuius per medium Lutra amnis interluitur. huius loci tanta eſt vetuſtas, vt etiam apud nullos rerum ſcriptores eius origo reperiatur. Hîc Dagobertus Gallorum Rex anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quarta inſigne ac reale monaſterium infinitis extruxit ſumptibus, illudque monachis Benedictini ordinis tradidit. Diſtat ab Argentina ſecundum Rheni curſum, ſex miliarijs Saletium, vulgò Seltz, ibi Abbatia eſt ordinis Benedictini, inſtituta ab Adelheide Imperat. Othonis I. vxore, filia Rudolphi Regis Burgundiæ, quæ etiam ſepulta ibi eſt. Eſt autem Rhenus eo in loco auri valdè ferax, quippe quod purum ex arena colligitur & conflatur. Clauditur autem Alſatia Boreã verſus iuxta Rhenanã & montanã Tabernas. condiderunt namq; olim Romani Tabernas tres iuxta Rhenum, aut non procul

Haganoa.

VVeiſſenburgum.

Seltz.

ab eo, in quibus milites hyemauerũt, nempe Tabernam Alſaticam, de qua ſuperius, quam hodie poſſidet Epiſcopus Argentinenſis: Tabernam Rhenanam, cuius dominus eſt Epiſcopus Spirenſis: & Tabernam montanam, quæ vno miliario diſtat à VVeiſſenburgo, paretq; Duci Bipontino. Sed cùm Ludouuicus Dux niger arma mouiſſet contra principem Electorem Palatinum, Fridericum ſcilicet, indignatus Princeps Elector, ſpoliauit eum hoc oppido, anno Chriſti 1455. ſed quod deinde illi reſtituit, ſpe bona ductus quòd nunquam contra ipſum acturus eſſet: ille tamen hoc minimè præſtitit.

Tres Tabernæ.

PALATINATVS RHENI.

Cap. 22.

NOmen Palatini Rheni, nomen eſſe dignitatis & officij credit Munſterus, quo d Imperatores inſtituerunt. Sunt enim qui aiũt primos Palatinos ſimplices fuiſſe nobiles, vſque ad tempora Othonis tertij, quando principes Electores fuerunt conſtituti; tunc enim illis maior dignitatis gradus fuit additus. Nec ſine cauſa Electura non fuit commiſſa ducibus potentibus qui tunc erant in Imperio, puta Duci Bauariæ, Duci Sueuiæ, Lotharingiæ, Brunſvvicenſi: etiamſi Bauari temporum ſucceſſu in familiam ſuam ſtuduerint hanc dignitatem introducere, hodieque & Palatinatus & Bauariæ titulum habeant. Primus Palatinatus Elector appellatus fuit Hẽricus, qui anno Chriſti 1003. diuum Henricum cum reliquis Electoribus in Imperatorem elegit. Electionis verò prærogatiuã Palatinatui hac occaſione cõtigiſſe veriſimile eſt, vt honos is haberetur Caroli poſteris, ne decus hoc apud Saxones tantũ eſſet, ſed pars quoq; eius ad Francos tranſ-

Palatinorũ dignitas.

tranſmitteretur, quandoquidē erant Palatini ſub id tempus ex genere Caroli Magni. Terra autem hæc Palatini Electoris, præter pagos, monaſteria, & arces, continet vrbes pariter & oppida quadringenta octo. quarum primaria eſt Heidelberga, in qua & *Heidelber-*
Principis ſedes eſt. Nomen huic vrbi datum putatur *ga.*
à gentium colonia: vocant enim Germani hominem gentilem Heiden. Huius loci ſitus admodum eſt amœnus, cùm ſit in fauce montium, vbi Neccha rus (qui & Nicer & Nicrus dicitur) ex montibus in *Varia eius*
planitiem egreditur. neque dubium eſt quin locus *etyma.*
ille ſemper quamdiu Germania habitata fuit, ab hominibus cultus fuerit. Sunt alij qui contendunt dicendum & ſcribendum eſſe Edelberg, quod ſonat nobilem montem. alij verò Eidelberg, quod meros montes ſignificat. vulgus à moris ſeu humi naſcentibus fragis quorum in montanis circa vrbem ingens creſcit copia, vernacula ſua lingua Heidelbeer dictis, appellatam vrbem mauult. Hanc Ptolemaicam Budorim eſſe credunt; quam alij tamen oppidum Manheim per Budorim accipiendum contendunt: nam ſitum eſt illud in confluentia Rheni & Nicri, vbi in Concilio Conſtantienſi Ioannes papa triennio incarceratus fuit. Eſt terra circa Heidelbergam omnium rerum ferax, vini boni, frumenti, olei, fructuum arboreorum, & caſta- error.
nearum. Anno Chriſti 1346. Rupertus ſenior princeps Palatinus fundauit Gymnaſium Heidelbergen *Gymna-*
ſe, vbi temporum ſucceſſu in omni ſcientiarum ge- *ſium.*
nere multi docti floruerunt viri. Idem Rupertus *Rupertus*
(qui & Romanorum Imperator anno 1400. ele- *Imp.*
ctus eſt) egregium illud in eadem vrbe exſtruxit templum quod Spiritui Sancto nuncupatum eſt, in quo etiam ſepultus requieſcit. Præter cæteros item

requieſcunt ibi corpora doctiſſimorum virorum Rudolphi Agricolæ, Sebaſtiani Munſteri, & qui meo ęuo locúm iſtum celebrem reddiderunt, Guilhelmi Xilandri, Thomæ Eraſti, quoque vſus ſum Rectore Oliuerij Bocchi, illuſtriſſ. Principis Friderici tertij tempore. Zacharias tamen Vrſinus Vratiſlauienſis in Neapoli Palatinorum conditus requieſcit. Ante paucos verò annos celeberrimi Gymnaſij Rector magnificus in adoleſcentia fuit Fridericus quartus Ludouici fil. Friderici 3. nepos, quem nunc auito ſolio ſedentem ac Palatinum leonem moderantem Deus Opt. Max. nobis in vera pietate & iuſtitia ſaluum & incolumem conſeruet. Diſtributus autem eſt Palatinatus in quatuor officia, vt vocant, quorum metropoles ſunt Heidelberga, Alzæa, Neoſtadium, & Mosbachium. Bretta quidem oppidum mediocre ad Saltzam fluuium, patria Philippi Melanthonis, ſummi liberalium artium magiſtri, qui Portæ Hercyniæ primò in literis verſatus admodum puer magno illo Io. Capnione ſtudiorum curſum moderante: primamque doctrinæ lauream Heidelbergæ, alteram Tubingæ adeptus anno ætatis 16. Sacrarum literarum explicator ſolertiſſimus, ſeculi noſtri ornamentum ſingulare, ac decus Germaniæ perpetuum futurus.

Philippus Melanthon.

Fertilitas regionis.

Porrò quod ad Comitatus huius fertilitatem attinet, nihil quod ad humanum victum neceſſarium, in eo deſiderari poteſt. In montibus enim decoquitur generoſum vinum, & ſimul in eiſdem creſcunt Caſtaneæ: in pede montium pulcherrimi plantātur horti, & in planis agris copioſa prouenit ſeges tritici, ſiliginis, hordei, &c. Syluæ & montes referti ſunt feris, potiſſimum ceruis. quin & incolæ pluri-

plurimos in ſyluis nutriunt hircos, hædos, & capras, eò quòd hæc animalia ſyluestribus potius delectantur ſaltibus quàm pratis. Præterea in Nicro fluu. qui medium alluit Palatinatum, innumeri per ſingulos annos capiuntur piſces, magni & parui, maximè autem abundat barbonibus. Deſcendunt quoque per hunc fluuium continuæ lignorum rates, ex Odonica ſylua, quæ ex Neccaro in Rhenum deferuntur, atque omnibus ciuitatibus Rheni, à Spira vſque Bingium ad portas vſque deducuntur. Eſt Odonica ſylua regio ſyluestris & montoſa, cultura quoque difficilis, licet in quibuſdam locis amœnas & fertiles habeat valles, in quibus ſatis frumenti colligi poteſt. Incolæ pro magna parte victitant ex pecoribus & queſtu lignórum. Inter VVormatiam autem, Heidelbergam, Neoſtadium, Crucenacum, & Oppenheim magna patet terræ planities, habens agrum feraciſſimum vini & frumenti; nec eſt in linea Rheni, poſt Sundgoiam, terra aliqua feracior frumenti quàm ſit illa, imprimis circum ciuitatem Alzæam. *Nicer.*

Inter Spiram autem & VVormaticam factus eſt conflictus ille horrendus inter duos Reges, Albertum & Adolphum, in quo Adolphus periit, anno 1298. Vno à VVormatia miliario diſtat oppidum Pfeddersheim, vbi incredibilis vini copia quotannis prouenit, tantæ præſtantiæ vt Bacharacenſi (cui primas peritiſſimi potatores tribuunt) nequaquam cedere perhibeatur. Anno Chriſti 1455. memorabilis ibi accidit clades, cùm multi principes conglobati, quorum præcipuus erat Epiſcopus Moguntinus, contra vnum principem Fridericum Palatinum, omnes ab ipſo circumuenti cæderentur. Fuit autem Fridericus ille *Pfedderſheim.*

cius

eius nominis primus, vir ſtrenuus ac militaris, nec minori præditus iuſtitia, ac in multis Tullo iſti Hoſtilio comparandus, vulgò der böſz Fritz vocatus. Anno 1525. triginta millia ſeditioſorum ruſticorum ibidem cæſi ſunt: cuius prælij annum vulgaris ille verſus etiam comprahendit: Captus erat Gallus, coëunt cùm rure cohortes.

HASSIA COMITATVS PROuincialis. Cap. 23.

HAſſia quæ hoc noſtro æuo Lantgrauiatus titulo claret, ab Occaſu contingit Rhenum, & ab Ortu Thuringiam atque Saxoniam, verſus Aquilonem verò confinis eſt terræ Brunſuicenſium, & pro parte VVeſtphaliæ. Vnde verò Haſſia ſic denominetur, certa ratio vix reperitur. ſunt qui fingunt montem Haſſionem, à quo nomen acceperit. Alijs verò placet Heſſos ſeu Haſſos ex Chattis, qui hanc regionem habitaſſe commemorantur, t in s mutato, prognatos. id quod ſuperioris Germaniæ dialecto admodum familiare eſt (tenues nimirum aſpirare, & literam t ſibilare) cuiuſcunque etiam ſeu linguæ, ſeu dialecti primitiua vocabula fuerint, vt ex Taberna Zabern, ex Belgico vvater vvaſſer, meten meſſen, gruten gruſſen, &c. ex vp vf, maken machen, Aken Achen (propriè enim Aken quaſi aquen ab aquis dicitur, ſicut etiam Rubeac Rubeach Rufach.) Vnde adhuc eſt loci nomen Catten Elnbogen, gentis illius conteſtans vetuſtatem. Subortus eſt autem Lantgrauiatus Haſſiæ ex Lantgrauiatu Thuringiæ, creuitque membrum ſuper caput. Fuit enim Haſſia olim tantum Comitatus, ſubiectus dominio Thuringiæ, id quod

Nominis origo.

quod probat liber Torneamentorum, in quo ſcribitur quòd anno Chriſti 1042. Ludouicus comes Haſſiæ fuerit Hallis in ludo militari ibi celebrato; ſed factus deinde Lantgrauius, aſcendit filia ſupra matrem. Habent & in hunc vſque diem ſimilia inſignia, niſi quòd rubei tramites ſunt tranſpoſiti. Notabis etiam intra Mœnum & VVeſtphaliam non tantùm Haſſiam contineri, ſed & Rhingauiam, VVeſtervvaldiam, VVederauiam, comitatum Naſſauienſem, comitatum Konigſteinenſem, Hanouienſem, Eiſenburgenſem, multaque alia dominia. Primariæ vrbes Haſſiæ ſunt Marpurgum ſeu Martisburgum & Caſſilia ſeu Caſſella. Marpurgum *Marpurgū.* quidam ſic dictum volunt à Marte, alij autem à Marcomiro Francorum Rege denominatum putant. inſignem in monte locatam arcem habet, quæ Comitum prouinciæ iſtius ſedes eſſe ſolet. Nec minus illuſtrem facit vrbem Academia celebris, plurimorumque doctiſſimorum virorum in ea cætus, & ſtudioſorum adoleſcentum turba haud exigua. In hac etiam clariſſimi poëtæ Eobani Heſſi conduntur oſſa. cuius feliciſſimus fuit æmulus in Pſalterio ſuo Illuſtriſſ. Princeps Mauritius, prouinciæ huius dominus, etiamnum & quamdiu benignitas Dei concedet, ſuperſtes. Præter cætera eaque multa Lantgrauiatus huius oppida, munitiſſimum cen- *Terræ qualitas.* ſeri poteſt Gieſſena, inter Fridburgum & Marpurgum ſita. Producit regio ipſa colonis ſuis victum neceſſarium, nihil ſuperfluum. nutrit pecora, feraxque eſt frumenti, non autem vini, niſi vbi contingit Rhenum, & iuxta ripam Lani fluuij. Syluestris vt plurimum eſt & montoſa, ferarumque, imprimis ceruorum, magnam alit copiam; vnde & venationibus crebris terræ domini inuigilare ſolent. De re-

gionis

gionis huius natura & conditione, atque incolarum moribus extat carmen breue & elegans Helij Eobani natione Heſſi, ex verſibus gratulatorijs ob victoriam quandam Philippi Haſſiæ Lantgrauij, huius Mauritij aui, deſumptum: quod hîc ſubijcere emolumento eſſe duximus:

Qualis Hyperboreum proſpectans Thraca Booten
Gradiui domus ad Rhodopen; Hæmumque niualem
Circumfuſa iacet, gelidis aſſueta pruinis;
Gignit in arma viros duratos frigore, quique
Aut Hebrum, Neſſumque bibunt, aut Stymonis vndas:
Talis & ipſa ſitu, talis regione locorum
Et fluuijs, ſyluiſque frequens, & montibus altis
Haſſia: natura ſimiles creat alma locorum
Ceu natos in bella viros, quibus omnis in armis
Vita placet: non vlla iuuat ſine Marte, nec vllam
Eſſe putant vitam, quæ non aſſueuerit armis.
Quòd ſi tranquillæ vertantur ad otia pacis,
Otia nulla terunt ſine magno vana labore:
Aut duro patrios exercent vomere colles,
Aequatoſque ſolo campos rimantur aratris
(Namque & planities ſegetum fœcunda patentes
Explicat innumeras, & plena meſſe colonos
Ditat, & ipſa ſibi ſatis eſt) aut ardua ſyluæ
Luſtra petunt, canibuſque feras ſectantur odoris,
Venatu genus aſſuetum, genus acre virorum;
Aut leges, aut iura ferunt, aut oppida condunt
Fortia, non ſolùm bello munimina, verùm
Quæ deceant in pace etiam, oblectentque quietos.
Quid ſacros memorem fontes? quid amœna vireta?
Quid valles ipſis certantes frugiferacis

Valli-

Vallibus Aemoniæ? dulces quid vbique receſſus
Muſarum loca, conſeſſu loca digna Dearum?
O patriæ gelidi fontes, o flumina nota;
O valles, o antra meis gratiſſima Muſis.

BRVNSVICENSIS DVCAtus. Cap. 24.

BRuno Ludolphi Ducis Saxoniæ filius, & patruus Henrici Aucupis Regis Rom. inſigne nomen reliquit vico; quem ille primus inchoauerat, qui ex illo dictus eſt Brunonis vicus, aut potius ſinus, qui lingua Saxonum notatur VVijck. hodie tamen communiter appellatur Brunſvvich, tenui in aſperam mutata, cuius etiam paulò antè fecimus mentionem in Haſſia. Eſt autem vrbs ea Ducatus Brunſuicenſis metropolis, qui ab ea nomen quoque ſuum adeptus eſt, & magna admodum ac populoſa, mœnibus ac foſſis munitiſſima, turribus ac propugnaculis firmata, decorata magnificis domibus, præpolitis plateis, ampliſſimis ornatiſſimiſque templis, per quadrum tantum ferè habet latitudinis quantum longitudinis, complectiturque in ſuo ambitu duo millia paſſuum. Eſt aliquanto maior Norimberga, & minor Erphordia. Ad Orientem habet diœceſim Magdeburgenſem, ad Meridiem Hartonicum ſeu Hercynium nemus, Occiduam partem compræhendit Hildesheimenſis Epiſcopatus, & Septentrionem inhabitant Luneburgenſes. Hanc vrbem perlabitur Orcana amnis, cui origo ſylua eſt Hartenica, duaſque in partes ciuitatem ſcindit, omnẽ ſecũ trahens immundiciẽ, varijs vndiq; pontibus coopertus. Tota vrbs in plano ſedet, mœnibus ac foſſa duplici profundiſſima,

Termini regionis.

& ali-

& aliquot in locis triplici, ac qualibet aquis ſtagnā-
te munita. Vallum etiam inter foſſas craſſiſſimum
ductum per circuitum, varijs arborum conſitum
generibus. Non habet ciuitas aquam potabilem,
ſed communiter bibunt cereuiſiam. Vini autem v-
ſus rarior eſt quia charior: Inter cæteras Ducatus
Goslaria. huius ciuitates haud poſtrema quoque erit Gosla-
ria, quam Henricus primus, pater magni Othonis,
vrbium amator, in formam ciuitatis erexit. Anno
1051. Imperator Henricus tertius ingentibus regni
floreſcens opibus, vrbem iſtam mirificè ornauit,
quam de paruo molendino, vt aiunt, vel tugurio
venatorio duo priores Henrici; & iſte nunc tertius
in tam magnam ſicut hodie cerni poteſt vrbem
bono prouexerunt auſpicio, in qua regale palatium
hic Imperator magnificè extruxit, & duas omnipo-
tenti Deo congregationes inſtituit. Dicitur Otho I.
Imper. apud Goslariam argenti inueniſſe minæras,
quarum magni fuerunt reditus, ex quibus Impera-
tor duo conſtruxit ſacerdotum collegia, & regium
palatium nobilis operis. Abutentibus autem ciui-
bus ſuppeditatis diuitijs, offenſus Deus permiſit
puteum vnum corruere, quo caſu mille homines &
Horrendus caſus. ſupra oppreſſi fuerunt. Et poſt illud tempus neque
argentum, neque aurum fuit amplius inuentum in
eo loco, ſed plumbum nigrum. Perhibent autem
metallum Goslariæ ſic natum: Quidam nobilis
homo equum cui nomen erat Ramelus, in monte
ad ramum arboris alligauit: is vngulis quibus fer-
reæ ſoleæ inductæ, terram quatit, verrit, atque ita
reconditam plumbi nigri venam integumentis nu-
dauit, non aliter ac Pegaſus alatus aperuit fontem
dum vngula ferit ſaxum. vt autem fons iſte ex eo
vocatur Hippocrene, ita hunc montem incolæ
Rame-

Ramelum vocarunt, qui hodie maximè floret, atque admirabilem plumbi copiam ſuppeditat. Goſlariæ tantum inuenitur galenæ & pyritarum, ex quibus plumbum nigrum excoquitur, vt mons quidem ferè nihil niſi pyritæ & galena eſſe videatur. Ducatui huic vicinus eſt Halberſtadienſis Epiſcopatus, itidem à metropoli eiuſdem in eo nominis ſic dictus. Perlabitur autem vrbem Halberſtadienſem Oltemia fluuius. in medio verò tumulus aſſurgit, in cuius cacumine planities eſt, duorum ferme ſtadiorum continens longitudinem, in cuius extremis angulis duo templa ſita ſunt, quorum alterum pontificale eſt. In medio latè patet forum, magnificis canonicorum ædibus vndique cinctum, & hæc pars vrbs vocatur. quod ſub tumulo iacet, ſuburbium appellant. In monte nulla laicorum, vt vocant, habitatio. Carolus Magnus huius Eccleſiæ fundator habetur. Eſt circa hanc ciuitatem ager optimus, ferax tritici. matureſcentibus frugibus, culmorum altitudinem equo inſidentem hominem ferunt excedere. Magdeburgum fuit olim huius Epiſcopatus parochia: ſed per Ottonem primum ibi Archiepiſcopatus eſt erectus; & Halberſtadienſis diœceſis minorata. Fuit Epiſcopatus hic primùm à Carolo in loco Salingſtede fundatus, qui hodie Ooſterwijck appellatur, & deinde in Halberſtadium translatus.

Rameluſ mons.

Halberſtadium.

Terra fœcunda.

COMITATVS VVALDECENſis. Cap. 25.

COmitatus hic VValdecenſis partem capit Haſſiæ, eamque frugiferam, & varijs ac per multis fluuijs irriguam, quorum præcipuus et ac famoſiſſimus qui Edrus appellatur, ipſuſque

piſcoſus admodum eſt.quin & aurifer eſſe prędica-
tur.poſt hunc autem Dimilus,Tuiſtius,atque Aris,
quos Vrbis ſequitur atque Ithrus.Vini ac frumenti
ferax eſt hæc regio.Habet & argenti,metalli,argen
ti viui,plumbi, & aluminis fodinas. Loca eius cele-
briora ſunt vrbs VValdeck,cum arce in ea ſita,qu
metropolis eſt regionis, vnde nomen ſuum Comi
tatus adeptus eſt. Poſt hanc Aſtinchuſium, Dudin
chuſium,vrbs Landauia cum adiuncta arce;ac ciui
tas Megerhuſia quæ ſimiliter arce firmata eſt & de
corata,in qua etiam Comitum ſedes eſſe ſolet, du
bus à Vvaldecchio miliaribus diſtans. hinc & Rho
dena vrbs cum arce ſua, cuius venationibus crebri
celebre eſt territorium.Vvetreburgum arx eſt,loc
admodum amæno ſita, inter Tuiſtium videlicet &
Metallifodinæ. Arim fluuios. VVildungia vrbs eſt, Meridiem ve
ſus vnico miliari diſtans a Vvaldecchia;neque vet
ri tantùm nouoque diſcreta nomine,ſed ſitu etian
atque loco. apud eandem vrbem multi ſunt meta
lici,fodinæque permultæ, ex quibus magna vis au
ri,metalli, ac ferri quotidie eruitur. fontes etiam a
cidos aliquot vicinia iſta habet.præſtantiſſima qu
que cereuiſia VVildungiæ coquitur , in tota nam
que regione haud ei ſimilis reperitur.Eiſenburgu
arx eſt,cuius fundus,quemadmodum etiam VVa
dungienſis, auri ac ferri prouentu felix eſt. In e
dem loco & lapides iſti carbonarij effodiuntu
quos Lithantraces,Germanicè Steinkolen vocan
non fabris ferrarijs tantùm in officinis ſuis vtile
ſed qui etiam in domeſticis focis lignorum ac ca
bonum vice eſſe poſſint.Eilhuſium Septentrione
verſus tribus à Vvaldeca miliaribus diſtans,arx e
quod ad ſitum eius,ſpectabilis ſatis,quam Vrbis f
uius mediam interluit. Corbachium vrbs eſt ſat
munita

munita. Neoburgum arx eſt adiuncta ciuitate. Ithra arx eſt. VVerba autem cœnobium. Iodocus Moers à Corbach (qui etiam primus huius Comitatus in tabula ſitum delineauit) duos Nobilium ordines ſub Comite Vvaldecchio enumerat; vnum liberum intra Comitatum commorantem; alterum tam extra quàm intra Comitatum feudo Comiti aſtrictum. Hos ergo ordines, cùm nihil præterea habeam, hìc adnumerabo, & quæ illorum domus tabulæ Iodoci inſunt, indicabo: Stemmata nobilium liberorum intra Comitatum ſunt: Virmundt, Meiſſenburg, Gogreben, Zertzen, Volmerichhauſen, Dalvvig, Eppe, Rodehauſen, Reen, Schonſtat, Hertzinghauſen, Tvviſt, Hanxtleden, Greiſmar, Koman, Dorfelt. Stemmata feudatoriorum tam extra quàm intra Comitatum ſunt: VVitſtein, Reiteſel, Spiegel, Calenberg, VVeſtfal, Canſtein, Malſpurg, Lebenſtein, Mengerſon, Meſchede, Beinenburg, Papenheim, VVulft, VVolckenburg, Iuden. Quod ad dignitatem officij Imperialis attinet, inter quatuor ſeruos ſeu milites Imperij Comitatus hic primus ponitur, ſunt autem: VValdeck, Hirten à Fulchen, Arnsberg, Rabnauu. Ab Oriente Comitatus hic Haſſia terminatur, à Septentrione Epiſcopatu Paterbornenſi, Occidentalior autem pars diæceſim reſpicit Colonienſem.

Nobilitas VValdecchiana.

Termini eius.

Quatuor à VValdecchia miliaribus ciuitas eſt Medebach, patria Gaſparis Vopelij Geographi & Aſtronomi peritiſſimi, ciuis poſtmodo Colonienſis, qui dum in hac Agrippinenſi vrbe degeret, regione ſcil. ędis D. Pauli, proximè domũ cui cygni eſt titulus, vbi etiã ante annos circiter 29 feliciter in Deo obdormiuit, opera permulta mæchanica

Vopelius.

artem geographicam & Aſtronomicam demon-ſtrantia, poſt ſe reliquit. quorum pręcipua ſunt: Tabula iſta magna totius Orbis ſitum repræſentans: Europa locupletiſſima & exactiſſima quam Carolo 5. Imp. dicauit: Tractus Rheni cum omnibus fluuijs confluentibus: Tabula ſphæræ terreſtris quæ globo adaptari poteſt: Sphęra itidem Cœleſtis globo adaptanda: Aſtrolabium nouum, varium ac plenum: alias etiam tabulas tam medicis quàm chirurgis ſeruientes; quę omnia ſi accuratius contemplentur, eruditiſſimi viri ingenium ac induſtriam abundè teſtabuntur.

VVESTPHALIAE TRACTVS.
Cap. 26.

VVeſtphaliam a Veſta Dea ſic dictam arbitrantur; namque nonnullis Germanorum cultam fuiſſe quidam aſſeuerant: VVeſtphalos ergo quaſi Veſtalios dictos eſſe. Malunt tamen alij à vento Occidentali, qui enim vltra Viſurgim flu. Orientalem plagam occupant, Oſtuali Sagones cognominantur, ab Ooſt vento Orientali, & Valen, quod Saxonibus ſua lingua pullũ equinum ſignificat: hunc enim in militaribus ſignis habuerunt. ætas id nominis aboleuit in Orientalibus, & generalis illa Saxoniæ appellatio permanſit. Sic Vveſtphali qui citra Viſurgim verſus Occaſum habitant, ab VVeſt Occiduo vento nuncupantur. Volunt autem nonnulli à Veldt (id eſt campo) potius quàm Valen dici VVeſtphalos. aiunt enim agrum Albi Viſurgique interiectum Ooſtuelt, eiuſque incolas Ooſtueldingos dici: agrum autem Viſurgi Rhenoque flu. interceptum VVeſtuelt, cultores autem eius VVeſtueldingos appellari. Saxonum olim

gens quę cùm ob ſui vaſtitatem varioſque cultores in plures prouincias ſcinderetur, huic ob dictas iam cauſas id nominis contigit. horum ſedes Dulgibinos olim tenuiſſe conijciunt. Hinc Bructeros qui à Charmauis Angriuarijſque eiecti, hinc ſecedentes in Sarmatiam conceſsêre, & ad Balthicum mare domitis aut expulſis Vlmigeris conſedêre. Hodierni cultores robuſti, proceríque corporis, animi magni, bellicoſi & ingenioſi deprehenduntur: vt prouerbio dici ſoleat VVeſtphalis plures aſtutos, ſubdolos, verſi pelleſque gigni quàm ſtultos. Regio eſt ampla, ſpacioſa & capax, compluribus diſtincta dominijs. Ducatus continuit olim VVeſtphalienſem, VVeſalienſem, & Angrienſem Angriuariorum veſtigium. huius ſibi principatum Colonienſis antiſtes vendicat; Saxonumque principes Angriæ ſe duces eſſe dicunt. Monaſterienſis autem Angrienſiſque tractus incolæ Colonienſium Epiſcopo parent, ipſiuſque nobilibus, quorum ferè mancipia ſunt, ac iugum duriſſimum ſufferunt. Reſident autem in vniuerſa VVeſtphalia Epiſcopi quatuor: Bremenſis nimirum, ad Viſurgim in ora iuxta Saxoniam. Myndenſis ad eundem amnem verſus Thuringiam. Paterbornenſis (Teucerium Ptolemæo) ad Lupiam in Haſſiæ confinibus. Monaſterienſis in mediterraneis ad Ameſim fluuium. Hęc autem prouincia Saxonum olim portio fuerat. Verùm cùm his incolæ vnà cum Longobardis Italiam inuaſiſſent, ac tandem in patriam ſedeſque ſuas reuerſi eſſent, VVeſtvvalen (vt quibuſdam placet) dici cœperunt, ac in vmbilico ſuæ regionis vrbem ædificantes, eam Mediolanum vocarunt, vocabulo mutuato ab Italiæ Mediolano. Aſſeuerant tamen quidam oppidum ibi extructum aliquando Mymin-

Aſtuti VVeſtphali.

n.

Quatuor Epiſcopatus VVeſtphaliæ.

grodt vocatum, quo loco Carolus Mag. Epiſcopa tum conſtituit, ac deinceps Monaſterium vocatum fuiſſe à magnifico templo ſeu monaſterio quod i bidem extruxit, atque inde poſtea totum Epiſcop tum ſibi nomen ſumſiſſe. Comitatus, nobiliumqu ſedes penè infinitæ, quarum præcipuę numerantu à Septentrionis parte initio ſumpto Buſactorun maiorum ſedes Oldenburgẽſis comitatus ad Hon tam flu. Hinc verſus Ortum ſequuntur ad eunden amnem & lacum Dum & Diepholtenſis, Ridbor genſis, Rauensbergenſis, Lupienſis, Schovvenbur genſis in Angrienſi Ducatu. In Meridie habet Co mitatum Marchienſem Bructerorum antiquas ſe des, & Recklinchuſen diœceſim. In Occidente ha bet Bentheimenſem comitatum Buſactorum mi norum locum: ac in meditullio Tecklenburgen ſem comitatum, Oſnaburgenſem Canonicatun iuxta Has fluu. ab ibidem Lingenſe territorium. Re gio pluribus vrbibus exornata. ager ipſe pecorun paſcuis quàm aruis lætior. Salis ac metallorum mi næris minimè deſtituitur regio. Pecuarię enixè ſtu dent, vnde & domeſticorum animalium numero ſiſſimos greges alunt. ferarum etiam affatim ha bent copiam per ſyluarum ſufficientiam, cuiuſmo di ſunt: Henſterholt, die Auert, & Holtmarckt, item Teutoburgenſis ſaltus ad Lupiæ ortum. Monte colleſquè plurimi, vt Baemberg & alij, fluminibus paludibuſque multis irrigua, Viſurgi, Ameſi, Glaa Berckel, quorum fontes plerique hîc reperiuntur Vidrus autem, vulgo die Vecht ex Haſſicis monti bus (Abnobæos Ptol. vocat) ortus, recto curſu pe VVeſtphalos ductus, in Friſiorum confinibus mar Auſtrali miſcetur. Viſaris itidem (die VVeſer) e Meliboco Haſſiæ monte ortus, cuius caput & fon

Terræ forma.

VVerra dicitur, ac deinceps Bremenſem vrbem, tandem Oceanum Germanicum ingreditur. Hanc regionem ab Ortu Saxonia claudit: ab Occidente autem Rheno fluuio; à Septentrione Friſia, Hollandia, Vltraiectenſi, ac Tranſiſſulano tractu; à Meridie Haſſiæ montibus excipitur.

MONASTERIENSIS EPISCOPATUS. Cap. 27.

HOdierna VVeſtphalia, vera ac vetus Saxonia fuiſſe perhibetur, cuius limites fuerunt Rhenus ab Occidente, Viſurgis ab Oriente, Phriſia à Septentrione, & à Meridie Haſſię montes quos Obnobios Ptolemæus appellare videtur, ex quibus Amoſis fluu. oritur, qui Paterbornam & Monaſterium medias ferè prouincias interſecat, & per Friſiam defluens fertur in Mare. Cùm igitur latiùs extendantur VVeſtphaliæ fines, vt audiuimus, hoc capite Monaſterienſem diœceſim præcipuè percurremus, itemque Oſnabrugenſem, cùm aliâs quatuor ſint Epiſcopatus totius regionis à Carolo Magni inſtituti, vt diximus. In loco igitur Oſnabrugenſi habitatoribus ſatis frequenti Carolus Magnus cùm vicinam VVidikindi arcem iam captam impoſito præſidio firmaſſet, primam exædificauit in prouincia Epiſcopalem Eccleſiam, eique virum ſanctum præfecit VVihonem primum eius loci Epiſc. hominem genere & patria Friſium: deditque priuilegium nouæ Eccleſiæ, vt vtriuſque ibi linguæ ſcholæ haberentur, preeſſentque doctores viri inſignes: eiuſq; priuilegij tenor etiãnũ extat. Monaſterium autem tertia erat Epiſcopalis Eccleſia, quam erexit Carol. Mag. in meditullio regionis Mymingrode dicto, loco qui poſtea ab inſigni ibi fundato

Oſnabrugenſis Epiſcopatus.

monaſterio, Monaſterium fuit denominatum, ordinauitque ibi Epiſcopum Lugderum nomine, natione Friſium, fratrem Hildegrini Epiſcopi Halbeſtadienſis. Huius ſucceſſor Hermannus dedicauit & conſecrauit monaſterium & eccleſiam trans aquas in titulum & honorem virginis Mariæ, quod breui monaſterium ita excreuit, adeoque factum eſt celebre vt nomen dederit ciuitati & Epiſcopatui. Anno 1533. & 1534. in hoc Epiſcopatu magna per catabaptiſtas orta eſt ſeditio. nam vbi fama percrebuiſſet ibi dominium habere catabaptiſtas, ingens eò malorum hominum affluxit colluuies, ac mox ipſorum acceſſit coniuratio, vt etiam nullius potuerit comprimi authoritate. Epiſcopus igitur vrbem valido circumſedit exercitu, opibus Archiepiſcopi Colonienſis & ducis Cliuenſis adiutus. Anabaptiſtæ mœnibus incluſi audacibus eruptionibus laceſſiunt hoſtem, vt nunc his nunc illis Mars proſper adeſſet, nihilque penè aliud per menſes ſex ageretur. Vltima Auguſti vrbs ingentibus animis oppugnata, ſed vrbanis fortiſſimè reſiſtentibus magna cum clade oppugnatores in caſtra ſunt repulſi. hinc ciues inflati, Ioannem Leydanum Batauum infimo quidem loco natum, verùm forma, ingenio, facundia, audacia, fraude, facinoribuſque præſtantem, ſibi Regem cui rerum omnium poteſtatem facerent, cuique quicquid opum, fortunarum aut annonæ ſupererat permitterent, conſtituêre: hic fretus ſeditioſorum quorumque expectatione pollicebatur ſibi obſidione ſoluta, exercitu ſuo per totum Orbem graſſari. cuſtodes corporis gramineo & cœleſti coloribus veſtiebat, terrenam ſcilicet & Cœleſtem ſibi promittens poteſtatem. inſigne ferebat, terrę globum duobus gladijs tranſfixum.

Monaſteriū.

Anabaptiſtarum ſeditio.

Ioãnes Leydanus.

fixum. prophetas qui dolos arte necterent ad vicinas ciuitates emittebat. vxores duxit quindecim: quotque voluiſſent permiſit viris habere vxores, cætera omnia eſſe communia. Menſe obſidionis decimo impetrauit Epiſcopus auxiliares copias vt vrbem inſuperabilem fame ad deditionem cogeret Orta interea in vrbe ſeditione, obtrūcauit Rex quadraginta ſeptem ciues, qui conatibus eius repugnabant, Menſe decimoquarto omnibus penè abſumptis, ceſſatum communiter conuiuari; vulgus herbis & radicibus victitare, canes, feles, mures, glires in delicijs haberi, cùm nihil ſupereſſet reliqui quo miſeram traherent animam: corium & pelles cocta contuſaque panis haberi loco cæpit. atque inter hæc Rex mirabili impoſtura dementat pereuntes, vt non ante ſe perire credant, quàm iam perierint. vrbe namque tandem capta, nihil victore exercitu nſolentius crudeliuſque: venabantur abſconditos, otoſque decem dies in cædibus vacabant; ludus erat iugulaſſe hominem. mulieribus parſum, niſi quę editionis autores fuiſſent. Eſculorum apud Regem & regales tantum inueniebatur, quantum ipſi x ſuis in tres menſes ſuffeciſſet. Authores calamiatis ſcelerumque, Rex eiuſque primarij cathenis inncti circumducuntur per vicina loca: tandē 1530. n Februario reducti in vrbem Monaſterienſem, orcipibus candentibus lacerati, tribus ferreis coribus incluſi, è turri D. Lamberto ſacra in memoam æternam penſiles propendent. & ſic Regnum oc miſerum finem eſt ſortitum. Terram hanc Carolus Magnus primùm ad fidem Chriſtianam cōulit. cæterùm cùm ſæpius rebellarent, repetitoque dolorum cultu Chriſti religionem ſpernerent, nec iſiurandum quouis modo aduerterent, vt metu

Exitium Regni anabaptiſtici

pœnæ

pœnæ gentis temeritatem compeſceret, occultos iudices inſtituit quibus poteſtatem dedit, vt quamprimum deieraſſe aliquem comperiſſent fregiſſeque fidem, aut aliud aliquod ſcelus perpetraſſe, mox illum vbi comprꝑhendi poſſet, pro arbitrio necarent: elegitque ad hoc viros graues ac iuſtos, qui plectere nocentes ſine dolo poſſent. Degenerauit autem hodie iudicium hoc & ad Scabinos translatum, perſonas viliores, numero vbique ſeptem, qui & ciuilia tractant negotia, ſolumque de criminalibus permiſſam poteſtatem habent. Regio eſt admodum frigida, vini & frumenti inops. pane veſcuntur nigro, cereuiſia potus eſt. Vinum quod à Rheno aduchitur, magno emitur pretio, eoque opulenti tantum, quamuis raro vtuntur. Bellicoſi indigenæ atque ingenioſi, Præſuli Colonienſi parentes. commendantur autem iure pernæ VVeſtphalicæ. Imò à Rhenenſi oppido (quod quatuor à Monaſterio magnis miliaribus diſtans Ameſi fluuio adiacet) ad vrbem vſque Monaſterienſem ager vtcunque amœnus eſt & fertilis: ab Orientali autem Friſia Rhenam vſque tellus planè arenoſa multumque deſerta; vt iter aliquando per Orientalem Ameſis tractum faciens re ipſa compertus ſim, non è digitis (vt aiunt) ſuxiſſe primum autorem diſtichon illud prouerbiale:

Scabini.

Regionis qualitas.

Hoſpitium vile, **groſſ Brot/ dun Bier/ lange Mile/**
Sunt in VVeſtphalia; ſi non vis credere, **loop da.**

COLO-

COLONIENSIS DIOECESIS.

Cap. 28.

OStendunt authores quique populos inferioris Germaniæ, quam vocant Germaniam ſecundam, olim ante Chriſtum natum vocatos Vbios, quorum metropolis, quæ hodie eſt Colonia Agrippina, dicta fuit Vbiorum caput. Habuerunt ibi Romani perpetuas ſtationes, geſſeruntque multa bella contra Germanos. Fecit & Iulius Cæſar pontem ligneum apud Vbios ſuper Rhenũ, quo facilius exercitum ſuum traijceret in oppoſitam Rheni partem, oppugnaretque Germanos. Deinde poſt aliquot annos extructa Colonia Agrippina, factum quidam commemorant pontem lapideum, ſed à quo factus ſit non conſtat. Hoc certum eſt Brunonem Epiſcopum Colonienſem iuſſu Ottonis primi Imp. fratris ſui, illum rurſum ex fundamento diruiſſe, quia noctu committebantur in eo homicidia & rapinæ multæ. Cùm itaque Vbij huius vrbis prima ieciſſent fundamenta, dictaque fuiſſet Vbiopolis, longè poſtea appellata fuit Agrippina, à Marco Agrippa qui eam inſtaurauit, fuitque Cæſaris Augusti gener. Poſt eum Romani multis annis eam vrbem tenuerunt, vſque ad Marcomirum Francorum regem, qui eos circa annum Chriſti 400. expulit, denominauitque Agrippinam Coloniam. deinde Otto Magnus Imp. eripuit eam Gallis, ſubiecitq; Imperio. An. C. 1074. orta eſt Coloniæ magna diſcordia inter ciues & Epiſcopũ. quadam .n. vice cũ vi auferre vellet Epiſcopus mercatori nauem; ciuis cõmotus reſtitit pro virili ſua Præſuli, totamq; ciuitatem in ſuã pertraxit partem. Epiſcopus verò poſt varias diſceptationes & cõflictus tandem ciues ſubitò obruens, permittit militem

Pons lapideꝰ demolitus.

suum

Conflictus ciuium cum epiſcopo. ſuum graſſari in vrbe, rapere bona ciuium, obtruncare quicquid obuium eſſet: & ſi qui reſidui manebant, cogebantur nouo ſacramento ſe aſtringere Epiſcopo. quomodo autem & quando poſtea ab Epiſcopi tyrannide erepta fuit ciuitas, ſuo loco dicetur. Habet autem Archiepiſcopatus Colonienſis ſub ſe Epiſcopatus: Monaſterieſem, Traiectenſem, Leodienſem ſeu Tungrenſem, Myndenſem, & Oſnabrugenſem. Ex altera ripa Coloniæ Agrip. Fl. Val. Conſtantinus erexit in terra Francorum Diuitenſe monumentum, id quod docuit tabula quædã lapidea, quæ ibi aliquando fuit reperta, autore Ruperto Tuitienſi. hodie vulgus eruditorum locum iſtum Tuitium appellat. Marcellinus quoque meminit Diuitenſium militum. Hoc Diuitenſe munimentum poſterioribus ſeculis in vſum cœnobij monachis Benedictinis ceſſit: hodie autem dirutum iacet. Continet præterea Diœceſis hæc oppida & ciuitates aliquot egregias, vtpotè Andernacum, quod oppidum conſtruxit, aut potius vetuſtum inſtaurauit Epiſcopus quidam Colonienſis, circa annum Chriſti 1120. Ammianus certè qui ſub Iuliano Cæſarè militauit, huius loci meminit, vocatque ipſum Antennacum. habet autem ſitum amœnum iuxta Rhenum inter montes. Bonna ſita eſt in planitie amœna, vbi montes Rhemenſes qui à Bingio deſcendunt Rhenumque includunt, in planitiem euaneſcunt. Ptolemæus & multi alij veteres ſcriptores mentionem faciunt huius loci, atque ob id vetuſtate carere non poteſt. Sontina haud ignobile ad ſiniſtrum Rheni latus oppidum ex publico telonio plurimas commoditates percipit. murum & lateritias habet ædes, incolas agrorum cultura ſuſtentat; nam ſolum eſt omnis frumenti ferax: quin etiam

Margin notes: *Duitz.* (beside "Val. Conſtantinus"); *Andernach.* (beside "iacet"); *Bonna.* (beside "nitie amœna"); *Sontz.* (beside "nio plurimas")

etiam arce munitur à Sigifrido Epiſcopo Colon. extructa. Brula in mediterraneis, non ita procul à Colonia & Bonna, haud ignobilis vicus, vſque ad annum Chriſti 1298 nullius celebritatis fuit, donec Sigifridus quinquageſimus tertius Colon. Præſul, partim loci ſituſque opportunitate adductus, partim temporis diuturnitate, in Colonienſi acerbitate quadam concepta, arcem muris, aquis, pontibus, cæteriſque implacabili Marti neceſſarijs adeò munitam ibi conſtruxit; vt anno 1318. Colonienſium, Bohemiæ regis, multorumque Comitum in quartum menſem obſidionem ſuſtinere potuerit: ab eo tempore optata atque perpetua inter Colonienſes Antiſtites ipſamque Remp. Agrippinenſem pace firmata; Archiepiſcoporum ſedes & aula vtplurimum Brulam commendauit. Anno 1491. pacificus Colonienſis Archipræſul Hermannus Franciſcanorum collegium ac templum arci vicinum in Brulenſi hoc oppido conſtruxit redditibuſque annuis dotauit. Noueſium quod Marlianus Nuſſiam, Ptolemæus Νȣαίσιον appellat, ciuitas eſt Vbiorum Rhenana, quam Marlianus in Iuliacenſi Ducatu, Ptolemæi verò enarrator, Colonienſis diœceſis eſſe ſcribit. Tacitus Legnonum gentem Vbijs proximam conſtituit, & in ea Noueſium. eam tamen gentem propter Menapiorum & Vbiorum potentiam nihil propriæ ditionis habuiſſe compertum eſt. hæc vrbs à primordio ſecundis Rheni fluctibus irrigata ſiniſtrum ſitu latus irrigauit, donec fortuna minus propitia, alueum Rheni curſus immutans, nunc ſaltem deducta incolarum induſtria foſſa alluitur. Templum hic eſt collegiatum Canonicorum & nobilium virginum ſocietate, multorumque peregrinorum frequentatione memorabili, ſan-

Brula.

Noueſia.

li, S. Quirino nũcupatum, de cuius prima inſtitutione hæc tradũtur: Euerhardus Comes & Berta vxor eius, nobilis matrona de ſtirpe Car. Ma. regis, & Luthardus Comes; atq; Berẽgarius Epiſc. Tullẽſis eorũ filij, conſtituerũt duas congregationes; vnam in VVeſalia Canonicorum, alterã in Nuſſia Canonicorum & Canonicarum, tempore Ludouici Regis qui fuit filius Ludouici pij Regis Francorum. Deniq; vrbs hæc celebris & magni nominis fuit ex eo tempore quo grauiſſimam Caroli Burgundi obſidionem per annum integrum fortiſſimè ſuſtinuit: is enim anno 1474. vniuerſam Vbiorum ditionem vel armis vel inſidijs ſub iugum mittere nitebatur: itaque numeroſa militum manu coacta, in Agrippinenſes ſedes prætextu reſtituendi Archiep. Ropertum à ſuis exactum, irrumpit, agros populatur; multas ad ſuas partes ciuitates ſed fruſtra ſollicitat: itaq; Noueſium decem & tribus militum millibus, & ducentis exactiſſimis partim pedibus, partim equitibus cingit, vt de gregarijs interim taceã, quos ad numerum duorum millium coëgerat; 200. inſuper tormentorum tractandorum præfectos, foſſores 2000. homines deterioris ſexus 1500. nihilominus poſt varias vltro citroque clades, Burgundiacus princeps ſolutis caſtris diſcedere coactus eſt, non ſine magno ſui ſuorumque detrimento & infamia. Hodie autem vrbs hæc præclaris quondam celebrata triumphis in cinerem & fauillas redacta

Carolus Burgundus.

VRBIS AGRIPPINENSIS PARticularis deſcriptio. Cap. 29.

COlonia Agrippina potentiſſima ampliſſimiq; nominis, Germaniæ vrbs ad citeriores Rheni ripas ſita, Vbiorum ſedes fuit; hodie ciui-

ciuitas libera & Imperialis exiſtit. Prima eius forma quemadmodum & vrbis Romanæ, quadrata fuit, cuius tam adhuc muri, turres, ac foſſæ pleriſque in locis videntur. Ac deinde A.C. 1180. amplificata, multa cœnobia, templa, atque ſuburbia, quæ extra mœnia poſita erant, ambitu ſuo comprehendit, vt à primordio penitus mutata, ſemilunaris eius nunc facies appareat. Splendore & elegantia ſumma eſt; validiſſimis & arcuatis cingitur muris, qui opportunas ad defenſionem turres 83. in circuitu colligunt. Duplici foſſa vtrinque muro veſtita, lata, atque præcipite, multarum arborum vmbra, & proceritate amœna cingitur, quæ iucundam obambulatiunculæ, meditationibus & ſtudijs commoditatem æſtiuo tempore præbet. Intra mœnia, paſſim amœna conſpiciuntur loca, quæ pomi, vineæ, aliæque fructiferæ arbores venuſtè conueſtiunt. Præclaris etiã ac magnificis ædificijs tam pietati, quàm priuatorũ hominum neceſſitati paratis, pulcherrimè nitet Ac primum quidem (vt à religione exordiar) eſt maximum fanum, re ac nomine ſummum, ex lapide viuo, admirabili arte elaboratum, D. Petro dicatum, cui ſi extrema artificũ eſſet addita manus, nullum omninò vniuerſæ Germaniæ templum, elegantia & magnitudine non ſuperaret, meritoque inter ſtupenda Europæ annumerandum veniret. intus multorum Principum, Epiſcoporum, & Ducum ex cupro & alabaſtro tymbis, atque adeò trium Magorum, itẽ Felicis, Naboris, & Gregorij corporibus illuſtratur. Quid de perpolito ac nitido Machabæorũ templo; de 11. milliũ Virginum baſilica referam? quarũ ſacratiſſimo ſanguine irrigata, imò verò ſanctificata hiſtoriarũ documentis perhibetur Colonia, vt venerari eam magis quàm cõmendare quiſpiam poſſit. *Summum templum.*

Reli-

Reliquarum ſacrarum ædium & monaſteriorum permagnus eſt numerus. Plebanica cenſentur templa nouendecim: Collegiata decem: Virorum cœnobia quindecim: Virginum, quarum octo velata habent, viginti duo: Monialium & vetularum conuentus quinquaginta nouem: Sacella triginta: Loca item alia miſericordię & pietati conſecrata plurima Colonia habet. Xenodochia duo. Noſocomia in quibus rerum neceſſariarum abundantia, ſumma pietatis officia egenis præſtantur, duo. Gerontrophia octo. Brephotrophium vnum. Mente priuatorum ergaſtulum vnum. Prætoriæ ædes hanc vrbē mirificè ornant, quę magna cū delectatione ſpectantium, præcelſam & rari operis turrem oſtentant, ex quadratis & formatis ad regulam ſaxis, venuſtè erectam, quæ artificioſiſſimis ſtatuarum ſignis circumquaque decoratur, quorum ſuprema, ſummo tamen in loco poſita infimorum proportioni tam aptè reſpondent, vt omnes eiuſdem magnitudinis eſſe videantur. Speculares in apice habet feneſtras, per quas viſus in omnes ciuitatis partes panditur. Ante annos aliquot hilarula & concinna meniana, ſingulari artificum induſtria fornicata, eximio mirificoque opere conſtructa, quæ columnis quindecim politè ſectis, ambulacrum tecto clauſum ſuſtentat, magnis Reip. ſumtibus, non parum ornatus prætoriæ domui acceſſit. Ex oppoſito ſacellum, vbi quondam Iudæorum Synagoga fuit: quod anno ſalutis 1426. D. Virgini nuncupatum, Hieroſolyma dicitur: in quo tabula tanto artificio facta conſpicitur, vt eam excellentes pictores, ſumma cū voluptate contueantur. Ab ea parte qua Solis exortum Curia ſpectat, Antiqui fori latus ambulacrum aptum ex candido lapide cum artificio-

Domus Senatoria.

Hieroſolyma Sacellū.

ſo

ſo horarum indice exornat,Forum hoc præſtantiſſimis ædificijs vndique cinctum, frequentiſſimo populi conuentu hebdomadatim ter nundinis frequentatur. Iuxta eſt forum Fœnarium multò magnificentius, & ipſum pulcherrimarum ædium ordine decenter circundatum. Vrbis plateæ latæ, amplis directæ ſpatijs, magnis ſunt ſtratæ lapidibus, & pulcherrimis ædificijs nitent: Præ cæteris autem egregiè culta eſt domus nobiliſſimi vir D. Conſtantini Liskirchij, conſulis olim Reip. huius ampliſſimæ, cuius magnificæ & ſumptuoſa ſtructura ædificatæ ædes, præcelſa turri conſpicuæ totum forum nouum venuſtè condecorant. Pari elegantia eſt domus ſtrenui ac clariſſimi viri D. Arnoldi à Siegen, armatæ militiæ Senioris ad Rheni flumen, Equitis aurati, atque Cæſareæ Maieſtatis D. Conſiliarij, cuius ſiue amplitudinem ſiue magnificentiam ſpectes, vel Imperatore, vel Regibus, Principibusque viris liberaliter excipiendis, peropportuna eſt, quibus & tecta frequenter ſuppeditauit. Huius porrò vrbis politia florentem Reip. Romanæ gubernationem apprimè refert. Etenim ſi Conſulum, Procōſulum, Cenſorum, Tribunorum, Vigilum, Queſtorum, Annonæ præfectorum dignitatem conſideres, ſi rectum & inflexibilem iuſtitiæ baculum, faſcium loco vti vulgò exiſtimatur, receptum: ſi Tribuum ordines, ſi ciuilem Senatorum authoritatem, denique Capitolium inſtar Romani ædificatum obſerues, quaſi effigiem & viuum quoddam ſimulacrum Romanæ vrbis, hanc Agrippinenſem videbis Rempub. vt non immeritò natiuo quodam iure Romanorum dicatur. Præſtantiſſima etiam antiquitatis monumenta, cùm in ipſa paſſim vrbe, tum ad D. Ioannem Helmannum inueniuntur. Eſt & *Reip. ſtatus.*

hîc optimarum quarumque diſciplinarum Vni-
uerſitas, anno Chriſti, 1388. ab ampliſſimo Senatu
inſtituta, primarum facultatum; Artium aliiſque
inſuper Collegijs, ad ſtudioſorum ſubleuandam i-
nopiam, ab optimis viris fundatis, ornatiſſima. Ex
hac Louanienſis pari dignitate filia anno C. 1426
prodijt.

HISTORIA RECVPERATAE libertatis Reip. & heroicum Grynæi Conſulis facinus. Cap. 30.

QVoniam inclyta hæc Agrippinenſis Reip
geſta venuſtiſſimo quondam deſcripſit ca
mine Bernardus Mollerus; ea ex Tractu c
ius Rhenano excerpta hic ſubijcere, lectori non in
gratum fore rati ſumus. Poëtæ autem verba lib. 4
hæc ſunt:

Ciuibus imperium VVoringia contulit vrbis.
Vrbs placida legem pace quieta colit.
Adde, quòd vrbs nullo ruerit diſcordia motu:
Adde, quòd amoto fœdera Marte velit.
Concita diſcordi quamuis Reſpublica lite
Crebrò tamen belli fine ſoluta fuit.
Seditio ciues quanquam plebeia grauarit:
Pernities quanquam litigioſa foret:
Illa tamen ceſſit vigili correcta Senatu:
Hæc poſito ceſſit Marte, nocitua parum.
Non ſic imperium ſolidatur glutine pacis,
Vt ſtudium rixæ ſemper abeſſe velit.
Diſſidium crebrò vulgare Colonia monit:
Diſſidium crebrò fecit abire foras.
Hiſtoriam narrare iuuat: narremus eandem,
Qua procereis templi conſtat adiſſe crucem.

Port

Porta crucis formam veluti ſortita probroſæ;
Sic eadem Cleri nomen adepta fuit.
Clerus Agrippinam ſtatuit nudare tributis
Inſolitis:magno iura rigore tulit.
Prouidus obſtabat primo mox tempore ciuis:
Pectore non æquo moriger eſſe tulit.
Quiſque fugit Cleri faſces:labente recuſat
Impoſitum collo ſuſtinuiſſe iugum.
Res venit ad bellum: dirimi res neſcia bello:
Imperium partes inter vtraſque gemit.
Quid non ſeditio deſignat pronuba Martis?
Pronuba militiæ deſtruit ira fidem.
Deſtruit exploſo ſociorum fœdere mentes:
Perpetua partes anxietate ligat.
ars abijt tanto victrix diſcrimine neutra:
Vinci neutra tulit;vincere neutra poteſt.
uſtitium tollit Iuris decreta:tribunal
Labitur,armata militat vrbe forum.
entilat ambiguo victoria cardine belli:
Hinc vehemens pacem cauſa ſubinde facit.
um ſtolidi fiunt ſumptus;feciſſe periclum
Dum nocet;arcta domi cautio bella premit.
uod ſtipulæ flammis,hoc bello munera proſunt.
Militiam gratis nemo ſubire cupit.
iſſidium mendax ludit ciuile ſimultas:
Et facies ſolito lætior vrbis agit.
ulgus amat pacem;Cleri firmantur amores
Pax proceres inter firma manere nequit.
on manſura diu magnates fœdera curant;
Tollere pax odium ſtirpitus ægra negat.
ce duo templi fuerant maioris in æde,
Grande quibus nomen fecit ineſſe Canon.
vomitu produnt odium;differre grauantur
Propoſitum mentis cauſa licere facit.

Proditio cauſam cunctis inuiſa peregit;
Proditio dominis exitioſa ſuis.
Indigenas templi non ſic egiſſe decebat;
Officio quorum ſtatque caditque fides.
Et tunc Harminius fuerat præclarus in vrbe:
Nomine Grinæus, munere Conſul erat.
Regia Grinæum proceres ad prandia ducunt;
Hoſtis ad occulti prandia Conſul abit.
In Camera fuluum ſoliti nutrire leonem
Tum proceres: voluunt damna leonis ope.
Mite fuit brutum; ſed nunc ſæuire docetur
Eſuries ſæuum quatriduana facit.
Hoſtis vbi Conſul ſubijt, non hoſpitis aulam,
Comiter hoſtis adeſt, comiter hoſpes adeſt.
Mitia ridendo ſociant in fœdera dextras;
Quid poterit ficto peius amore dari?
Dum conuiua nihil credit reſtare malorum:
Dum proceres falſi ſuſpicione carent:
Aptior exitij nequijt conditio fingi;
Proditor euoluit tempore digna ſuo.
Quos habuit ſecum patitur Grinæus abire
A pedibus: fati credit obeſſe nihil.
Omnia ſuccedunt fauſto iam cardine vota
Hoſtibus; apta viam deſtinat hora malis.
Dum præſtolatur ieiuno prandia ventre
Conſul, adornati præda leonis erit.
Rebus ad effectum veniſſent omnia geſtis,
Ni Deus ex ſupera cerneret arce ſuos.
Ecce virum nullo proceres miſere tumultu
In loca quæ rapido poſſidet ore Leo.
Mox validis iſti frenant occluſa repaglis
Oſtia, ne reduci detur ab hoſte fuga.
Ex camera poſtquam Conſul tentaret abire,
Obice præcluſum ianua fecit iter.

Se ſimulac captus deluſum ſentijt iri,
  Perfidiæ tantum rebus ineſſe dolet.
Et quæ non poterat prænoſſe pericula, ſentit;
  Et quæ non timuit funera præſtò videt.
Ille Deo cauſas, & ſe committit eidem:
  Ille ſua credit robur ineſſe manu,
Qui potuit vita tumidus florente videri,
  Compulit audacem funeris eſſe timor.
Eſt aliquid ſpectare necem, ſpectare leonis
  Robur: & indignis voluere damna modis.
Prandia veloci damnabat pectore Conſul,
  Beſtia Vandalico ſæuius hoſte furit.
Conſilij tempus nec iam fortuna reliquit:
  Vincere vel vinci temporis anſa monet.
Omnis in auxilio iam conſtitit anchora Chri-
ſti,
  Quod ſupereſt, animi credidit eſſe ſui.
Eripuit tergo quod tum mantile gerebat;
  In celeres illud fecit abire globos.
Dum mouet inſultus, patulo dum proruit ore
  Beſtia, Grinæus torſit in ora togam.
Voluit in ore togam; nec non violentius inſtat,
  Halitus occluſo concutit ore pecus.
Diuiduum ſica guttur terebrante reſoluit
  Conſul, & audaci perfodit arte gulam.
Beſtia præſentit bipatenti vulnera collo;
  Beſtia ſucciduo procidit acta pede.
Palpitat: ægroto rugitum murmure fingit:
  Et cruor & lacero ſpiritus ore fluit.
medio vitam ſimulac ſublata dediſſet
  Beſtia, quid poterat lætius eſſe viro?
ec citò lætatur, citius nec pectore fatum
  Expulit: albenti pallor in ore manet;

 Corda

Corda pauent diſtricta metu,iam proxima morti,
Vix ſpeciem certæ corda ſalutis habent.
Sic fugitiua metum neſcit vitare columba,
Accipitris poſtquam dente reuulſa latet.
Cerua canum rictu quamuis educta feratur,
A laqueo quamuis tuta,pauore tremit.
Ceu,Boreas rapidum ſimulac deſæuit in æquor,
Non citò,ſed tandem detumet ira Maris.
Ceu quoque,depoſitis clypeo Gradiuus & haſta,
Momento furias exuperare nequit:
Sic nequijt Conſul ſubitò frenare timorem:
Horret adhuc:hoſtem victor adeſſe putat.
Et tandem ſeſe,tandem miratur & hoſtem:
Et gelido ſenſim pallor ab ore fugit.
Tam citò miratur lacrymas in gaudia verti:
Tam citò mutari triſtia poſſe notat.
Terror abiſſet vbi ſubitò perrexit ad hoſtem;
Calceferit;ſæui terga leonis obit.
Inde leonina ferrum ceruice reuulſit,
Inſuit euulſum pellibus:arma tegit.
Callidus expendit ſecum,quî cedere tectis,
Quî procerum dura poſſet abire manu.
Conſilium fortuna dabat:firmata capiſtris
Oſtia præcludit firmius;aptat iter.
Aedita ſcandebat cameratæ culmina ſedis:
Iam pede,iam gemina nititur ire manu.
Vincitur aſcenſu paries:quæ luminat intrà
Fracta graui tribuit mole feneſtra viam.
Deſiluit victor:tacitè prolapſus abiuit.
Mox proceres laqueo iuſſit vtroſque capi.
Quem perijſſe rati fuerant,capiuntur ab illo.
Conſcius haud ſcelerum polluit ora rubor.
Horrida productos damnat ſententia letho:
Promeritæ iudex tradit vtrunque cruci.

Prot

Protinus eliſo mulctati gutture vitam
Deſtituunt:porta reſtis vtrunque leuat.
In quam ſic ſubeunt mors eſt præpoſtera furis:
Nec ſic furis erat pœna:latronis erat.
Cum cane non ſerpens, cum gallo ſimius eſſe,
Eſſe ſat ad pœnam culeus ipſe nequit.
Culpa nec exoluti Gyaris, nec carcere quiuit;
Nec ſceleris labem flamma piare valet.
Impia commiſſo leuior fit crimine pœna:
Criminis effectu culpa nec aucta fuit.
Sunt animo ſontes, quanquam fortuna repugnet:
Crimina conſenſu ſufficit eſſe data.
Mitior errati ceſſit cenſura nec obſtat
Legibus;haud æquæ talio ſemper obeſt.
Iura magiſtratus ſummo ſancita cruore
Sæpe leuat:quamuis iura rigore fremunt.
Hos agit in furcam non lex,aſt gratia legis:
Annuit hæc tumulum furibus:illa negat.
Et ratio ſtirpis culpam mutauit vtrique
In melius:tumuli cepit vterque decus.
Porta nec amiſit veteris ſignacula facti:
Porta ſacerdotum morte notata venit.
Nec procul à Petri templo ſtant rudera muri:
Saxeus è muro ſuſpicit aſtra Leo.
Hîc cameram dicunt,in qua Grinæus obiret:
Hîc procerum monſtrat tecta fuiſſe locus.
Sed iam nec cameræ reſtant,nec rudera tecti:
Area murorum ſepibus ipſa latet.
Ruta faſtorum repetantur ſæcula ſcriptis,
Nemo Colonorum ſceptra ruiſſe leget.
Prorſus Agrippinæ perijt Reſpublica nondum,
Ex poſtliminio ſæpe reuerſa, mali.

Quamuis abſtulerit Suſatum Cliuia; quamuis
Sit Burgundionum Nuſſia clade potens.
Vrbs tamen hunc inter motum non diruta ceſſit:
Perſtat adhuc: necdum fracta manere poteſt.

TREVIRENSIS ARCHIE-piſcopatus, *Cap.31.*

TReuirenſis Archiepiſcopatus à metropoli eiuſdem in eo nominis ſic dictus. vrbs autē ipſa cum Italiæ Viterbo ac Genua de antiquitate ſua certat: vtraque enim totius Europæ ſe primam iactat. Dicitur autem Trebetus quidam Semiramidis Aſſyriorum Reginæ priuignus, cùm à nouerca ad concubitum ſolicitaretur, quò matris conſpectum ac conatum euitaret, poſtquam ſibi de comeatu viaticoque proſpexiſſet, conſcenſa naui cū comitatu ſuo Mari ſe commiſiſſe, ac poſt longā nauigationem ei loco quo Rhenus in Oceanum effunditur, appuliſſe. aduerſo itaque Rheni flumine aſcēdiſſe, donec ad Moſellam amnem perueniſſet. cumque iſtum locum quo Treuiris hodie ſita eſt, ingreſſus fuiſſet, regioque agris, pratis, amnibuſque irriguis amœniſſima, montibuſque quaſi naturali muro munita arrideret, illic inito cum ſocijs conſilio, manere ſtatuiſſe. qui condita ibi vrbe, eam de principis ſui nomine Trebetam appellauêre. Illi itaque populi vrbem nomenque ſuum vetuſtum etiamnum ſeruant, vno alteroque tantùm mutato elemento, vt pro Trebeta Treuera nunc dicatur. Apud hos inſignis olim cognoſcendarum cauſarum curia populi Romani erat.

Archie-

Archiepiſcopali hodie dignitate ac principatu, nec non Electoratus titulo clara eſt. habetque Eccleſiam metropolitanam Mediomatricis, Leucis, Virodunenſibuſque præſidentem. Continet autem Treuirenſis Epiſcopi ditio Comitatus: VVirnebergenſem, Spanheimenſem, Manderſcheidenſem, & Arburgenſem. Baronatus item: Riferſcheidenſem, Rutlingenſem, & Rheineccanum. Cùm multas habeat egregiaſque ciuitates, omnium tamen caput eſt ipſa Treueris, quæ ad delicias & amœnitatem ſitum habet aptiſſimum, ſiue montes & valles, ſiue flumina & riuos prata perlabentes ſpectare velis. Montes Bacchico cultu virent. ager ſatis hîc eſt fœcundus: omne genus piſcis & ferinæ hîc abundat. Mores hominum hîc natorum plerunque triſtes ſunt, & ad melancholiam procliues, ſed tamen manſueſcunt paulatim commercio extraneorum, & Stoicum illud ſupercilium conuictu quaſi recreatur. Auſonius bene de Treueris meritus, alicubi de illis aptiſſimè ait: Quin etiam mores & lætum fronte ſeuera Ingenium natura ſuis conceſſit alumnis. Aër frequenter hîc eſt nubilus & pluuioſus, vt quidam huc accommodet cloacam Planetarum id tamen propter conuallem vbi nebulæ ſuſpenduntur, euenire ſatis liquet. In vniuerſum Moſellanorum corpora laboribus mirè induruerunt, ac per montes aërios veluti capræ reptare & euadere ſpectantur. Palatium Treuiri eſt ſpectandæ antiquitatis. aliæ inſuper moles adhuc extant, quæ ſub cæcis terræ ſpeluncis ſepultæ iacent. Spectat ad hunc Epiſcopatum etiam Obrincani tractus pars, quę paucis abhinc annis ad magnam fertilitatem eſt perducta; antea enim ægrè produxit frumentum, niſi ager prius duobus aut tribus annis fuiſſet fimo tinctus

Situs vrbis Treuerenſis.

Regionis & incolarum natura.

Obrinca.

ac pinguefactus. nunc verò omnia ibi ſatis largè proueniunt, præter vinum, quod tamen iuxta aureum fluuium, nonnulliſque alijs locis creſcit. *Eyphalæa.* Eyphalææ quoque potior pars huic Epiſcopatui ſubeſt, terra montoſa multum & aſpera, agerque præſertim in medio ſylueſtris & ſqualidus: vnde preter auenam vix quicquam elici poteſt. verſus Rhenum tamen & Moſellam fœcundior eſt. Fluminibus autem rigatur is tractus: Kilo qui & Gelbis, Pruimio, Vrro, Sara, Ahra, Sura, ac infinitis alijs ignobilioribus amnibus, torrentibus, ac riuulis, qui omnes tandem Moſellæ, quæ Obrinca Ptolemæo dicitur, commixti ad Rhenum deferuntur. Montes quibus regio aſperatur, Meliboci Abnobique portiones ſunt, alicubi Oſtlingus, alibi Hairicus dicitur. Syluæ autem partim VVeſtervvalt, partim verò Eydervvalt qui & Eberſvvalt vocatur. *Lacus duo.* Lacus continet hic tractus binos, quorum alter iuxta caſtrum Vlmen extat, tantæ profunditatis, vt fundus illius nulla menſura poſſit depræhendi, plumbo etiam ad 300. orgyas demiſſo. Alter haud procul abeſt à monaſterio quodam dicto Zum Lach, qui & ipſe profundus eſt, nec vllum riuum recipiunt, cùm multos emittant. in hoc ad Albatiam lacu lapides inueniuntur viridis, crocei, & rubicundi coloris, vt Smaragdos & Hyacinthos mentiantur.

Minera. Minerarum penè omnis hic tractus fœcundus eſt. In comitatu Spanheimenſi haud procul à Trarbachio, iuxta Hernſteinenſem arcem æs cuprumque puriſſimum eruitur, à quo nullum ſegregatur argentum, & ob id ductile eſt, cùm nullum ei admiſceatur plumbum. Alio in loco prope Trarbach effoditur plumbi magna copia, quod ſine impenſis magnis depuratur. In Birckenfeldenſi præfectura pluri-

pluribus in locis argenti venæ ſeſe offerunt foſſoribus. In dominijs Slaida, Cronenburg & Keila, in valle Heilenthal dicta, ſunt ferri mineræ, vbi maſſæ & fornaces fuſiles fiunt, qui vltra citraque per Germaniam tranſportantur. Thermæ ægritudinibus varijs ſalutares viſuntur in Bertric, diſtantes à Moſella ſeſquimiliario.

IVLIACENSIS DVCATVS.
Cap. 32.

IVlia ſeu Iuliacum Ducatus inſignis Germaniæ inferioris, à metropoli in eo nomen ſortitus, quæ ſuum à principe quodam ſuo Iulio id mutuata ſit. terræ autem huius etiam meminit itinerarium Antonini. Veteres hiſtoriographi hoc loco Mænapios collocant ac Gugernos; ita vt quibuſdam Iuliacum quod Gulich vulgò dicitur, à Gugernis, paululum immutato nomine dictum videatur. Sciendum tamen, etiamſi ſuperioris Germaniæ dialectu Gulich dicatur nonnullis, qui Belgarum tenues aſpirare ſolent: propriè tamen Gulich (vt maior etiam Belgarum pars, imò omnes efferre ſolent) dicitur qua Iulic, quod contractè pro Iuliac & Iuliaco loquuntur. Quòd autem I ſæpius in G, & contra, ab imperitis prauiſſimè enuncietur, notum eſt nimium, dum ex Georg Iorg, ex Gaſpar Iaſpar, corruptiſſimum etiam illud ex Aegidius Iilis, & contra ex Ioannes Geannes, Ieronymus Geronemus faciunt; ſic Itali etiam Ianua Ienuam & porrò Genuam fecerunt.

Bonam quoque huius regionis partem Bructeri habitaſſe creduntur. Inſuper & Eburones Iuliacenſis ac Leodienſis ditionum partem tenuiſſe, ex hiſtorijs veterum, & præſertim Cæſaris elucet.

Ber-

Bergenſis præterea ac Iuliacenſis ducatuum confinia Teucteris habitata fuêre. Fuit olim Iuliacenſis ditio Comitatus, qui anno Chriſti 13?9. per Ludouicum Imp. fuit ſublimatus in Marchionatum; ac deinde poſt triginta annos per Carolum quartum in comitijs Metenſibus fuit erectus in Ducatum; id quod Cuſpinianus ſub titulo huius Imp. oſtendit. Interea autem dum hec regio Comiti paruit, acceſſit quoque Comitatus Montenſis; fuitque comes Gerhardus ſimul Comes Iuliacenſis & Montenſis. Succeſſit ei in adminiſtratione Comitatuum filius eius VVilhelmus; & hunc ſubſecutus eſt filius eius VVilhelmus, primus dux Iuliacenſis, Montenſis, & dux Geldriæ. Poſt eum potitus eſt rerum frater eius Rainoldus, factus dux Iuliacenſis, Montenſis, & Geldrenſis. eoque mortuo ſine hærede anno 1423. nupſit relicta eius vxor affini ſuo Adolpho Bergenſi, qui factus eſt dux Iuliæ & Bergenſis ſeu Montenſis, ſed non Geldrenſis. His autem ſine liberis mortuis, factus eſt VVilhelmus dux Iuliacenſis & Bergenſis, genuitque filium nomine Gerardum ſucceſſorem in paterna ditione. Genuit quoque Gerardus filium nomine VVilhelmum, qui anno Chriſti 1496. vnicam filiam ſuam tradidit vxorem ducis Cliuenſis vnico filio, nomine Ioanni. Et ſic tres Ducatus: Bergenſis, Iuliacenſis, & Cliuenſis in vnam redacti ſunt ditionem. Genuit autem iſte Ioannes filium nomine VVilhelmum, qui quartum ducatum, nempe Geldrenſem, iunxit tribus prioribus. Sed excitato bello, anno 1543. victus à Carolo V. ſpoliatus fuit ditione ſua. ac deinde rurſus ea certis conditionibus donatus præter Geldriam tamen, ducta vxore filia Ferdinandi Rom. Regis. Habet ducatus hic præter metropolim ſuam plures etiam ciuitates

Iulia in Ducatū erecta.

uitates & oppida:Marcodurum vulgò Duren,ciui- **Durena.**
tas ex eo tempore illuſtrior & notior facta, quò grauiſſimam Caroli quinti obſidionem pertulit. ſecundum Tacitum Vbiorum olim oppidum fuit: & refert Munſterus quod ſuo tempore celebris fuerit propter S. Annæ quoddam caput quod ibi oſtentabatur. illud (inquit) ex adytis templi ſancti Stephani Moguntienſis, vbi neglectius colebatur, per lapidarium opificem, cùm ego adhuc puer eſſem, furtim ſublatum eſt. magna pecunia Romæ eam ob cauſam delitigata eſt, dum illi repoſcunt ablatum,hi verò reſtituere nolunt.hæc Munſt.

Monaſterium autem Eyphalææ, ſic dictum à monaſterio ſeu templo egregio (quod & Canonicorum eſt collegium) & in extremitate iſta Iuliæ vbi Eyphalææ iungitur,ſito. oppidum eſt amœnum inter montium conualles, haud procul ab Eruatis fluuij fontibus, qui mediam ciuitatem interluit. Hanc ſequuntur, Euskirchia, Berchemium, Caſtrum quod à magnifico caſtro quo munitum eſt, nomen retinet, Greuenbroick, Gladbach,Dalen, VVaſſenberga, & multa alia. Erculens autem licet in meditullio penè regionis ſita ſit, Geldrenſi tamen ducatui annumeratur. Arcium, caſtrorum,ac nobilium domorum haud ſcio an vſquam in regione tam arcta maior poſſit eſſe numerus; præcipuè ab ea parte qua Eyfalęam contingit.neque mirum, cùm magna polleat nobilitate (quemadmodum & Bergenſis & Cliuenſis ducatus) vtpote ſunt:Reuſchenbergij,Palantij,Merodij,Quadi,Flodrouij,Neſſelrodij,Binsfeldij,Virmundini,Horſtiani, Bilantij, Cortebachij, VVachtedoncani, Veldbrugenſes,Orsbachij, Schenckij, Borſchidij, Harzeldij,Keteleri, & plurimæ præterea inſignes equeſtres

ſtres ac nobiles familiæ. In vicinia Colonienſis diœceſis, haud procul à Narſis fluuij capite, Baronatus conſpicitur VVickradienſis, arcem habens munitiſſimam, Quadorum domicilium. eſt autem territorium illud feudum Imperij & liberum, priuilegijs ac libertatibus magnificis ab Imperatoribus Auguſtis munitum; quin & aulæ Geldricæ magiſterium perpetuum ac VVickradianam domum ſpectat. In hoc porrò Ducatu ſita eſt etiam magnifica illa, & Imperialium primaria vrbs Aquenſis (Aquiſgranum vulgò.) Iſta autem non Achen ſeu Aken propriè dicitur, quaſi Aquen. ab aquis ſeu thermis quas habet tota Germania celeberrimis. nil mirum igitur imperitos ac linguarum rudes Belgas quoſdam, dum propriæ dialectus pertæſi, ſuperiorem affectant, in errorem ſæpe rapi: ſi enim ſua elocutione contendi fuiſſent, originem nominis non ab Interiectione dolentis Ach deduxiſſent; cui ſuæ deriuationi vt aliquem colorem facerent, neſcio quam fabulam affinxêre. Quantum verò ad aulam vel ſedem Principis attinet, ea Duſſeldorpij vt plurimum eſt Bergenſis ducatus metropoli; à Duſſela amne qui eam mediam perfluit, ſic denominata; idque propter loci, vt opinor, commoditatem & amœnitatem; cùm aliâs Iuliacenſis vrbs ampliſſimo, eoque inexpugnabili ſit caſtro munita. Regionis aër bonus eſt ac ſalubris; ager frumenti ferax; terra plana, minærarum ſterilis. Fluminibus rigatur Ruera, Erfate, Narſi, Vormio, alijſque pluribus ac ignobilioribus riuulis. Orientali autem latere Rhenum, Occidentali verò Moſam reſpicit.

Aquenſis vrbs.

CLI-

CLIVIAE PRINCIPATVS.
Cap. 33.

CLiuia à metropoli eiuſdem in ea nominis ſic appellata. de ea verò hæc refert Munſterus: Eo tempore quo Cæſar Iuſtinianus rerum eſt potitus, anno ſcilicet Chriſti 711. fuit in regione Cliuenſi, vnica domini illius terræ filia, Beatrix nomine, quæ ampliſſimam habuit ditionem; quin & caſtellum Neomagus cum attinentijs eius erat illius. extruxit quoque caſtellum, & appellauit nomen eius Cleuam. Huic ergo nomini rationem dediſſe credibile eſt, cliuum ſeu collem, in quo ſitum eſt caſtrum. vocant enim inferiores Germani collem vernacula ſua lingua ein Cleff. Huius tamen nominis rationem aliam affert Robertus Cænalis de re Gallica lib. 2. perioch. 3. Aiunt (inquit) eos qui hodie Cleuenſes dicuntur ſic appellatos à clauis quas geſtabant Guinenſes iuſſu Rodolphi, quaſi dicas Clauenſes, qui clauas geſtarent, nunc verò Cleuenſes. prior tamen ratio probabilior eſt: Cliuenſem verò Ducatum Grinnes aliquando tenuere, qua Geldriæ vicina eſt: vbi Groenſtein vicus nominis veſtigium retinere quibuſdam videtur, ſi modò non à viriditate nomen ſuum habet. Continet hic Ducatus pręter metropolim Cliuiam plures etiam vrbes & oppida. Rees oppidum ad dextram Rheni ripam obtinet; ac paulò inferius Griet, ſiniſtram ripam tuetur, hanc ex eadem parte ſequitur Griethuſium, in principio agri Batauorum, iuxta Lobeckam arcem, quam curſus extremitatem ſeu angulum dici volunt, loop enim curſum inferioribus Germ. ſonat, & eck angulum ſignificat. ibidem Rhenus in tria exit cornua ſeu oſtia.

Griet-

Griethuſio in altera ripa opponitur Embrica, quam olim Aſciburgium putant vocatum, vrbs egregia & celebri gymnaſio claro. in meditullio ferè regionis ſunt Calcaria, Genapium, & Goch. Xantum vrbs itidem amœna in ſiniſtra Rheni ripa; vetuſtatis & antiquitatis multum præ ſe ferens: quod teſtatur tophus lapis ingenti ibi copia collectus. dum enim arua aratro proſcindunt agricolæ, magnos huius lapidis aceruos ſtudiosè congeſtos Brabantis magno lucro vendunt, quo cæmentum ipſi conficiunt, cuiuſmodi nuſquam alibi reperiri perſuaſum eſt, quod Daraſt vocant: eo ſiquidem & aquæductus ac canales, nonnunquam & integra penuaria ſubterranea; vt ab aquarum eruptione tuta ſint, & quicquid tandem ſolidum & maximè obturatum cupiunt, collinunt: quauis enim calce indurata hæc materia eſt ſolidior. eſt autem lapis is ſubcinericius, cauernoſus, ac ſummæ duritiei; ex quo hîc loci à Romanis aliquot inſignes ſtructuras, ædificia ſeu propugnacula erecta fuiſſe, quæ poſtmodo iniuria temporum vaſtata & deſtructa ſint, ſuſpicio eſt; quòd ibidem non naſcatur, verùm aliunde importatus videatur. Cœpit idem etiam nuper effodi iuxta Neomagum, vbi aliquoties eius partes erutæ ſunt forma quadrata quinquepedali. verùm cùm cauernoſus ſit lapis, ita vt characteres inſcribi ægrè queant, iuxta reperti ſunt lateres cocti, ſeu tegulæ, quibus Romana litera monumenta quædam inſculpta fuêre: iique vnica tantum linea recta ad pedem montis iuxta Meram fluuium effodiuntur. vnde non obſcura eſt coniectura, fuiſſe ex eo extructa aut propugnacula quædam, aut alia ædificia. quin ipſa etiam arx Nouiomagienſis quam Carolus V. olim reſtaurauit ſemidirutam, eodem lapide

Xantum vrbs.

Tophus.

lapide extructa fuit. VVeſalia vrbs elegans, munita & populoſa, aquis, propugnaculis & valido murorum ambitu adeo inſtructa, magno vt ſpiritus incolis gignat: ſitu ad negotiationē opportuno excellit: vnde magnis & operoſis ędificijs, opū affluētia, mercatura celebri, cæteriſque fortunæ bonis, noſtra memoria mirandum in modum excreuit. ad alterius ſuperioris differentiam, quæ in ſiniſtro Rheni latere cum vicina Bopardia Treuirenſi Archipræſuli paret, VVeſalia inferior dicitur. Ex præterfluente Lippia fluuio commoditates haud pœnitendas percipit, qui ſiniſtrum eius latus alluens ſtatim Rheno conſociatur, Cliuicam porrò hanc VVeſaliam Duces ſui varijs diuerſo tempore ornamentis, animis heroicis exornarunt: Eberhardus comes Cliuiæ & Teiſterbantiæ nonus (hic enim Teiſterbantiæ comitatus ad Cliuenſes pertinebat, cuius termini erant totum id quod inter Moſam, Vahalim atque Rhenum ſitum eſt, vbi hodie inſignia ſunt dominia) pius & iuſtus princeps collegium VVeſalienſe fundauit, anno 1225. Sub Arnoldo 2. decimoſeptimo Comite Cliuiæ, Godefridus & Otto comites Cappenbergenſes monaſterium VVeſalienſe Virginum extra muros fundarunt. Theodoricus octauus, Cliuiæ comes vigeſimus quartus Rudolpho Habsburgenſi Imper. militauit contra Imperij hoſtes, cui Cæſar cum vxore dotem dedit VVeſaliam vrbem, & caſtrum cum præfectura Ringenbergh, & villis adiacentibus. Prodijt ex hac vrbe Arnoldus ille VVeſalienſis, Græcus, poëta, & hiſtoricus egregius. *VVeſalia.*

Non longè hinc ſupra VVeſaliam Teutoburgum ſitum eſt, vbi Romani cum Germanis conflixerunt, hodie Deusburg vocatus, multum vetuſta- *Teutoburgum.*

 tis præ

tis præ ſe ferens. habet etiamnum ſyluam ingen-
tem, quæ à ciuitate nomen ſeruat, quemadmodum
olim, Teutoburgenſis ſaltus non longè à Rheno
fuiſſe deſcribitur, vbi Arminius Germanorum dux
Quintilium Varum cum duabus legionibus fudit, *Quintilius cæſus.*
ſignaque Romana ſub terram defodit. E regione
huius ciuitatis haud procul à Rheni ſiniſtra ripa Co-
mitatus Muers eſt, à primario in eo oppido ſic co-
gnominatus. Ager vtrimque frumenti fertilis, paſ-
cuis lætus, vinum non gignit, montibus non aſper-
tur, vnde & minærarum ſterilis eſt. Fluminibus ri-
gatur Rheno, Narſi, Rori, Lippia, alijſque fluuioli
obſcurioribus.

GERMANIAE BELGICAE deſcriptio. Cap 34.

BElgici nominis ortum ipſa antiquitas obfu-
cat. quamuis conijciant plerique famatiſſ-
mam huius regionis vrbem prouincias ha-
ſuo nomine impertijſſe, quarum ipſa tum caput ex-
titerit. hanc ſuam fuiſſe vrbem affirmant Hanno-
nij, eoque conſtitiſſe loco, quo hodie Bauais opp-
idulum conſpicitur, vnde ſe credunt Bellouacos, i-
que oppidulum Bellouacum à Cæſare appellatum
quanquam hoc alij de Bauais Picardiæ oppido in-
telligere malint. Sunt qui dicunt à Belgio eoru-
duce ſic appellatam regionem, inter quos & Ber-
ſus; ait enim Belgium à quo hi Belgæ nominati
regnaſſe apud Celtas tempore decimi ſexti Reg-
Aſſur. hunc Hannonij oppidi ſui autorem fuiſſe a-
ſeuerant, ac Brenni ſocium, cum quo in Maced-
nas expeditionem faciens, Rege eorum Ptolemæ
occiſo, ipſe quoque tandem cecidit. Hodie itaqu-
ſub Belgij nomine comprehendi ſolet ea Germ-
ni-

niæ inferioris pars; quę ab Eyphalæę montibus incipiens ad Oceanum vſque Germanicum & Britannicum protenditur; cuius bona pars Catholicó Hiſpaniæ Regi Philippo ac Belgij Ordinibus hodie ſubiecta eſt. Eiuſque extremæ prouinciæ Meridiem & Occidentem verſus ſunt Hannonia & Arteſia; verſus Orientem verò & Septentrionem VVeſtphalia ac Phriſia Orientalis; cùm tamen olim latiùs xtenderetur. Germani autem inferiores dicuntur, quod pro maiori parte lingua vtantur Teutonica. ncolas habet benè proportionatis corporibus, for na præſtanti, commendandaque fœminis, liberas ac decens viris, licet nonnullis in locis procerioes gignantur, vt Hollandis Zeelandiſque: ac gloria ellica claruêre plurimum, quàm hodie loci comoditas in mercaturę ſtudium conuertit, vſque ado vt non viri tantùm, ſed & fœminę negotiationiis incredibili dexteritate addictiſſimæ ſint, cùm à neris mercari aſſueſcant. quo fit vt nonnullis in cis vtpote apud Hollandos & Zeelandos viris binde vel feriari liceat, vel vaccis mulgendis intere; fœminis ita viraginantibus, vt nulla virilia nſa ab ſe aliena putent. Linguarum vterque ſes Belgarum ita ſtudioſus eſt, vt præter vernacun plerique ternas, plures binas, ſinguli ferè vm addiſcant linguam peregrinam. Literarum inper ac artium, facultatum quoque ſingularum ctiſſimos viros, reique literariæ rara ornamenta oduxit Belgia: mediocriter verò eruditorum et- n nuſquam frequentior ante plures annos fuit oia. Hodie certè nec ſummarum in literis facultm, nec mæchanicarum artium infimi ſunt; eonque quæ vident celeres imitatores, nouarum- rerum felices inuentores. *Incolæ.*

Typographicæ enim artis inuentionem primaı
Batauicæ vrbi Harlemo plane tribuunt, primaı
quidem praxim Moguntiaco concedentes. Col
rum oleo temperatorum vſus, tabulas eò pictas a
æui iniuria vindicans, in Flandriæ Brugis ortus e
ſe conſtat. Quin & primi chalcographi circa Vvef
phaliam in Marchiæ comitatu fuiſſe perhibentı
F.V.Bucholt, & Iſrahel V.M. horumque alter op
lio fuiſſe dicitur. eos ſubſecutus erat Martinus
(quod à quibuſdam Stock, ab alijs Schön legitu
iſque Dureri poſtea inſtructor fuit: ſub quo deinc
florere cœperunt Lucas Leydanus, Henricus Ald
grauer, Lambertus Suauius. imò totius Italiæ cel
berrimum Cornelium Cortium Batauiæ Horna
didit. vt reliqua multa in varijs facultatibus exc
lentia ingenia Belgica præteream, quorum boı
pars etiamnum florent. Nec modico lucro præt
laneorum lineorumque pannorum opificia il
dem nata, etiam ſericarum ac holoſericarum tel
rum imitatores ſunt ſeduli. Agriculturæ minin
etiam ignari, ſed & ſciētiſſimi. In hortorum cultu
Nauigandi peritia. vix alia gens magis induſtria. Rei quoque nautic
peritiſſimi ſunt, naucleris etiam Mathematicaru
non ignaris. vnde Orbem penè vniuerſum nauig
ſuis quæ habent numeroſiſſima, percrrant. raı
(etiam ſæuiſſimis tempeſtatibus obortis) port
applicantes, niſi itinere confecto, optato limite p
titi ſint; cùm ob nauium robur ac firmitatem, tuı
maximè experientiæ ſuæ in ea arte, ac laboris fid
Terræ forma. cia. Territorium in vniuerſum planum, rariſſim
que monticulis collibuſque conſperſum; niſi v
circa Lutzenburgij Ducatum ac Namurcenſe
frequentioribus tumulatur collibus. Verùm vt
eundem locum non omnibus beneficijs cumula

natu

natura,ita aliјs aliorum defectum compenſat. Cùm enim incolis ſuis alendis vix ægreque ſufficiat regio; loci commoditas ei inopiæ opitulatur: ita vt per Oceanum eius victualia conuehantur maiori vbertate ac varietate quàm vſquam gentium naſcantur. Ad omnes enim ac præcipuas non Europæ tantùm, ſed Aſiæ etiam atque Africę partes per Oceanum iter illis patet. quin & Indorum cùm Orientalium tum Occidentalium commertia ipſis prompta ſunt. Vini in ea parum naſcitur. Thermas vix alias habet quàm Aquiſgranenſes; nec minæras habet multas. Salem quem coquunt, multiplicant magis quàm vt conficiant: niſi enim Hiſpanicum habeant, ſuum nunquam conficient. Plumbi cuprique parũ: ferri ſatis magnã copiã ex Leodiẽſis diœceſis ferrifodinis ac Hannonię nanciſcuntur. Ex ijſq; duabus prouincijs lithantraces proueniunt, qui per vniuerſam Belgiam diuecti, lignorum inopiam leuant. gignit & Hannonia tria alia lapidum genera, inter quæ & marmor colore variegatum, ornamentis ædificiorum maximè idoneorum.

GELDRIAE DVCATVS.
Cap. 35.

GEldria à Gelre arce ſeu caſtro, quod VVicardus à Ponthe vnà cum fratre Lupoldo ædificaſſe feruntur, nomen retinuiſſe dicitur: quamuis complures à Gelduba oppido, cuius frequenter meminit Tacitus, qui illud in Rheni ripa ſitum affirmat, iam verò nulla ſui reliquit veſtigia, appellatam credunt. Alij quoque aliam nominis rationem adferunt, qui narrant tempore Caroli Calui Imp. circa locum eum in quo Geldria vrbs

eſt, horrendam quandam ac venenoſam belluan
iiſque in locis ante id tempus nunquam viſam co
gnitamque, ſub arbore eſculo delituiſſe, magnitu
dinis immenſæ, ſæuitiæque incomparabilis. hæc a
gros campoſque deuaſtans, nec pecoribus, nec iu
mentis parcens: ipſis etiam hominibus, à quibu
Inueterata narratio, nominis occaſionem adferens. non abſtinuit, vſque adeò formidabilis ob inexple
bilem voracitatem ac atrocitatem euaſit, vt finibu
ſuis cedere complures, ſeque ſolitudinibus abder
coëgerit. Duo verò cuiuſdam à Ponthe (eius cred
de quo paulò antè mentio facta eſt) filij: partim v
ſibi ipſis, partim etiam vt publico vicinorum com
modo prodeſſent, miris technis audaciaque incre
dibili belluam aggreſſi: poſt dubium variumqu
certamen ac luctam, tandem ſuperiores bellua eua
ſêre, eaque interfecta, haud ita procul à Moſa flu
uio, ad Narſis ripam in memoriam rei arcem extru
xere, cui Gelræ nomen fecere, voce ex continuo a
miſerabili, identidem repetito mugitu eius belluæ
quem dum cæderetur edebat, mutuata. Eius vero
habitatores vetuſti Sicambri fuere, quo iiſdem, qui
bus hi Geldrenſes, ſedibus hæſiſſe, ex Sidonio poët
colligi poteſt, cùm inquit: Sic ripæ duplicis tumor
fracto Detonſus Vahalim bibat Sicamber. Hi belli
coſi, atque armis mirum in modum addicti erant
paulò ante noſtra tempora. Hodie humanitatis ſt
Incolarum ſtudia. dia maiore induſtria ſectantur. mercaturæ quoqu
negotiationique inſiſtunt magna ex parte: reliqu
mæchanicis partim artibus addicti, partim agricul
turæ ob ſoli benignitatem inhiantes, vberrimo
fructus conſequuntur. Ducatus hic Culenburgen
ſem & Burenſem Comitatus quoque complecti
tur, inſulamque Velauiam, & Tranſiſſulanum tra
ctum, in eoque comitatum Zutphanienſem & Do

mini

minimontenſem. Vrbes atque oppida circiter 22. in eo numerantur. Nouiomagus vrbs Imperialis ſita ad Rheni oſtij, cui Vahali nomen eſt, ſiniſtram ripam, quod ibidem latiſſimum habet ac profundiſſimum alueum, ac eouſque velo vtuntur nauigia, quæ ex Hollandia ſurſum aduerſo flumine contendunt; quòd ſi inde vlteriùs progredi libuerit, trahantur oportet. Ciuitas eſt præpotens, fortis, populoſa, munita, atque opibus abundans. dignitate fruitur Vicecomitatus ſeu Burggrauiatus, eique liberum eſt, ſicut & cæteris Imp. liberis ciuitatibus, cudere monetam: cùm Imp. in nulla alia re ſubiecta ſit, quàm vt in eius agnitionis teſtimonium quotannis modicum aliquid tributi mittat Aquiſgranum, quod eſt Chirotheca puluere bombardico impleta. Ruremunda ad Ruræ flu. oſtium ſita, vbi Moſæ miſcetur. vrbs habitatore frequens, ſitu, natura, & arte munita. Hinc Zutphanium, à paludibus ſic dictum, quas Vehnen vbi vulgo appellant. ſitum ad ripam dextram Iſſulæ fluuij, qui Rheni etiam oſtium eſt, ac Plinio & Melæ Fleuum dicitur. *Neomagū.*

Arnhemium, Tacito Arenacum, vrbs eſt florens vtcunque, ac primaria Velauiæ inſulæ, cuius territorium paludoſum atque vliginoſum, ſyluiſque conſitum, quæ ferinarum affatim præbent venatum. Medium iſtud Rheni oſtium præter priſtinum quod retinet nomen, Lecca etiam Lycus appellatur, præbetque piſcium magnam ſatis copiam. Gelriæ finitimum eſt TransIſſulanum, ſiue prouincia TransIſſulana, Septentrionem verſus, in tres diuiſa regiunculas, quarum quæ Iſſulæ vicina eſt, Iſſulanum vocatur; quæ trans Vidrum, quem Vecht vocant, ſita eſt, Drenarum dicitur; quæ verò VVeſtphaliæ proxima eſt, *TransIſſulanum.*

Tvventa appellatur. Habet hæc prouincia vrbes mœnibus cinctas octo, harum omnium Dauentria caput eſt, ciuitas ampla ac nobilis, ſumptuoſiſſimis exornata ædificijs, diues ac populoſa, Hanſeatici iuris ac fœderis: incolæ eius humani ſunt ac hoſpitales. vnde oriundus eſt Geographus ille ac Mathematicus excellentiſſimus Iacobus Dauentrienſis, qui cùm ciuis ac popularis meus ſit, indecorum fortaſſe erit nimium in huius vrbis præconijs me immorari, præſertim cùm in florentiſſimis Vrbium theatris, quæ dudum laudatiſſimus artifex. Franc. Hogenbergius, piæ memoriæ, edidit, ac venerandus ille Georgius Brunus ſtilo illuſtrauit, virtutes

Dauentria vrbs Imperialis.

eius pro dignitate ob oculos ponuntur. Quando autẽ libera hæc & Imperialis vrbs ſit, neque id moneta ciuitatis ſolùm teſtetur, ſed etiam quòd ſummam ſiue vltimam Iuris ſententiam ex camera Spirenſi petere atque expectare cogantur; quo iure eam ſibi vel Hiſpanus vel Ordines Belgici vendicare velint, nuſquam cognoſcere potui. Huic annumerantur Campena, & Zvvollis Naualia Ptolemæo, Imperiales itidem fœderiſque Hanſeatici; ſuntque hę tres perpetuo inter ſe fœdere ſibi deuinctæ. Aër harum regionum purus eſt ac ſalutaris. Terra plana eſt ac humilis, montes rariſſimi ſunt, ijdemque ſyluis ſaltibuſque conſiti. Ager eſt fertiliſſimus, & ad quamuis culturam aptus, frumenti imprimis ferax; hinc paſcuis fœcundus, vnde pecorum ingentes alunt greges. vinum autem nequaquam gignit.

GRONIN-

GRONINGENSIS AGER.

Cap. 36.

TErritorium hoc Groningenſe, quod Orientali atque Occidentali Friſiæ interiacet, ſeptendecim prouinciarum Belgicarum vna eſt. & quatuor Occidentalis Friſiæ ſtatuum prima. Eſt autem Groninga vrbs ampla, natura atque arte munita & perpolita, quæ legibus proprijs regitur, & ipſa iuriſdictionem obtinet, multorum vndique vicinorum ſibi fœderatorum pagorum domina, viris armiſque potens. Nomen autem Friſiæ huic vrbi Grunium quendam Troianum dediſſe quidã opinantur. Sed haud immeritò doctis atque acris iudicij viris ſuſpectæ ſunt pleræque populorum & vrbium origines, præſertim quæ deducuntur à Tro ianis. Munſterus autem Francum dicit, non Troianum. ſed & Troianus fuit, ſi Franci verè ſuum genus à Troianis repetunt. Si autem pauperis ſcholaſtici coniectura etiam ponderis aliquid habitura ſit recipere tamen eam nulli ideo ſuaſerim) à viriditate potius Gruningam dictam crediderim: cùm non ſolùm in amœnis paſcuis tanquam in campo virii ſita ſit vrbs; ſed inſignia quoque eius videamus ſe trabem viridem in clypeo flauo. Per hanc vrbem multæ eò ingentibus canalibus (quarum maior pars artificioſa manu perfecta eſt) ductis, aquæ efluunt. Quod ad bonarum artium ſtudia attinet, ...ius inter eruditos ſummi viri Rodolphi Agrico... laude claret: qui in pago non procul à Gronin... vrbe natus, cuiuis ſummorum ſuæ ætatis vel in...nio vel doctrina, vel eloquentia par habitus: pri...o ſtudiorum tyrocinio Louanij egregiè depoſi... præter Græcas & Latinas literas omnibus arti-

Origo nominis Gruningenſis.

Rudolphus Agricola.

bus optimis Ferrariæ in Italia ornatus, ſub Theo-
doro Gaza doctore clariſſimo demum Academiæ
Heydelbergẽſis profeſſor, & diſputationum factus
moderator, præſertim Logicarum: Commentario
in lucem edito de Inuentione dialectica ſanè pul-
cherrimo atque elegantiſſimo: Pſalterio etiam ex
Hebræa lingua in Latinum fideliter translato: Phi-
loſophię Ariſtotelicę interpres ſui ſæculi princeps.
Cui ſub annum M.CCCC.LXXXV. Heydelbergæ
mortuo, Hermolaus Barbarus Venetus, doctorum
ſui temporis hominum facilè princeps, hoc elegan
tiſſimum tetraſtichon poſuit:

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
  Agricolam, Phryſij ſpemque decuſque ſoli.
Scilicet hoc vno meruit Germania laudis
  Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Cùm autem hæc vrbs clientelis potens ſit, ſepara-
tam prouinciam conſtituit, & ob id titulum à ſuo
nomine Principi proprium attribuit: Hanc vrbem
& prouinciam Embdenſis Comes Georgio Saxo-
niæ Duci, Caroli v. Imp. clienti, ſiue vt nunc recen-
tiores Iuriſconſulti loquuntur, feudatorio eripuit
Sed vbi eam tueri ſibi atque retinere non valeret
eam ille Carolo Geldriæ duci, anno circiter 1514
tradidit. Quam rem Georgius indignè ferens, it
ab hac mutatione, & Friſiæ moribus abhorruit, v
eam vrbem atque vniuerſam Friſię prouinciam C
rolo v. tanquam ſupremo domino ac Imperator
anno 1515. & ipſe traderet. Inde nata inter Burgun
dos & Geldros atrociſſima bella. quæ demum ini
to contractu, conſopita fuêre. Inter cætera conue
tum, vt Dux Carolus ea prouincia, dum viueret
frueretur. poſt eius obitum verò ad Carolum v. ta
quam ad Friſiæ dominũ, vel ad eius hæredes red
re

ſet. Sed de hac re plura in Friſiæ Chronico Lugduni Batauorum, ſiue Leydæ, anno ſalutis 1553. edito, inueniuntur. In hac prouincia Ludouicus Naſſouię Comes Guilhelmi Auriaci frater, tempore Albani ducis adminiſtratoris Belgici, feliciter graſſabatur, dum Dammum oppidum, & alios quoſdam huius prouinciæ vicos in ſuam poteſtatem redigit. Idem etiam fratris ſui partes contra Hiſpanos Albanumque ſecutus, bellum acre contra eoſdem mouit, & victoria (Hiſpanis qui veterani omnes erant, vnà cum duce fortiſſimo reique militaris peritiſſimo Arenbergico Comite, cæſis) ad monaſterium illud Hilliger Lee dictum, eſt potitus. perijt tamen in ea pugna Adolphus Naſſouius frater ipſius. Vt Albanus deinde ipſe, ſumpto primò Bruxellæ de Egmūdano Hornenſique Comitibus quos Gādaui captos habebat ſupplicio: collectiſque maximis copijs eò peruenerit, & Ludouici Comitis exercitum, quod is viribus, militum numero, cæteriſque rebus omnibus longè impar eſſet, fuderit ac diſſiparit, vrbemque obſidione liberauerit. cōmiſſa autem fuit pugna illa anno 1568. Sicuti verò vrbs hæc Georgio Saxoniæ duci per vim erepta fuit: ita per nepotem eius Mauritium Naſſouiæ Comitem Guilhelmi Auriaci filium (cuius auus maternus Saxoniæ dux Mauritius Georgij frater erat) anno 1594. armata manu, obſidione duorum ſaltem menſium, cùm toto penè territorio recuperatur; & vnitis Ordinum prouincijs inſeritur: fruſtra ei Carolo Mansfeldiaco & Verdugine reſiſtentibus.

Arenbergicus caſus.

FRI-

FRISIA OCCIDENTALIS.
Cap. 37.

DE Friſici nominis origine cùm variæ & prolixæ variorum ſint diſputationes & opiniones, quas compendij cauſa hîc recenſere nequimus, relegabo lectorem ad perfectum Friſicæ gentis hiſtoricum Suffridum Petrum Leouardienſem, qui abundè hanc rem proprio quodã libello hîc Coloniæ impreſſo. A Friſone tamen duce quodam ipſorum ſic appellatos eſſe Friſones ſeu Friſios veriſimilima eſt ſententia. Viglius Zvvichenus vir vndiquaque doctiſſimus, natione Friſo, affirmat Friſones nomen ſuum antiquiſſimum à ſeculis inde ſibi vindicaſſe, nec vnquam vti propemodum omnes reliqui Germanorum populi, id mutaſſe, eoq; ab originum nomine ſeſe inſigniuiſſe, quod in tanta caducarum omnium rerum confuſione, ipſi originis ſuæ nomen intercidere non ſunt paſſi. Veteres itaque hi Friſij & ſedem & nomẽ tuentur ſuum, quanquam nonnullis etiam Chauci olim dicti creduntur. Fit autem illud vel ex ignorãtia, vel ex antiquorũ geographorum ſcriptis haud probè intellectis. Chauci ſiquidem non Friſij, ſed eorum fuêre vicini. At cùm Friſij à Rheni oſtio cui Fleuo nomen eſt, ad Amaſium ſiue Ameſin vſque flu. continuò iuxta Auſtralis maris & Oceani Germanici littora habitent; Chauci ijſdem trans flumẽ vicini fuêre: tandémque abolito veteri vocabulo toti in Friſiorum nomen conceſsêre, hodieque Orientales Friſij vocantur. Ad eorum ergo differentiam hæc noſtra Occidentalis Friſia dicitur, quæ eadem vera & antiqua illa Friſia eſt, quæ ſola ijſdẽ ſedi-

Friſij aborigines.

ſedibus nomen ſuum tuetur. Hi itaque VVigevvonum, id eſt, maritimorum & littoralium natio ſunt littora Germaniæ Aquilonaria tenentes. Gens ipſa ferox, robuſti corporis, atque animi intrepidi, ad necem prona, & libertatis ſtudioſa; exterorum peregrinorumque impatiens, caſtitatis amans; natos nataſque ſuas incorruptas educant ad maturam vſque ætatem: nec matura ſunt illis coniugia, vnde proles accipiunt robuſtiores, in grandiuſcula corpora enaſcentes, potationibus plus æquo addicti. Rei pecuariæ magnopere dediti, cùm innumeros greges alant, ac boues omnium quos Europa habet optimos & maximos ipſorum procreet regio, licet Anglia generoſos gignat: ita vt hinc in omnem propemodum Europam abigantur. vaccis etiam fœcundiſſimis abundant. Equos bello aptiſſimos educat magis quam gignit. Indies autem magis magiſque mercaturæ ſe applicant: nauticæ etiam rei ſtudioſi, piſcationibus inſuper plerique inhiant. Regio hæc in quatuor diuiditur ſtatus, quorum eminentior eſt Gruningenſis, de quo præcedenti capite diximus. reliqui ſunt: Comitatus de Oſtergoi, Comitatus de VVeſtergoi, & Comitatus ſeptem ſaltuum. horumq; trium caput eſt Leouardia, vrbs opulenta & munita, quæ aulam forumque habet vbi litigantium cauſæ cognoſcuntur & dijudicantur. Huic vicinus eſt Zvvichem pagus, Viglij præſidis Bruxellenſis natale ſolum. Doccum, Ooſtergoens diœceſis oppidum, Gemmam Friſium medicum & Mathematicum inſignem nobis producēs. Staueren oppidum ſeu potius pulcherrimus vicus, olim potentiſſima erat ciuitas in ſtricto maris Auſtralis, inundationibus autem frequentiſſimis ad multò iam inferiorem fortunam redacta eſt. Franiche-

Incolarum ingenia.

Leouardia.

nichera diues & opulentum oppidum, in quo vt plurimum nobiliores homines degunt, quod perduellium ſui principis (qui tũ Saxonicus dux erat) obſidionem fortiter ſuſtinuerit; vnde amplo ab eo prærogatiuo & priuilegijs præ cæteris Friſiæ vrbibus ornatiſſimum; agrum habet, quemadmodum & vniuerſa Friſia, planum ac paſcuis fœcundum; ſtagnis tamen, lacubus, ac paludibus interciſum; Sunt & alia huius regionis nobilia oppida, arcibus & caſtris benè munita, præter foſſarum & aquarũ opportunitatem quam natura eis largita eſt. Aër vtcunque ſalubris, niſi quantum paludum exhalatione infectatur: quanquam & id labis, ſi quid eſt; ventorum beneficio expurgatur. Maris ſæuitijs ita obnoxia, vt Choro flante ſæpenumerò periclitetur atque dudum præterito 1570. anno Calend. Nouembr. non pecudum modo, ſed & hominum ad myriades vſque iacturam fecerit: vnde & in hodiernum diem diluuium iſtud *die Allerheilgen Fluth* vocatur. obq; has cauſas frumentum parum ferax eſt: inundationes enim annuæ ſementem aut extinguerent, aut per agros omnes diſpargerent. Vineta quoque ob nimium frigus ventorumque rigorem regio non patitur. Syluas etiamſi habeat, tamen hæ ſufficientes non ſunt vt foco ligna miniſtrent. His itaque natura ſubuenit procreata gleba illa pingui ac bituminoſa, quæ vento indurata lignorum penuriam ſubleuat; eamque in tanta habent abundantia, vt & vicinis regionibus ſubuenire illis queant. Sunt etiam nonnullæ in Oceano vicinæ inſulæ ad hanc regionem ſpectantes, arenoſæ tamen omnes, quarum incolæ ex piſcatura præcipuè viuunt.

HOL-

HOLLANDIAE COMITATVS. Cap. 38.

HOllandiam nonnulli dictam volunt quaſi Holtlãdiam, id eſt, terram lignoſam: quòd hanc olim ſyluis luciſque horruiſſe perſuaſum habeant. Probabilior tamen ſententia eſt eorum, qui Hollandiam dici aſſeuerant, tanquam terram cauam ſeu cauernoſam. Cui rei fidem etiã facere aiunt euentum, non ita pridem animaduerſum. Ferunt enim propè Harlenum vaccam depaſcentem gramina in cauernam quandam incidiſſe, ac triduo poſt in Maris ſinu ei vrbi verſus Oriẽtem oppoſito, repertam eſſe: vnde & prouerbialiter dici ſolet Hollant Bollant. Hæc olim Batauia dicebatur, à Batauo Cattorum Regis filio, qui cum adiunctis ſibi eiuſdem populi viris, ob ſeditionem à popularibus ſuis pulſus, terram hanc habitatore & cultore vacuam occuparunt. Cuius rei argumentum eſſe poteſt Catvvicus locus prope Leydã. Ducis verò eorũ nomẽ retinuiſſe vidẽtur oppida nonnulla: Batenberga, Batoburgum, Batauodurũ quod nunc VVijck te Duerſteden dicitur. Nomen Batauicum etiamnum retinet inſula iſta intra Vahalim & Leccam poſita, *die Betavv* dicta. Batauos ergo Heſſorum populares eſſe, primùm ex Tacito probari poteſt vbi inquit: *Batauí* donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſtica pulſi extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupauêre, quam Oceanus à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. *Batauí Catti.*

Confirmat etiam Batenberga Heſſorum municipium hanc Taciti ſententiam, de quibus etiam

Plutar-

Plutarchus hoc modo refert: Bataui ſunt inter Germanos optimi equites, inſulam habitantes quam Rhenus circumfluit. Regio hæc mirum in modum populoſa hominumque diues vtplurimum procerorum, veruntamen benè proportionatorum corporum atque animoſorum, ciuilitate ac politia multum à maioribus differentium. exutis enim feris agreſtibuſque moribus, placidi, iucundi, ingenioſi, benigni ac hoſpitales ſunt. Fœminæ eorum elegantes, & in rebus omnibus gerēdis magnæ dexteritatis. Virilia vtplurimum officia exequuntur, præſertim quoad mercaturā: vnde regionē peragrantibus triplo plures fœminæ quàm viri ſunt obuiæ. Vulgus frequenter mercaturæ, rei pecuariæ, nauticæ ac piſcatoriæ deditum: ad voluptates autem aliquanto propenſiores ob rerum omnium abundantiam ſunt. In domeſticæ ſupellectilis nitore palmā vni concedunt Hollandiæ negotiatores, quibus pleraque Orbis pars peragrata eſt. Hæc olim ſuos Reges habuit, quorum meminit Suetonius in Caligula cap. 44. Verùm anno Chriſti 863. à Carolo Caluo Francorum Rege in Comitatum redacta eſt, eique præfectus eſt Theodorus è regio ſtemmate ortus, iſque primus Hollandiæ Comes fuit, qua quidem dignitate adhuc fruitur. Regio hæc nobiles ſiue equeſtres perpaucos hodie habet, vnde & in pauciores regiunculas diſtrahitur diuiditurque. Egmundenſem tamen Comitatum, Brederodenſem ſeu Vianenſem Baronatum, atque Vtraiectenſem diœceſim continet. Quinque præterea minores inſulæ eius Iuriſdictioni patent verſus Meridiē poſitæ, qua Zeelandiam proſpicit, quarum nomina ſunt Voorn, Gaurede, Somersdijck, Pierſchille, & Corendijck: præter ſoli fertilitatem nihil notatu dig-

Regionis & incolarum qualitas.

num habentes. Negant multi inueniri regionem quæ ſimili ſpatio tantum oppidorum atque vrbiū contineat, mediocri quidem magnitudine, ſed incredibili politia. Dordracum quatuor fluminum concurſu in inſulam redacta; qui anno 1421. abroſerunt eam à Continenti, Brabantiæ enim cohærebat, ciuitas ampla, pulchra, opulenta, ac prępotens, ædificijs elegantibus ac magnificis ornata. Harlemum omnium quæ in Hollandia ſunt vrbium ampliſſima; cui expertiſſimorum quorumque teſtimonio typographicæ artis inuentio debetur. aiunt nim eius inuentorem ante perfectam artem morte præuentum, eiuſque deinde ſeruum Moguntiacum profectum, vbi continuò exercitio ad perfectionem ars perducta eſt, vt hæc altrix ſeu nutrix, illa artis mater ſit. ante annos circiter quinque & triginta Martini Hemskerckij pictoris arte claruit: hodie autem limatiſſimum Henrici Goltzij cęlum illuſtrem ipſam facit. quàm ſe fortem & Romanam contra Albani ducis obſidionem præſtiterit, belli Belgici hiſtoriæ ab aduerſarijs eius conſcriptæ teſtabuntur. Delphium quoq; vrbs magnifica, in qua Guilhelmus Auriacus princeps perijt ac magnificè ſepultus eſt; omni propemodum Orbi notiſſima ex ceruiſia quam incolæ eius dulciſſimam coquunt & diſtrahunt. in hac etiā indignè perijt doctiſſimus & Integerrimus ille Muſarū cultor Cornel. Muſius. Ex hac oriundus quoque eſt nebulo ac impoſtor ille Dauid Georgius, qui cùm illiteratus eſſet, tanta tamen erat ingenij perſpicacitate, vt ſectam ſupra quàm abominabilem condiderit. Leyda quoque vol. Lugdunum Batauorum, Lucæ Leydani artificioſiſſimi pictoris & chalcographi manu clara. ex hac quoque prodijt Ioannes Leydanus anabapti-

Harlemum.

ſtarum Rex. Roterodamum vel ob hoc clarum
quod ſummum literarum decus Deſiderium Eraſ
mum genuerit, quem hodie Baſilea ſepultum tene
cum hoc, ſepulchro eius inſcripto, elogio: Hîc ia
cet arte Plato, Cato vita, Tullius ore: Vermes co
pus alit, ſpiritus aſtra petit. Amſterodamum au
tem, poſt Antvverpiam, totius Belgij emporiu
nobiliſſimum, quò quotannis appellunt claſſes du
centarum nauium ex omnibus Europæ partibu
confluentium. Enchuſium atque Hornam vrbe
cùm cætera tum imprimis prælium illud naual
contra Boſſouium comitem illuſtres facit. Quan
tam nauiũ claſſem inſtruere regio poſſit, vel ex e
conijci licebit, quòd Henrico Ranzouio teſte, pra
teritis annis intra fretum Danicum ſupra ſexcenta
Batauorum naues (quo tempore ſimultates qua
dam inter vtroſque irrepsêre) Rex detinuerit, do
nec voluntati ipſius ſatisfacerent. quod ſi illis a
numerarentur & cæteræ per varias Orbis part
diſperſæ naues, præter eas, quæ per omnes vrbes
ſinus eorum in portubus deliteſcunt, in quantu
excreſcerent quæſo numerum? Tanto autem bu
tyri caſeique prouentu claret, vt dicat Guiciard
nus ex quatuor ſaltem pagis Hollandiæ plus qu
tannis prodire lactis quàm vini Rhenenſis eò
nauibus aut plauſtris peruehatur. vt in-
terim piſcium carniumque
copiam prætereamus.

ZELAN

ZELANDIAE COMITATVS.

Cap. 39.

VNde nomen hæc prouincia traxerit, haud obſcurum fuerit vel illi qui præter eius pi-ćturam viderit nihil; quippe cùm ſalo cin-gatur vndequaque. Huius autem Zelandiæ cùm in-ulæ ſint complures ſuis quæque nominibus inſig-itæ, eaſque vix poſſibile ſit ſeparatim deſcribere, ò quòd varijs inundationibus obnoxiæ vi tempe-tatum, cùm locum tum formam, atque ipſos ſæpè ıcolas mutant: ex quo commodiſſimè fieri pote-it ordine deſcribemus. Præcipuæ huius regionis nſulæ ſunt ſeptem reliquis firmiores magiſque ultæ, quarum ſi prius incolas conſiderauimus, eas einde perſequemur. Erat hæc terra Cæſaris ætate il aliud quàm Batauiæ appendix, inculta, nec vn-uam ad ſerendi vſum vomere proſciſſa, aut foſſio e ſubacta, ſed æſtuarijs ac paludibus impedita. Hu-s terræ primos incolas: Olaus Gotthus & alij plu s tradunt Cymbros fuiſſe: quare ſic de ipſorum igine diſſerit Leuinus Lemnius: Conſtans fama t, atque indigenis per manus tradita, à Gotthis & anis hanc gentem profluxiſſe, præſertim ab illa ſula Cymbria, quæ in Dania Zelandiæ nomine ſcripta eſt. Hi antiquitus Mattiaci dicti ſunt, ex lgata alloquēdi cōſuetudine ac compellationē a populares atq; indigenæ inter ſe vſi ſunt. Maet im ipſorū (ſicut hodie & Batauorum, Friſiorū, ac erorūq; Germanorū maritimorū lingua) cōſilij, oris, itinerisq; ſocium aut comitem ſonat Atq; c etiā eos nomine Tacitus appellat, cùm inquit:

Matiaci. Mattiacorum gens Batauis ſimiles, niſi quod ip
terræ ſuæ ſolo acrius animantur. Eius populi hodi
inquilini ac indigenæ robuſti, ſtatura corporis lib
rali, feroces, viribus, ingenio, ſolertia, verſutijs, ca
liditate, fallacijs, captionibus, negotiandi peritia a
conquirendi induſtria ipſis etiam Batauis ſuperio
Zelandorum ingenia & mores. res. Maior verò pars rei nauticæ ac piſcationib
diditi, qui ea ſunt morum ac vitæ integritate,
nunquam inter illos vllæ contentiones, iurgia, ſ
multates, diſſidia oriantur; nec magiſtratus vnqu
(niſi in vrgentiſſimis cauſis) ſe horum controue
ſijs interponit. In re domeſtica ac familiari omn
elegantia, nitida, expoſita menſa frugalis, nec vi
quam prodigaliter ſumptuoſa. In mercatura exe
cenda nemo non ciuium ſolers atque induſtriu
lucri auidus, ad rem attentus. in tenuiores tamc
atque inquilinos inopia preſſos liberalis ac benef
cus. in cæteros hoſpitalis, comis, candidus. Nautic
rei his vix quiſquam magis peritus. Cùm autem
numeroſa multitudo piſcatu ſe exerceat, ac paul
longius in Oceanum progreſſa, victum ex Mari v
netur: ſi quando parcè ac malignè eos piſcari co
tingat, nullus vnquam horum ſe vexat aut excruc
at, nec cuiquam malè precatur, ſed omnia placid
perfert, meliorum ſpe atque fiducia. Regionis h
ius inſulas Orientales ab Occidentalibus diſcrim
nat Scaldis fluuius. Orientales inſulæ præcipuę qu
Inſulæ Zelandicæ. dem tres ſunt: Tola ſeu Toleta, à vectigali ſeu po
torijs nomen ſortita, quem indigenæ Tol nom
nant; hæc Brabantiæ contermina, exiguo tantù
freto diſcreta eſt. Huic coniunctus eſt agger Mart
anus, vulgò Martins dijck, locus amœnus atque a
boribus vndique conſitus; in quibus maxima al
tum, præſertim ardearum copia indulatur. Huic a

Ci

Circium obuerſa eſt altera cui Duuelandię nomen eſt, à columbarum frequentia, hæc nullum habet oppidum mœnibus cinctum; pagos autem & nobilium domos aliquot complectitur. Huic rurſum ad Fauonios aduertitur Scaldia ſeu Schovven inſula, nomine ſumpto à Scaldi fluuio, quo parte ſua Auſtrina alluitur, cuiuſque ibidem catarrhactæ ſunt quibus Oceano miſcetur. habet hæc in circuitu miliaria ſeptem; olim multò maior extitit, at hodie Maris ſęuitia diminuta, ciuitates duas continet, Bravvershauiam in Septentrionali, & Ziriczæam in Auſtrali inſulæ parte poſitam. Occidentalium inſularum prima atque omnium maxima eſt Suitbeuelandia, ab hac auulſa eſt ciuitas non ignobilis Romersvvallia, quam nullis excultam agris, nullis exornatam pomerijs Oceanus vndique alluit, ita vt vnica Salis negotiatione ſubſiſtat alterum huius inſulæ oppidum. Borſele eadem tempeſtate penitus opreſſum, anno ſcilicet 1532. Huic in Boream Nortbeuelandia apponitur, cuius oppidũ eſt Cortgeene. hæc pro delicijs totius Zelandiæ habebatur, ſed eodem anno inſula integra ita Mari abſorpta eſt, vt eius præter turres nonnullas quæ ex vndis prominent, nulla ſint reliqua veſtigia. Inter vtranque iacet VVolffersdijch, duos ſaltem pagos habens. VValchria autem ab Occaſu æquinoctiali Britanniæ obuerſa eſt, in quam breuiſſimus eſt traiectus, & à qua parte primus in Oceanum ingreſſus quocunque terrarum dirigi poteſt. vrbes continet tres: Vliſſingam, Metelliburgum, & Campoferam, quam Ter Veer indigenæ vocant. De aëris autem Zelandici clementia haud multa polliceri auſim (inquit Lemnius) vt qui in nonnullis partibus ſit paulò aſperior, & quàm vicinarum gentium, mi-

Aeris Zelandici qualitas

nus ſalubris, præſertim æſtate, ob paludum & ſtagnorum nimis graues halitus, & quod regio ſit arboribus minus conſita. Hoc tamen habet commodi, quòd contagioni & peſtiferis morbis minus ſi obnoxius, ac ſerius inficiatur; at infectus immaniter in corpora hominum graſſatur. Sal candidiſſimum ciuium induſtria conficitur. Terra adeò fœcunda, vt bina iugera Zelandica plus emolument cultori afferant quàm quatuor Brabantica. Prata ac paſcua habet lætiſſima, pecora fœcundiſſimā. Ferinas autem vix alias præter cuniculos habet.

BRABANTIAE DVCATVS.

Cap. 40.

BRabantiæ nomen vnde ſit, variæ afferuntur opiniones. quidam è Brenno Britannorum cuiuſdam regis filio qui Belgis imperaſſe dicitur. alij à Bratuſpantio quodam Bellauacorum oppido cuius Cæſar meminit. Alijs placet dicere Brachbant quaſi Brachlant, quod terram incultam ac ſterilem ſignificat; quod verum videri poſſet, niſi animaduerteretur ſuperiori Brabantiæ parti, quę lętos vtcunq; agros habet, prius id nominis datum quàm inferiori, quam Campeſtrem etiamnum Brabantiam, vulgò Kempenlant, vocant: qui tractus vſqueadeò ſterilis eſt, vt non exiguam coniecturæ fidem faciat.

Alij à Saluio Brabone quodam, C. Cæſaris ex nepte cognato, qui gigantem iſtum Druonem Antigonum ad Scaldi ripam occiderit; quod tamen à

ſanio-

ſanioribus tanquam fabuloſum ridetur. Sunt qui à Godefrido Barbato Louanienſi comite appellatam regionem velint: coniectura frigida videtur, niſi fortè is vetus iam penè obſoletum id nomen reuocârit.

Becanus ex vernaculæ linguæ dictione Braef ſiue Braue, & bant, quo vinculum ſeu faſcia ſignificatur, ac poſtea quoque ſignum ſeu vexillum, compoſitum eſſe credit. ita vt Brabant quaſi Brauabanda dicatur. Brabantia etiam Rhetia dicta eſt: Tongri longè ante Cæſarem è veteri Germania Rhenum tranſgreſſi, in Gallia Belgica agros Rheno propinquos occuparunt, eoque tractu conſederunt. vbi hodie eius nominis oppidulum Tongrien veteris populi veſtigium ſupereſt in Brabantia. Tongri hi fuêre antiquiſſimi Belgarum, & ij qui ex Germanis oriundi, primi ſibi Germanorum nomen vſurparunt, teſte Cornelio Tacito. Hæc igitur Germaniæ ſecunda pars frequentior facta ob portuum commoditatem vrbes iſtas, quas illic noſtra ætas maximas videt, modicis vicis ad iſtam vi-gendam amplitudinem opulentiamque intra quingentorum annorum ſpatium, paulatim perduxit. Argumento ſunt quòd mediæ ætatis ſcriptores Gandauenſis pagi & aliorum mentionem faciant, quos iam videmus vrbes capaciſſimas atque ornatiſſimas eſſe. quin & hodie viuunt qui terque quater ampliatam viderunt Antvverpiam. Circa Louaniam Grudios & Leuacos populos habitaſſe ferunt. *Tongri.*

Ducatus priuilegio gaudet Brabantia, ac continet etiamnum in ſe dominia complura, vtpote Sacr. Imper. Marchionatum Antvverpienſem,

& Bergenſem; agrum Hornenſem & Keſſellanum; comitatus Hochſtratenſem, ac Megenſem; dominia Mechlinienſe, Bredaënſe, ac Rauenſteinenſe, & ſi quæ præterea. Brabantus hilaris, feſtiuus, ridiculus, in ſcenicis comiciſque moribus immodicus, teſte Lemnio. Eius populi hodie humaniſſimi ac feſtiuiſſimi, vtplurimùm tam mulieres quàm viri mercaturæ vacant, atque ita ſcientiarum, artium, & linguarum ſtudioſi ſunt, vt vix videre ſit familiam, quæ nō duas, tres, pluresve diuerſas linguas exactè loquatur. Vrbes nobiliores ſunt: Bruxella, ducis ſedes. Louanium celebre literarum atque artium emporium, à Ioanne Brabantiæ duce fundatum, circa annum Chriſti 1422. in circuitu habere dicitur intra mœnia miliaria Italica quatuor. Antuuerpia, vt illud artium, ita hæc mercium variarum famatiſſimum per omnem terram emporium, Scaldi fluuio quem Tabutam Ptol. vocat, ponè poſitum, qui tantæ eſt profunditatis, vt etiam altiſſimis ex Oceano aſcendentibus nauibus ad vrbem vſque ingreſſus pateat tutiſſimus: non toti tantùm Europæ, ſed & Aſiæ atque Africæ ſeruit. rebus cùm ad vitæ vſum neceſſarium, tum etiam ſplendorem atque ornatū pertinentibus. hinc enim ad omnes Orbis partes nauigatio patet,

Buſcumducis ſeu Syluaducis, cuius incolæ etſi ciuiles ſatis ac negotiationi dediti, tamen plus antiquæ fortitudinis retinuiſſe dicuntur, quàm reliqui eorum conterranei. hi ſunt qui toties negotium faceſſebant Iulio Cæſari, priuſquam in officio retineri poſſent. ex hac oriundus Georgius Macropedius linguarum profeſſor inſignis.

Mechlinia duplici iam clade nota, quarum alteram anno 1546. die 7. Auguſt. accepit. porta enim (vul-

(vulgo die Sant porte)erat quædam,in qua circiter 800.vaſa pulueris bombardacij reſeruabantur, de Cœlo tacta, oppidum ferè totum, cum frequenti incolarum numero, maximo affecit incommodò. Alteram vix hac minorem ab Hiſpanis accepit anno 1572.ex hac oriundus eſt chalcographus ille politiſſimus Franciſcus Hogenbergius theatri Orteliani primus fundator. ſicut ex Rupelmunda prodijt Gerardus Mercator Geometer huius ſeculi celeberrimus, & cælator haud aſpernandus, nuper Duisburgi in Deo defunctus. Aëre fruuntur ſaluberrimo.Regionis territorium ex parte fœcundum eſt, præſertim qua Meridiem proſpectat, ac verſus Namurcenſem Comitatum; ea enim parte ager fertiliſſimus eſt. qua verò ad Septentrionem ſpectat,loca ſunt vſque adeò ſterilia,vt per aliquot miliaria eà iter facientibus,præter mendicantes vix aliud obuium ſit,non ſufficiente agro cultores ſuos, quamuis numero paucos,alere.Ferunt tamen,oues Campeſtris Brabantiæ in cibatu reliquis delicatiores haberi, ac lanam quoque reliquis ouibus ferè molliorem ac ſubtiliorem.eiuſdem etiam ligna duriſſima ac robuſtiſſima perhibentur. Vineta habet regio circa Louanium quod tamen vinum acerbum &auſterum guſtu eſt.Syluas inſigniores quinque:Sonienſem, Sauenterlo, Grotenhout, Grotenheiſt,& Meerdal. Fluuijs rigatur plurimis,qui mercibus vndequaque conuehendis non parum commodi ſunt. *Terræ qualitas.*

FLANDRIAE COMITATUS. Cap.41.

TErræ huius nomen cùm minimè antiquum ſit, vtpote cuius ſupra quingentos annos nemo ſcriptorum meminerit, de origine eius aſſeuerari nihil poteſt. Sunt qui referant ad Flanbertum Clodij ex Bleſſinda ſorore, Sicambrorum Regis nepote, ac Falandi filium, quem Clodius captæ Rotomago, & adiacentibus littoribus Maris præfeciſſe dicitur. malunt alij à Flandrina deriuare, vxore Liederici comitis ab Haerlebeken; aiuntque ob eius inſignia merita in Imperatorem voluiſſe CarolumMagnum hanc prouinciam vxoris ipſius nomine vocari. alij ex fluctibus flatibuſque continuis quibus regio hæc obnoxia eſt, natam vocem credunt. Hæc prouincia ex multis diœceſibus ac regiunculis in vnum conflata eſt comitatum. Rutheni namque erant qui circa Icciumportum (per quem S. Audomari vrbem cum Ortelio rectè accipere poſſumus) conſidebant, ab eorum duce Ruthenio: tenebantque littora Maris, qui tractus hodie vulgò terra Guyſonum dicitur. Morini dicebantur qui Terrouanam atque adiacentem regionem tenebant; Blandinos etiam appellatos reperias à Blandinio eorum principe. Regionis incolæ ita olim bello addicti fuerunt, vt quieti pacatiue vix vnquam viuerent; ac Syriam etiam, terramque ſanctam ac Hieroſolymam, eorum arma peruaderent. Hodie humani adeo atque ciuiles ſunt, vt nuſquam ferè gentium exteriores ac peregrini, humaniores hoſpitalioreſque experiantur. Mercaturę ſedulam nauant operam; męchanicis frequentiſſimi incumbunt, ita vt oppidum in ea pagumque,

Incolarum natura.

que,in ea vix reperire ſit,qui non in 70. aut 80.interdum diuiditatur opificia, ſingulis frequentiſſimis hominum cætibus addictis. ac quod vix alibi videre eſt, haud reperias pueros quatuor annos natos,qui non ſufficientes ſint labore ſuo victum ſibi comparare. Cùm enim pannorum tam lancorum quàm lineorum ingentem copiam concinnent; hi aut fila fuſo ducunt, aut in globulas ea redigunt, aut lanam tractant ſeliguntque, aut aliud quippiam operę impendunt. Vnde cùm populiſſima ſit prouincia, confertique habitent, ita vt pagi complures vix populoſiſſimæ Germaniæ vrbi habitatorum frequentia cedant; fit vt in pleriſque oppidis quotannis telarum aliquot millia abſoluantur. Quin & præter hos pannos alia etiam diuerſa telarum genera hinc in omnes ferè Orbis partes venum exportantur, cuiuſmodi ſunt quos ſua ipſi lingua Tapiſſerien,id eſt, Tapetia, Saie, Fiſtain, Boucrain,& Borat vocant. Diuidebatur hęc regio olim in tres partes:in Comitatum ſub Regibus Gallię,in Dominium ſub Imperio, & in proprium ſub ipſo Comite. Hodie diuiditur in Flandriam Teutonicam,Gallicam, & Imperatoriam quam & proprietariam. Imperatoria quod dudum Rom. Imp. ſubiecta fuerit, alio etiam nomine Aloſtenſis comitatus dicitur,ab eiuſdem in ea nominis oppido.regio haud ampla inter Denderam & Scaldim fluuios compræhenſa. hæc inſuper Flandriæ portio ſubdiuiditur in Comitatum Aloſtenſem, Dendermondenſe territoriũ,& quatuor (vt vocant) officia, quę ſunt Axel,Hulſt, Aſſenede,Bouchouten. Et hęc Flãdriæ portio propemodũ habetur fertiliſſima. Teutonica autem eſt ea quæ terminatur à Septent. Oceano; à Meridie Lyza fluuio; ab Oriente Scaldi; ab Oc-

Sedulitas Flandrorũ.

Flandriæ diuiſio.

ab Occidente Foſſa noua & Artheſia, eſtque hæc pars minus fertilis, ſolumque ſabuloſum & macrum habet. continet hæc pars quatuor Flandriæ membra primaria: Gandauum, Brugas, Ypram & Liberos. tres vrbium principalium, quarum primas tenet Gandauum; hanc ante Iul. Cæſaris aduentum Odueum, alij Clarineam appellatam tradunt, ac deinceps Gaidam ab ædificio ſeu caſtro ibidem à Cæſare extructo: vrbs eſt quoad ſitum munitiſſima ac perampla, ita vt inter maximas Europæ vrbes connumerari debeat. habet enim intra muros circuitum 45640. pedum Romanorum, qui conficiunt miliaria Italica ſeptem. reperias intra mœnia inſulas habitatas circiter 26. Brugæ ſeu Fanum Mercurij olim ſplendore ſuo totam Flandriam obfuſcauit, cùm iam in minore fortuna verſetur. Ypra à præterfluo eiuſdem nominis torrente ſic appellata, quæ fundum ſolumque habere dicitur plumbeum, ob infinitos canales plumbeos ibidem vndequaque inſertos, vt commoditatem præſtent maximam ſingulis penè domibus ac vicis aquam largientes. Liberi (t *Lant van den Vrien*) vocantur, quòd iugum Brugenſium excuſſerint. Flandria Gallica, eo quod lingua vtatur Gallica, à Meridie attingit diœceſim Cameracenſem; ab Oriente Scaldi fluuio & Artheſia terminatur. Regio haud ampla, at ſupra modum fertilis cùm rerum omnium, tum imprimis frumenti & rubeæ tinctoriæ, prata ac pabula habet lætiſſima, continet oppida atque vrbes elegantes & opulentas, quarum prima eſt Inſula (vulgo Ryſſel) perpulchra & diues, emporium poſt Antuerpiam & Amſterodamum primas tenens. Duacum (Catuaces videntur à Cæſare dici) fontium ſcaturigines limpidiſſimos habet. Tornacum (quos

Gandauum.

Præſtantia Flandriæ.

(quos Cæſar Neruios vocat) nonnullis Ptolemæi Baganum eſſe creditur. Ac vt multa ſimul complectar, habet vniuerſa Flandria ciuitates mœnibus cinctas viginti octo. pagi numerantur 1154. vt non immeritò Hiſpani eò venientes omnem Flandriam vnam ciuitatem eſſe dixerint. Terra plana eſt, ſyluas complures habens, cùm olim in vniuerſum penè ſyluis horruerit.

NAMVRCENSIS COMITAtus. Cap.42.

PRouinciæ huic, Comitatus titulo gaudenti, Namurci nomen eſt. Iſtud verò à metropoli ne in ea, an verò metropolis ab ipſa ſibi aſſumpſerit, haud exploratum quiſquam noſtrorum habet, quemadmodum ne ipſius quidem nominis originem: ab indigenis etenim Namur, à Germanis autem Namen dicitur, quid tamen propriè ſignificet, ignorant. Fabuloſam enim atque anilem eorum duxerim ſententiam nullius probati ſcriptoris teſtimonio confirmatam, qui afferunt olim in monte illo, cuius in iugo etiamnum arx propter vrbem Namurcum ſuſpicitur, idolum quoddam Nani cognomine coli ſolitum, quem fatidicum fuiſſe ac reſponſa petentibus dediſſe ferunt; deinceps autem patefacta & inualeſcẽte iam fide Chriſtiana, obmutuiſſe ipſum, atque ſic ex mobili cum fixo coniuncto Namurcum conflatum eſſe, quaſi dicas Nanum mutum. Prouinciæ huic vicini ſunt Leodienſes, Brabanti, Hannones, ac Lucenburgenſes. Duo eam fluuij illuſtres ac nauigabiles irrigant, Moſa nimirum & Sambrius. Montibus regio non *Regionis* aſperatur, quamuis neque plana omnino ſit, ſed *qualitas.*
colli-

collibus ac vallibus hinc inde extollatur. Syluas habet complures, quarum maxima eſt. ea quam Marlaignen vocant, in ijſque crebra nobilium venatio eſſe ſolet. Omnium quibus ad ſuſtentationem ſui vita humana indiget, fructuum ferax eſt. Ferrifodinas habet multas. Effodiuntur ibidem lapides nigri, ſeu vt verius loquar, lapidei carbones, quos Germanicè lapides carbonarios (Steinkolen) vòcamus, à literatis λιθάνθρακες appellantur. in his mirabilis quædam naturæ operatio apparet: cùm enim in cæteris corporibus infuſum oleum ignis flãmã alat atq; augeat; cõtra autẽ ſuperinfuſa aqua ardorẽ aut extinguat, aut minuat: hi ſuperinfuſa aqua accenduntur, oleo autem extinguuntur.

Lapideorũ carbonum vſus.

Incolæ; (quemadmodum etiam circumiacentes vicinę regiones ad quas ijdem tranſuehuntur) calidiſſimos ac lucidiſſimos ſibi ex his ignes in domibus ſuis ſtruunt. Fabri etiam ferrarij frequentius his in officinis ſuis vtuntur, ſiquidem faciliùs quàm alij ex ligno vſti ſeu toſti carbones ferrum mollificare queunt. Lapidum etiam fodinas in eodem hoc Comitatu videre eſt, ex quibus nigra, rubea, ac verſicolaria effodiuntur marmora, quę ad exteras nationes abductæ, magno hominibus ſunt vſui in templorum ac magnificarum domuum ædificatione atque exornatione: vnde etiam haud exiguum lucrum ad terram hanc redit.

Marmor.

Quatuor habet vrbes muro cinctas Comitatus hic: Namurcum videlicet, Bouuignes, Charlemontium, ac Vallencuriam. Namurcum prouinciæ metropolis, quo haud ita pridem Epiſcopalis ſedes tranſlata eſt; loco ſita opportuno, in confluentia nimirum Moſæ ac Sambre fluuiorum, ducto ad vtriuſq; littus ponte lapideo. in hac etiã totius regionis curia eſt. Bou-

uignes

vignes ad læuū Moſæ latus ſita, olim ob ædificiorū magnificentiā atq; incolarū multitudinē vrbs ſpectata erat, nūc verò varijs bellorū cladibus afflicta & deſtructa, parui valoris eſt. Charlemōtiū arx eſt munitiſſima atq; inexpugnabilis penè, extructa ad Moſam à Carolo V. Imp. à quo etiā nomē adepta ſuū eſt, cuius vix ſimilem reperire liceat: proſpicitur namq; in mōte excelſo, haud procul à Giueto pago. Vallēcuria oppidū minimè aſpernandū. Pręter Abbatias, quarū cōplures ſunt, circiter 80. pagi in hac prouincia hac numerantur, quorū aliqui, ex quibus ſunt Floreff, Vaſcie, Sanſon, &c. adeo ſunt ampli atq; egregij, vt nō alios tantùm pagos lōgè antecellere, ſed cū oppidis quibuſdā certare videantur. Olim regio Marchionatus titulo claruit: circa annū autē 1200. in Comitatū redacta eſt. Incolę viri ſunt bellicoſi, principi ſuo toti addicti ac fauentes, Gallicè loquentes. Prouinciam hanc, quemadmodum etiam plures Belgij regiones, accuratiſſimè deſcripſit Ludouicus Guiciardinus.

Charlemontium.

LVCENBVRGENSIS DVCAtus. Cap. 43.

LVcenburgij ducatus à metropoli in eo nomen ſibi aſſumſit. ea ad Alſuntium fluuium ſita eſt, atque ex Comitatu in Ducatum tandem euecta eſt. De hoc tractu ſic refert Petrus Diuæus: Leucorum gentem iuxta Treuiros, Mediomatrices ac Lingonas habitaſſe indubitatum eſt; oppida eorum Tullus ac Naſium Ptolemæo celebrata, nomen ſeruant; Toul & Nanſij. Vernaculè appellantur die Lutzen / lateque imperarunt, vt ab ijs Lucenburgij celebris oppidi nomen ortum

ortum ſit, qua *der Lutzenburg*. Ii hodie Auſtriæ Archiducibus ſubſunt. Lazius Moſellanum ducatum vocat. Incolæ nobilium penè mancipia ſunt. Linguis vtuntur Gallica & Teutonica corruptis: Diſtinguitur regio in ſeptem Comitatus, ij ſunt: la Roche, Durbi, Salme, Chini; Vandalen ſeu Vianden, S. Ioan, Manderſcheidt. Baronatus in hoc ducatu penè innumeri ſunt, ac Dominia infinita. Neque enim vniuerſa Belgica prouinciam habet quæ nobilibus frequentior ſit quàm hæc; quorum tanta eſt libertas, & in ſubditos ius, vt vel regulis comparentur. Ciuitates habet muris cinctas in vniuerſum viginti, è quibus principalior quæ toti regni nomen ſuum communicat eſt Lucenburgum: hanc Aliſuntius fluu. interluit, partem vrbis ſuperiorem & montanam ab inferiori & plana dirimens. putatur hæc eſſe quam Ptolemęus Auguſtam Romanduorum dixit. vrbs eſt ampla & capax, ædificia domuſque vtcunque ſplendidæ; verùm belli iniurijs variè afflictæ. Reliquæ vrbes ſunt Arlun, Rodemarck, Theouille, Grauemachre, Conigſmachre, Dickirch Vireton, Eſteruerck, Vandalen, Baſtonac; Mommedi; Neufchaſteau ſeu Nouum caſtrum quod Paulus Aemilius munitum oppidum vocat, Danuillers, Maruil, la Roche in Arduenna ſylua; Durbi, S. Viti, Marche & Salme. Habet præter hæc etiam alia nonnulla oppida, quorum tamen mœnia crebris bellorum incurſionibus diruta iacent. vicos pagoſque ad 169. continet; eorumque nonnullos ſatis amplos & opulentos. Caſtra & arces permultæ ſunt. Septem verò in eo Ducatu memorantur eſſe loca, quibus Planetarum ſeptem ſunt indita nomina. cuiuſmodi videtur eſſe Arlun, tanquam Aram Lunæ dicas, cui eo loco ſacrificabatur: Soleure caſtrum

Ciuitates regionis.

ſtrum montanum, à ſole nominatum creditur: Marche Martis nomen referre videtur. reliqua coniectura vix aſſequi licet. Lucenburgenſis regionis ager benignus ac fertilis eſt, cuius etiam loca nonnulla vineta ferunt; vina tamen ignobiliora ſunt. Fluminibus regio omnis rigatur plurimis: eorum primum nobiliſſimumque eſt Moſella, ſeu Obrinca fluu. è radicibus Voſagi montis ortus, non procul à Rotandi flu. fontibus, verſus Auſtro Africum ſeu Magiſtralem ventum, ducit alueum per mediam Lotharingiam, Metim vrbem alluens, huic per Lucenburgenſem hunc ducatum lateraliter lapſus, Theonuille, Sirich, Treuiroſque lambit: hinc Bernecaſtellum, Tribachum & Coanum prꝺterlapſus, iuxta Confluentiam Rheno miſcetur. hunc conatus eſt olim Lucius Veturius Romanus Sonio fluuio iungere, foſſa ducta decem miliariorum: vt Mediterraneo Mari claſſis Romana, euitatis terreſtris itineris impedimentis, naues primùm Rhodano fluu. per Narbonenſem Galliam, inde per Sonium ad hanc foſſam, ex ea in Moſellam, deinceps in Rhenum, ac denique in Oceanum duceretur. Reliqui fluuij Lucenburgenſem agrum rigantes ſunt: Chier, Moſa, Bemoij, Houl, Lech, Alſatus, Ardus, Sourus, Prumeus, Mineus, Chomeus, Orto, Albis, ac innumeri penè riuuli. Montibus regio undique attollitur, ſyluiſque intricatur; eæ omnes Arduennæ totius Galliæ maximæ ſyluę rami ſunt. Fodinæras reperias non procul à Manderſcheidt, in dominiis Keyla, Cronenberg & Sleida, in valle cui Sellenthal nomen eſt: quæ ferri copiam præbent optimi. Conflantur etiam ibidem ex ferro fornaces & pyreteria, quæ per totam diſtrahunt Germaniam ingenti lucro. Thermæ Bertricenſes, duobus

Fluuij.

Moſella.

penè à Moſellæ amnis ripa miliaribus diſtant quamuis hæ Eyphalææ potius quàm Lucenburgij ducatui annumerandæ ſunt. Terminatur regio à Septentrione Leodienſi epiſcopatu ac Namurcenſi comitatu, à Meridie Lotharingia, ab Ortu Moſella fluuio ac Treuirenſi epiſcopatu, ab Occidente Eyphalæa & Arduenna ſylua, & Moſa fluuio.

HANNONIAE COMITAtus. Cap. 44.

HAnnoniam ſcribit Leſſabæus olim Pannoniam à Panos cultu vocatam; deinde ſaltum Carbonarium; poſtea Picardiæ inferioris titulo cognitam dicit. Sed tandem Hanoniæ nomen, quo hodie inoleſcit, ab Hania flumine (quod mediam regionem ſecat) obtinuit. Haniault incolæ, & Hennegavv Germani appellant. Habet hæc Hannonia Flandriam cum Arteſia ab Occidente; Brabantiam à Septentrione; qua Orientem Solem aſpicit, ſunt illi ijdem Brabanti cum Namurcis & Leodienſibus vicini; à Meridie Campaniam Gallorum regis prouinciam attingit. Regio eſt, ſi quæ alia hoc tractu, nemoribus, lacubus, fontibus irriguis, pratis & paſcuis admodum amœna. Gens bellicoſa & erga Principem fide & officio incomparabilis. Habet in longitudine plus minus viginti, in latitudine ſedecim miliaria. in eo ambitu comprehendit viginti quatuor oppida, & plus quàm nongentos & quinquaginta pagos ac villas, vt Guiciardinus autor eſt. Robertus Cænalis in ea bis mille & ducentos pagos turri campanaria inſignitos numerat. Titulo Comitatus hodie ornata eſt: & habet in ſe principatum (vt hodie dignitatis vocabulum vulgò ſonat) octo Comitatus, duodecim

Termini regionis.

Pares

Pares (vt hodie appellant) viginti duos Baronatus, viginti ſex Albatias, alioſque dignitatis titulos, quę omnia apud Guiciardinum videre licet. Vrbes in ea primariæ ſunt Montes (Germ. Bergen in Henegavv) & Valencinæ: hæc ad Scaldim fluuium quâ is nauigia ferre incipit, ſita, amplitudine & vallatis mœnibus inclyta eſt. Plebs mercimonijs & negotiationibus vt plurimum indulget; magnumque ſibi emolumentum ex eo panni genere, quod vulgus fuſſetas, & in hac vrbe magna quantitate contexunt, atque hinc in remotiſſimas Orbis regiones auehitur, parant. Plebs opulenta, plerunque rem faciens ex telæ quodam genere quod vernaculè Sayam appellant, cuius ibi ingens copia conficitur. Sunt præterea Condatum, Halla, Angia, Malbodium, Aueſne, Bellus mons, Chimacum, Quercetum, Binchium Mariæ Caroli V. Imp. ſororis à curis diuerticulum, atque extructis ibidem ædibus magnificis, quondam in delicijs habitum; ſed poſtea ab Henrico 2. Gallorum Rege incendio & ruina fœdatum. Eſt item Bauarum, vulgo Bauais, quod nonnulli Baganum vel Bagacum Ptolemæi eſſe arbitrantur: nonnulli illud Belgium Cæſaris in ſuis commentarijs dictum volunt. Hubertus Leodius tamen non exiſtimat Cęſaris temporibus tam potens fuiſſe; ſed ſub D. Conſtantino Imperatore potius floruiſſe. idque ex numiſmatibus, quæ ibi magna quotidiè copia, huius imagine ſignata, effodiuntur colligit. *Vrbes eius.*

Viſitur in huius foro columna lapidea, ſub qua ab incolis inchoare omnia eiuſmodi viarum capita referuntur, quę ab eo loco in omnes Galliæ partes & ſublimi atq; recto tramite exporriguntur. has Brunechildi opera conſtratas fama loquitur. Eius quo-

Mirabiles viarum ſtructura.

que nomenclaturam in hunc vſque diem ſeruant. chemins de Brunehault Gallicum vulgus: Germanicum verò *die Caſſeie* vocant. Durant vſque hodie harum viarum plurimis in locis veſtigia, ſed interrupta. hæ id præſertim miraculi habent (vt ſcribit Bouillus) quòd ſublimiores ſint vicinis vtrique agris: quòd inter inſignia Galliæ oppida rectiſſimum iter conficiunt; quòd ſilicinis lapillis, qui etiam vicinis in agris deſunt, ſternuntur; adeo vt vel ab humo ebulliuiſſe ſilices, vel æthere ſublimi eos pluiſſe quis iudicet; vel alia quàm humana manu & opera vndecunque toto Orbe lectos in eiuſmodi viarum ruderationem quis demiretur. Sunt quoque in huius regionis limite verſus Moſam fluuium, quâ in Galliam iter patet, Carolomons, Marieburgum, & Philippouilla in hoc tractu contra Gallorum irruptiones firmiſſima præſidia, à Carolo V. Imperatore, Maria ſorore eius, & Philippo filio eius extructa & denominata. Diues eſt hæc regio ferri & plumbi fodinis. Effodiuntur hîc quoque diuerſa marmorum genera, vt ſunt album & nigrum, item pluribus coloribus variegatum, ad Regum & Magnatum ædes & ſepulchra ornanda valdè accommoda. Calx viua hîc etiam ex terra eruitur. Item carbones lapidei & atri, bituminis indurati natura, quibus incolæ loco lignorum in extruendo foco vtuntur. Conflantur hîc quoque vitreæ illæ laminæ pellucidæ, quibus omnem Cœli iniuriam ex templis & ædibus propellimus: hęque prę alijs quę alibi locorum fiunt, palmam pręſtantiæ ferunt. Omne item vitreorum vaſorum genus & ſupellex hîc conficitur. Vide plura apud Ludouicum Guiciardinum, & Iacobum Leſſabęum, qui peculiarem libellum de hac Regione conſcripſit.

Marmor.

Vitrum.

Hu-

Hubertus Thomas Leodius quoque in ſuo de Tungris & Eburonibus libello non contemnenda de hac ipſa Hannonia recenſet.

MODVS CREANDI IMperatoris. Cap. 45.

ABſoluta iam totius Germaniæ & Romani Imperij deſcriptione, non alienum erit & de modo creandi Imperatoris quædam ſubiicere. Carolus Bohemiæ Rex, Cæſar, eius nominis quartus, anno ſalutis M. CCCLVI. legem hac de re tulit, Bullam auream vulgò nominant; eius legis inter alia hæc ſunt capita, vt mortuo Cęſare, Archiepiſcopus Moguntinus, vbi primùm reſciuit, cæteris Electoribus ilico denunciet & diem conſtituat, vt intra tertium menſem Francofurti pręſtò ſint ipſi vel ipſorum legati, cum plenis mandatis, noui Cęſaris aut Romanorum Regis eligendi cauſa. Quòd ſi Moguntinus negligat, cęteri collegæ nihilo ſecius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant ſinguli non ſupra ducentos equites, cùm oppidum ingrediuntur, & in his armatos ad quinquaginta. Qui nec ipſe venit, nec legatum etiam mittit, aut ante confectum negotium diſcedit; ius Electionis eo quidem tempore amittat. Magiſtratus Francofurtenſis omnem fidem Electoribus præſtet, ac durante comitio, neminem præter Electores ipſorumque familiam intromittat. vbi conuenerint omnes, in æde diui Bartholomæi ſacrum fiat, quo ſancti Spiritus imploretur gratia. deinde ſinguli iurent, verbis præeunte Moguntino, nihil ſe facturos in ea re vllius vel pa-

cti, vel mercedis, vel largitionis, vel pollicitationis cauſa: pòſt, ad actionem veniant, neque prius illinc diſcedant, quàm creato Cæſare. quòd ſi res vltra diem triceſimum differatur, omnibus alijs detractis cibarijs, preter panem & aquam nihil eis detur. quem maior pars elegerit, hic eodem loco ſit, ac ſi communibus omnium ſuffragijs, nemine repugnante creatus eſſet. Ad hunc modum deſignatus Cęſar, omnium primò confirmet Electoribus omnia priuilegia, & quicquid ad ipſorum dignitatem, decus, libertatem, ac immunitatem pertinet. Præter hæc cauetur etiam atque ſtatuitur, quemadmodum alter alteri per ſuos fines tutum iter præſtare, quem quiſque locum in confeſſionibus obtinere debeant, quomodo ſint exquirēda ſuffragia, quod cuique ſit obeundum munus, quum Cæſar publicè quid agit aut prandet. Ad hæc, vt interregni tempore, penes Palatinum ſit ſumma rerum per Sueuiam, Franconiam, & oram Rhenanam: penes Saxonem verò, in his locis quæ iure vtuntur Saxonico. vt Electori mortuo ſuccedat natu maior filius aut frater conſanguineus: vt Electoris locum, qui eſt infra octodecimum annum expleat proximus agnatus, donec ille adoleuerit: vt Electores quotannis conueniant, deque re publica deliberent: vt Francofurtum ſit ſedes Electionis, Aquę verò Granenſes, Belgiæ oppidum, primæ inaugurationis: vt Electorum filij primis ab annis Italicam, Latinam, & Illyricam linguam addiſcant, quò ſermonem cùm multis gentibus communicare poſſint. Leges has ab Electoribus ipſi præſcriptas, ratas Cæſar habeat, eas nimirum: Tueatur Rempublicam Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam cuius ſit aduocatus: ius æquabiliter adminiſtret, & paci

conſu-

conſulat:leges omneis Imperij,pręcipuè quam auream vocat Bullam, non modò confirmet, ſed de ipſorum conſilio,quum res ita feret, amplificet etiam:Senatum in Imperio conſtituat, ex Germanis delectum, qui rempublicam gerat:iura, priuilegia, dignitatem principum & ordinum Imperij minimè conuellat aut imminuat: Electoribus liceat cùm opus erit, inter ſe conuenire deque republica deliberare: nullum autem ipſe, quo minus id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat:multitudinis &nobilitatis fœdera vel ſocietates initas aduerſum principes,aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat: de rebus Imperij nullus fœdus aut pactum faciat cum externis, niſi de Septemuirorum aſſenſu: facultates Imperij neque diſtrahat, neque oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat;& quę ſunt ab alijs nationibus occupata,vel ab Imperio diuulſa bona, primo quoque tempore recuperet, ſic tamen ne quid fraudi ſit illis qui vel priuilegio vel iure nituntur. Si quid etiam vel ipſe, vel ipſius familiæ quiſpiam poſſideat, quod ſit Imperij, non acquiſitum legitimè, reddat, interpellatus à Septemuiris: cum vicinis alijſque Regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus Imperij, niſi de ordinum omnium,præcipuè Septemuirorum voluntate bellum ſuſcipiat vllum intra vel extra fines Imperij. peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat,niſi conſentientibus illis: quòd ſi autem bello petatur, ipſe vel Imperium, liceat vti quibuſcunque præſidijs: conuentum Imperij nullum edicat, neque vectigal aut tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum.Conuentus etiam non agat extra fines Imperij: negotijs publicis præfi-

ciat non exteros, verùm Germanos, ex nobilitate delectos, & conficiantur literæ omnes Latino vel populari ſermone: extra fines Imperij nullum ordinem in ius vocet: quia Romæ multa fiunt aduerſus pacta quondam inita cum Pontificibus: det operam apud Pontificem, ne qua fraus Priuilegijs fiat & Imperij libertati: quomodo mercatorum monopolia valdè pernicioſa Germaniæ coërceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, ac rem ſæpè deliberatam ad exitum perducat: portorium nullum aut vectigal imponat niſi aſſentiantur Electores: neque literis commendatitijs, Electorum qui ſunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat. Si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat ijs qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtunt: neminem indicta cauſa proſcribat, ſed iuris ordinem in eo ſequatur, Imperij bona quæ fortè vacabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimonium referat: ſi quam alienam prouinciam auxilijs ordinum acquiret, Imperio coniungat: ſi publicum quid ſuis copijs atque Marte recuperabit, reipublicæ reſtituat: quod interregni tempore Palatinus atque Saxo publicè egerint, ratum habeat: conſilium nullum ineat, quò dignitatem Imperij ſuæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam atque integram permittat Septemuiris eligendi facultatem, iuxta Caroli Quarti legem, & iuris Pontificij præſcriptum: quod ſecus factum erit, irritum habeatur: vbi primùm licebit, in Germaniam ſeſe conferat inaugurationis cauſa.

INAV-

INAVGVRANDI CAESARIS modus, & ceremoniæ Cap. 46.

ANno ſalutis humanæ 1520. Carolus Quintus hoc ordine ac proceſſu ſecundum Imperij conſtitutionem deſignatus eſt Imperator: Octobris diem ſextum Carolus deſignat Electoribus, vt inaugurationis cauſa ſibi præſtò ſint Aquiſgrani: ſed per id tempus admodum ſæuiebat ibi peſtis. Itaq; Principes, vbi Coloniam veniſſent, decem ab Aquiſgrano miliaribus, & graſſantis morbi fama quotidiè creſceret, miſſis literis atque legatis, Cæſarem, qui tum erat Louanij, rogant vt propter eam cauſam aliò ſe conferat. Oppidani verò, qui maximos iam ſumptus feciſſent in adornandis domicilijs & alimonia comparanda, per idoneum interpretem, morbi vim extenuantes, animum eius confirmant ne dubitet venire. Perſtitit igitur in ententia Cæſar, neque Caroli Quarti legem, qui ic ſtatuiſſet, temerè ſe poſſe mutare dicit. Octobris rgo die 21. veniunt eò Moguntinus, Colonienſis, Treuericus, Saxoniæ ducis, & Brandeburgenſis Marchionis legati. nam Saxo per cauſam valetudiis Coloniæ ſubſtitit. Poſtridie obuiam Cæſari con endunt, & appropinquantem honorificè, cùm ex quis deſcendiſſent, excipiunt, verba faciente Mountino: ipſe per Saliſburgenſem Cardinalem beeuolè reſpondet, Coniunctis igitur agminibus vrem petunt. ante portam occurrit Palatinus. Equiatus erat omnis Electorum, circiter mille ſexcenti, artim haſtati, partim ſagittarij, Cæſaris autem ad uo millia, ſplendidiſſimè omnes veſtiti. Dux Cli-

uenſis Ioannes, planè finitimus, equites adduxerat quadringentos, inſigniter armatos. Iis contentio multa fuit cum Saxonicis, vtri præcederent: ita quidem vt pompam iſtam, qua vix vllam Germania viderat illuſtriorem, nox interpellaret. Latus vtrunque Cæſaris claudebant Colonienſis & Moguntinus: ponè ſequebatur Bohemiæ Regis legatus, item Sedunenſis & Salisburgenſis & Croius, cardinales: regum atque principum oratores, Pontificius tamen aberat & Anglicus. quod eo feciſſe putantur, ne poſtpoſiti principibus Germanis, eorum à quibus erant miſſi, viderentur imminuere dignitatem.

Cæſar in ædem diuæ Virginis introductus, ibique precatus, ac deinde cum Electoribus collocutus, in domicilium ſuum diuertit. Altera die rurſus in templo conuenitur: tantus autem erat hominum concurſus, vt à ſtipatoribus armatis ægrè coërceri poſſent. In medio templi dependet corona quædam perampla: ſubtus erant ſtragulæ veſtes permultæ: hîc aliquamdiu Cæſar pronus decumbit, interea dum Colonienſis quaſdam precationes abſoluit. Poſtea ſublatum Moguntinus atque Treuericus ad aram diuæ Virginis adducunt. Hîc iterum procumbit, & peractis precibus in ſolium auratum deducitur. Incipit ſacrificare Colonienſis, & aliquouſque progreſſus, Latinis verbis rogat, an fidem Catholicam ſeruare, defendere Eccleſiam, adminiſtrare iuſtitiam, reſtaurare Imperium, tueri viduas, pupillos, & id genus calamitoſos homines, an honorem debitum Romano Pontifici velit exhibere. Vbi annuit, ductus ad aram, conceptis verbis iurat: poſt ad ſolium regreditur.

Inaugurandi Cerimoniæ.

Prin-

Principes deinde Colonienſis interrogat, an fidem & obſequium ei præſtare velint. Eo promiſſo; & rurſus aliquot dictis precibus, in pectus & caput. & brachiorum flexus, & manuum palmas illum inungit: vnctum Moguntinus & Treuirenſis in ſacrarium abducunt, atque ibi Diaconi more veſtitum, rurſum in cathedram collocant, & poſt certas iterum preces, archiepiſcopis collegis adhibitis, enſem euaginatum ei Colonienſis tradit, ac Rempublicam commendat: & gladio in vaginam recondito, annulum inſerit eius digito, poſtea pallium induit regale, ſceptrum quoque porrigit atque pomum, quod Orbis terrarum figuram repræſentat: diadema verò ſimul Archiepiſcopi tres eius capiti ſuperimponunt: inde ad aram adductus, iterum iurat ſe facturum boni principis officium: poſt in ſublimiorem locum comitantibus Archiepiſcopis aſcendit, & in ſaxea ſede collocatur. Ibi Moguntinus lingua populari verba facit, & multam ei ſalutem precatus, ſe ſuoſque collegas & omnes Imperij ordines diligenter commendat. Idem deinde faciunt primarij templi ſodales, quorum in collegium etiam allectus fuit, veteri conſuetudine: poſthæc publicam lætitiam ſymphoniaci & tubicines excitabant. Harum rerum omnium ſpectatrix erat Margarita, Cæſaris amita, quæ Belgio toti præerat.

Peracto ſacro, cùm Cœnam Domini Cæſar percepiſſet, in equeſtrem ordinem recipit volentes. Hic honos communicari ſolebat antiquitus ijs tantùm, qui ſtrenuè pugnaſſent in hoſtem, eratque præmiũ fortitudinis: nunc aũt recepta conſuetudine, reges gladio ſtricto leniter feriũt humeros eorũ qui hunc ordinẽ affectant. Et hac ſola ceremonia promiſcuè multi hodie fiunt equites, nõ ex nobilitate tantùm,

Nobilitatis communicatio.

ſed

ſed mercatores etiam & quicunque præ cæteris in honore eſſe volunt. E templo ventum eſt in palatium magnificentiſſimè comparatum. Ibi demum Cæſar prandium ſumit, & Electores etiam ſinguli ſeparatim in eadem aula, diſpoſitis menſis ad vtrũque latus menſæ Cæſaris, Treuirenſe locum obtinente contra Cæſarem, iuxta formulam legis Carolinæ. Veteri conſuetudine bos eo die torretur, farctus alijs animalibus. Ex eo pars reliqua defertur ad Cæſarem, reliquum eſt multitudinis. vinum etiam duabus fiſtulis ad eam rem comparatis toto die publicè profunditur. A prandio reuerſus in diuerſorium Cæſar Imperij ſigilla Moguntino tradit: poſtridie cœnam dat Electoribus. Eo qui ſecutus eſt die, templum ingreſſus, finita Miſſa, Diuorum reliquias, vti vocant, veneratur; & in his linteolum, quo Seruatorem noſtrum in cunis vagientem inuolutum fuiſſe confirmant. Ab eo Moguntinus profitetur, Pontificem Romanum, approbata creatione, iubere vt electi Cæſaris nomen in poſterum Carolus vſurpet. Digreſſis Electoribus, ne diutius hæreant in loco peſtilenti, Cæſar etiam iter ſuſcipit: & cùm ſub Calend. Nouemb. Coloniam Agrippinam veniſſet, dimiſſis per Germaniam literis, Imperij conuentum indicit, & vt Ianuarij, menſis die ſexta, VVormatiæ ſibi præſtò ſint omnes iubet. Porrò quod Moguntinus de Pontificis approbatione dixit, moribus ita receptum eſt & inoleuit, conuerſo rerum ordine. Nam olim Epiſcopi Romani ſolebant ab Imperatoribus approbari, cùm eſſent tenuiores: amplificati verò non ſolùm arbitratu ſuo regere cœperunt, verùm etiam eò rem adduxerunt tandem, poſt acerrimas contentiones, vt eligendi quidem ius, Germaniæ ſeptemuiris permittant,

Pontifex Romanus olim ſubditus Cæſari.

tant,

tant, confirmandi verò poteſtatem ſibi propriam eſſe dicant. In Gregorij enim Noni decretalibus epiſtolis, Innocentius tertius affirmat, ius eligendi Cæſaris beneficio Pontificum & Eccleſiæ Romanę delatum eſſe à Græcis ad Germanos, & ad Carolū Cæſarem cognomento magnum, & ipſorum eſſe cognoſcere ac iudicare cum idonea ſit perſona. Iuſiurandum inſuper à ſummo totius orbis Monarcha exigunt, vt Eccleſiam Romanam defendat, vt hæreticos exterminet, vt Pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, vt priuilegia quondam Eccleſiæ Romanæ conceſſa, quocunque tempore conſeruet; in primis ea quæ profecta ſunt à Conſtantino, Carolo Magno, Henrico, Ottone quarto, Friderico ſecundo, Rudolpho: ne quid iuris in vllas Eccleſiæ Romanæ facultates atque poſſeſſiones, quocunque titulo ſibi vendicet: vt reliquas etiam vbiuis Eccleſias, earumque libertatem atque iura protegat. His rebus deuinctum ſibi Cæſarem aſſerit.

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER QVINTVS.

CONTINENS TERRAM AVſtralem & Meridionalem noui Orbis partem, quam συνεκδοχικῶς *Peruuiam inſcripſimus.*

Caput I.

QVANDOQVIDEM interior Terræ Auſtralis incognita adhuc eſt, & eius tantùm littora (quoniam aliquoties iam circumnauigata eſt) cognita nobis ſint, exteriora ſcilicet vndequaque Oceanum ſpectantia; atque ideo vix quippiam de ea in medium afferri poſſit, donec progreſſu tẽporis etiam ab Europæis alijſve noſtri Orbis nauigantibus peragretur: ne tamen vacua planè dimittatur, Expeditionem nauticam Ferdinandi Magellani primi huius inuentoris hoc loco recenſebimus quæ ſic ſe habet: Interim quo Caſtellani in Occidente (vt paulò inferius audiemus) nouas & incognitas ſtuduerunt quærere terras, Portugallẽſes hoc idem tentauerunt facere in Oriente. & ne alter alteri impedimento eſſent, partiti ſunt inter ſe terrarum Orbem autoritate ſummi Pontificis Alexandri ſexti, hac ratione, vt ab inſulis Heſperidum, quas

quas nunc Capitis viridis appellant, rectâ in Occidentem, & altera verſus Auſtralem polum protenderetur, Orbemque in duas partes æquales diuiderent. Et quicquid incognitæ terræ in parte Orientali degeretur, hoc Portugallenſibus cederet; quicquid in Occidentali, Caſtellanis. Hinc factum eſt, vt Caſtellani per Meridiem in Occidentem ſemper nauigarint, & ibi continentem terram ampliſſimã, inſulas verò maximas & innumeras auri & margaritarum aliarumque opum diuitias inuenerint. Portugallenſes verò per Meridiem & littora Heſperidum, æquatorem & tropicum Capricorni prætereuntes in Orientem nauigarunt, per Arabicum & Perſicum ſinus in Indiæ littora intra Gangem, vbi nunc maximum emporium & regnum eſt Calecuthicum, delati ſunt. Hinc ad Taprobanam, quam nunc Zamaram & Sumarram vocant, nauigarunt: inde ad Auream Cherſoneſum, vbi nunc Malaccha celeberrima vrbs & maximum Orientis emporium ſitum eſt, peruenerunt. Ex hac ſinum magnum ingreſſi ſunt, ad Sinarum vſque populos. Sunt autem non procul à Malaccha inſulæ quas Moluccas vocant, in quibus omnia aromata facilè & minori impenſa & precio in Caſtellam deportare. Ratio nauigationis fuit, vt ex Occidente ſubter inferius hemiſphærium in Orientem vſque nauigarent.

Hiſpani diuidunt Oceanũ.

Moluccæ inſulæ.

Res quidem ardua viſa eſt, quòd incertum eſſet, vtrum ingenioſa natura, quæ nihil non ſumma prouidentia conſtituit, ita Orientem ab Occidente partim aqua partim terra diſtinxiſſet, vt hoc itinere & nauigationis curſu ad Orientem perueniri poſſet.

Non-

Non enim compertum erat, vtrum illa ingens regio quam terram firmam vocant Occidentalem Oceanum ab Orientali diſterminaret. Liquebat continentem illam ab Auſtro in Meridiem & inde in Occidentem vergere: repertas etiam ad Septentrionem regiones duas, quarum alteram Baccalearum, alteram Terram floridam vocant. Quę ſi terræ huic firmæ coniungerentur; nequaquam ex Occidente in Orientem poſſe deferri, cùm nihil de freto aliquo huius terræ, quod tranſiri poſſet, inuentum eſſet. Interim verò rex Hiſpaniæ electus Imperator parauit claſſem quinque nauium, & huic præfecit Magellanum ducem, mandans vt ad littora terræ firmæ verſus Auſtrum nauigaret, donec illius regionis aut finem, aut fretum aliquod inueniret; per quod ad odoriferas illas Moluccas inſulas, tantopere ob aromatum varias ſpecies celebratas, peruenire poſſet. Paratis itaque nauibus & multo commeatu communitis, Magellanus ſoluit die decimo Auguſti, Anno 1519. ex Hiſpali, & primùm ad Canarias, deinde ad Heſpecudum inſulas venit, à quibus curſum ſuum inter Occidentem & Orientem verſus continentem illam cœpit, ac intra certos dies felici nauigatione promontorium S. Mariæ detexit, vbi Canibali & anthropophagi morantur, perpetuoque curſu huius Continentis littora legit, quæ longiſſimo tractu in Auſtrum protenduntur, ita vt tropicum Capricorni ad multos gradus tranſcenderit, vbi polum Antarcticum quadraginta ſex gradibus ſuper horizontem eleuatum inuenit. Longitudinem verò à fortunatis inſulis in Occidentem quinquaginta ſex gradus tradidêre. Delati itaque in Orientem, viderunt aliquot Indos ad littora conchylia legere.

Magellanus ſoluit Hiſpali.

Fue-

Fuerunt proceræ longitudinis, ferinis pellibus te-
cti, ad quos dum aliquot ex Hiſpanis in terram e-
grederentur, atque illis tintinnabula & chartas pa-
pyraceas depictas oſtenderent, cœperunt Hiſpanos
ad rude murmur & inconditum carmen circum-
ſaltare. Venerunt tandem tres tanquam legati, qui
Hiſpanos ſignis quibuſdam orarunt, vt ſecum lon-
gius in terram progrederentur, quaſi eſſent eos o-
mni hoſpitalitate excepturi. Mittit Magellanus
cum his viros ſeptem benè inſtructos, vt regionem
& gentem diligenter indagarent. Venerunt autem
cum eis in deſertum & inuium locum, vbi erat tu-
gurium humile, ferarum pellibus contectum. Duæ
erant in eo manſiones, in altera mulieres cum pro-
le ſua, in altera viri, exceperuntque hoſpites ſuos
ferali apparatu, qui tamen illis regius videbatur.
Occiſum eſt animal, quod haud multum ab ona- *Conuiuium*
gro differre videbatur, cuius carnes ſemitoſtas no- *ſordidum.*
ſtris appoſuêre, nullo alio cibo neque potu propo-
ſito. Noſtris noctu præter morem ſub pellibus cu-
bare neceſſe fuit ob ingentem vim niuium & ven-
torum. Quumque illuxiſſet, noſtri imperioſius ege-
runt cum illis vt ſecum nauim ingrederentur. at illi
quibuſdam horribilibus pellibus à planta pedis ad
ſummum verticem tecti, facie varijs coloribus in-
fecta, arcubus & ſagittis ad prælium accincti longè
maioris quàm antea ſtaturæ in aciem prodeunt.
Hiſpani qui ad manus deueniendum putabant, pi-
xidem emitti iubent. qui ictus & ſi irritus fuiſſet, e-
gregij tamen gigantes, qui paulò ante Iouem debel-
laturi videbantur, hoc ſonitu adeò ſunt deterriti, vt
protinus de pace loqui cœptum ſit. Conabantur
noſtri aliquos de gigantibus illis ſecum ducere in
Hiſpaniam pro rei nouitate, ſed omnes elapſi ſunt

è manibus eorum. Animaduertens verò Magellanus lõgiorem manſionem illic inutilem eſſe, ſimul autem mare fluctuoſum eſſet Cœlumq; turbidum, & terra illa continuè ad Auſtrum vergeret, vt quò magis progrederentur, eò regionem frigidiorem inuenturi eſſent, diſceſſus in Maium menſem dilatus eſt, à quo illic aſperrima hyems ſæuire, cùm in noſtra regione æſtas eſſet. Erat ibi magna copia lignorum, miniſtrabatque mare conchylia, pleraque optimorum piſcium genera, & erant ibi fontes ſalubres, aucupium & venationes, ſolùm panis & vinum in naui defecerant. Erat ibi poli Meridionalis eleuatio 40. graduum.

MAGELLANVS PER FRETum anguſtum ab Occidente venit in Orientem ad varias inſulas vbi interijt.

Cap. 2.

SVperata hyeme, viceſima quarta Auguſti ſoluit Magellanus, ſecutuſque eſt terræ tractum in Auſtrum vergentem, quouſque tandem viceſima ſexta Nouembris in Continenti illa fauces quædam, quæ ſpeciem freti præ ſe ferebant, detectæ ſunt, quas ingreſſus Magellanus cum claſſe, iubet nauibus colluſtrare omnes occurrentes ſinus ſi vſpiam tranſitus pateret in Orientem. Inuenerũt verò tandem anguſtias Oceani profundiſſimas, per quas illis perſuaſum erat tranſitum eſſe in aliud aliquod pelagus, & ob id Magellanus ſtatuit per eũ vela ventis dare. Erat fretum hoc latitudinis aliquando trium, aliquando duorum, nonnunquam decem miliariorum Italicorum, vergebatque paululum

culum in occidentem. Altitudo poli Auſtralis quin quaginta duorum graduum inuenta eſt. Nullos autem mortales in littore conſpexerunt. Videns proinde Magellanus terram illam fragoſam eſſe, & æternis frigoribus rigentem, indignum iudicabat in ea indaganda plures perdere dies. quapropter continuo curſu per fretum delatus eſt in alium Oceanum vaſtum & amplum. Longitudinem freti putant eſſe ferè centum miliariorum Hiſpanicorum. Terram quam ad dextrā habuerunt, Continentem eſſe non ambigebant; ad ſiniſtram autem inſulam eſſe exiſtimabant. Vidit quoque Magellanus Continentem rurſus rectà ad Septentrionem dirigi, quamobrem iubet, dimiſſa terra illa ingenti, ad dextram nauigationis curſum per vaſtum & ingens pelagus inter Occidentem & Septentrionem dirigere, hac quidem ratione; vt tandem per Occidentem in Orientem, ac rurſus ſub Zonam Torridam perueniret, exploratum habens Moluccas in Orientem haud multum poſſe ab Aequatore diſtare, vbi quadraginta dies hoc modo per altum delati fuiſſent, & iam rurſus ſub Tropico Capricorni nauigarent, venerunt in conſpectum duæ inſulæ habitatæ, exiguæ tamen & ſteriles, quas infortunatas appellauerunt. Inde rurſus ſoluentes ingens Oceani ſpatium conficiunt, inueniuntque inſulam quandam, quam ab Indigenis Ianuaganam vocatam cognoſcunt; vbi poli Arctici eleuatio erat graduum vndecim; longitudinem verò à Gadibus per Occidentem arbitrabantur graduum eſſe 158. Protinus alias & alias viderunt inſulas, ita vt ſe in Archipelagum quendam delatos viderent, vbi indicijs & ſignis ſicut muti cum mutis loqui ſolent, ab Indis ſcrutantur nomina inſularum, diſcuntque ſe iam

Longitudo freti Magellanici.

ſe iam eſſe in Acacan, & haud longè diſtare inſulã cui Sclani nomen eſſet, eam habitatam & copiam omnium rerum quę ad vitæ neceſſitatem ſpectarẽ in ea reperiri. Defecerant enim noſtris vitæ neceſſaria. Tendentes ergo ad Sclani inſulam, aduerſa tempeſtate ad Maſſanam inſulam deiecti ſunt; inde ad Subuth amplam inſulam venerunt. vbi quidam ex Hiſpanis in tugurium à Regulo inſulæ deducuntur, apponunturque cibaria iuxta morem illorum. Panis erat ex trunco arboris, haud multum à palmis diſſimilis factus. lignum enim illud fruſtatim diſſectum, ac in ſartagine oleo fixum hunc panem præbet. Potus erat humor, qui ex conſciſſis palmarum ramis defluere ſolet. aucupia quoque conuiũ ornabant. reliqui fructus illius erant regionis. Erat autem inſula illa diues auri & gingiberis. Inijt ibi Magellanus prælium cum aliarum inſularum habitatoribus; ſed victi Hiſpani amiſerunt Magellanum cum alijs ſeptem. Amiſſo duce eligunt alium nouũ Claſſis præfectum, Ioannem Serranum. Habuerat autem Magellanus ſeruum ex inſulis Moluccarum ortum, quem in Malaccha emerat. hic linguam callebat Hiſpanicam. Cumque Serranus nihil ſine eo agere poſſet, ille verò ex leuibus vulneribus in bello contractis decumberet, corriperetque ipſum durioribus verbis & minaretur verbera, concipit ſeruus magnus odium in Hiſpanos, adienſque regulum Subuth, docet inſatiabilem eſſe Hiſpanorum auaritiam, ipſos quoque tandem ſęuituros in eum. Credit barbarus omnia, & clam cum reliquis inſulanis facit conſpirationem in Hiſpanos, eoſque ad ſe in conuiuio inuitatos armata manu obruit. Reliqui verò Hiſpani qui in nauibus manſerant, de ſociorum clade edocti, maiores inſidias verentes, an-

Magellani interitus.

choris

choris ſublatis, vela ventis ocyus committunt. Adducitur paulò poſt ad littora vinctus Serranus, obſecrat vt à tam dira hoſtium captiuitate redimatur. Hiſpani etſi Ducem turpè relinquere æſtimabant, tamen fraudem & inſidias veriti in altum tendunt, triſteſque abeunt, & deferuntur ad inſulas Gibeth & Porne. Duæ in hoc Archipelago inſulæ erant ingentes, quarum altera Siloli dicta eſt, altera (quæ & minor) Porne. Pornenſes colunt Solem & Lunam. pietatem & iuſtitiam obſeruant, & maximè pacem & otium amant. Omnibus præcipuum ſtudium eſt, ne finitimos populos aut peregrinos iniuria laceſſant. Aedes habent exiles ex ligno & terra conſtructas, partim rudere, partim palmæ frondibus coopertas. Vxores ducunt quot alere poſſunt. Cibo vtuntur quem vel aucupium vel venatio ſuppeditat. panem ex oryza conficiunt: potum ex liquore qui de palmis ſciſſis ſtillat. Alij mercaturam in propinquis inſulis faciunt: alij venationi, alij piſcationi, alij agriculturæ ſtudent. veſtes habent ex goſſapino. Camphoræ, gingiberis & cinamomi magnus apud eos eſt prouentus. Magellano autem, quaſi virtutibus eius optimæque indoli gratulantes, hoc qualecunque epigramma piæ memoriæ ergò poſuimus:

Siloli & Borna inſulæ.

Dux ego claſſis eram Lſitanni nomine Regis,
Miſſus in Auſtrales ſpatioſa per æquora terras:
Plurimaque vt nobis apparuit inſula, tandem
Ad freta deuenimus noſtro de nomine dicta.
Ipſa Magellani etiam nunc terra reſeruat
Auſtralis nomen, perij ſed miles in illa.

HISPANI AD MOLVCCAS perueniunt. Cap. 3.

VAledicentes Hiſpani regi ſoluunt à Porne, tenduntque ad Moluccas, quæ ipſis ab eodem Rege monſtratæ fuerunt. Veniunt prius ad littora inſulæ Solo, vbi margaritas magnitudine ouorum turturum colligunt, ſed quæ non niſi in altiſſimo mari expiſcantur. Ceperant tunc incolæ oſtreum cuius caro 47. librarum erat, id quod ipſi Hiſpani viderunt. Hinc facilè credi poteſt margaritas miræ magnitudinis illic reperiri, cùm ſatis conſtet vniones conchyliorum partum eſſe. Hinc ad inſulam Gilonam ventum eſt, vbi homines tam longis ſunt auribus atque adeò pendulis vt humeros attingant. Quæ cùm mirarentur Hiſpani, intelligebant ab indigenis haud longè diſtare aliã inſ. vbi homines eſſent non ſolum pendulis, ſed latis ampliſque auriculis, vt cùm ex vſu eſſet, altera earum vniuerſum caput contegeret. Hiſpani verò qui non monſtra, ſed aromata quærebant, omiſſis nugis recta ad Molluccas tendebant, octauo menſe illuc venientes, poſtquam præfectus eorum Magellanus occubuerat. Inſulæ ſunt numero quinque: Tharante, Muthil, Theodori, Mare & Mathien, tum citra tum vltra tum etiam ſub Aequinoctiali ſitæ. Alia gariophilum, alia myriſticam nucem, alia cinamomum gignit. Vicinæ ſunt omnes, ſed paruæ atque anguſtæ. Sunt habitatores earum egeni admodum, vtpotè apud quos nihil præterquam aromata proueniunt. Viuunt pane & piſcibus, nonnunquam pſitacis. Latent tuguriolis demiſſis admodum, & in ſumma, omnia ſunt apud eos humilia &

Quinque inſ. Moluccæ.

lia & ſordida præter pacem, ocium & aromata. In Theodori eſt magna copia gariophilorum ſicut & in Tarante atque Matthien. Arbores gariophilum proferentes, non niſi in abruptis rupibus prouenire ſolent; & ita denſantur vt plerunque lucum faciant. *Gariophilum*

Arbor hæc tum folijs, tum craſſitudine, tum ipſa altitudine lauro ſimilima eſt; naſcitur autem fructus eius in ſummis ſingulis ramuſculis. Corolla primũ, tum in ea flos haud alius quàm mali aurei prodit. Rubeſcit primùm Gariophilum, mox Sole toſtum nigreſcit. Huius arboris ſyluas inter ſe, quẽadmodum nos vineas, indigenæ partitas habent. Inſula Muchil cinamomum gignit. arbor eſt ſurculoſa & alioqui ſterilis, ſiccitate gaudens, ſimilima arbori quæ malum fert punicum. Huius cortex ad Solis calorem dehiſcens, à ligno auellitur, & paulum ad Solem detoſtus fit cinamomum. Huic propinqua eſt alia inſula, quæ Badam appellatur: Moluccenſibus inſulis maior amplior que, in qua myriſtica nux naſcitur, cuius arbor procera eſt & ampla, arbori quæ nucem iuglandem fert admodum ſimilis. *Cinamomum*

Neque hæc nux aliter quam iuglans produitur, gemino protecta operimento, puluinari primùm calycis, hoc eſt, folliculo; ſub quo tenuis mẽrana, quæ reticulatim nucem amplectitur. Hæc apud nos Muſcatæ flos, ab Hiſpanis Macis vocatur, obile & ſalubre aroma. alterum operimentum lineum eſt putamen & auellanæ, cui nux ineſt muſcata. Gingiber verò paſſim in ſingulis inſulis huius Archipelagi naſcitur; aliud ſeminatum, aliud ponte prouenit: ſed quod ſeminatur nobilius ſt. herba ſimilis eſt illi quæ crocum gignit, *Muſcata nux* *Gingiber.*

& iſto modo eius radix ferè naſcitur; quæ gingiber eſt.

Cùm itaque duæ adhuc naues Hiſpanis ſupereſſent, vna per altum mare rectà ad promontorium Africæ, cui Bonæ ſpei nomen eſt, defertur: altera verò per Archipelagum vaſtumque Oceanum ad littora illius Continentis, cuius ſupra meminimus, curſum accipit. Atque hæc de inuentione freti Magellanici, quod Terram Auſtralem à Continente Peruuiana diuidit. Quod ad nouam Guineam de qua hactenus dubitatum fuit inſulane an verò pars Continentis Auſtralis eſſet; eam hodie inſulas aliquot Auſtralis terræ (proximè tamen eius quæ Magellanica hodie dicitur, quòd in ea Magellanus perierit) littoribus vicinas eſſe, in Meridianis 19. & 20. Pſittacorum regio, ſic a Luſitanis appellata ob incredibilem earum auium ibidem magnitudinem, in quinto Meridiano ſita reperitur. In decimoquinto Meridiano magnum huius terræ promontorium verſus Iauam maiorem in pelagus protenditur, Oceanum Indicum, & Pacificum diuidens: cuius extremitas Beach prouinciam auriferam continet; interius autem in Auſtrum Maletur regnum aromatibus ſcatens, ſitum eſt. ab huius latere in Occidentem Lucach Regnum pendet, ſub Tropico Capricorni. Nunc ipſius Colum itinera aggrediamur.

PRIMA

PRIMA COLVMBI NAVIgatio. Cap. 4.

CHriſtophorus Columbus natione Genuenſis, cùm diu in aula regis Hiſpaniarum diuerſatus fuiſſet, animum induxit vt hactenus inacceſſas Orbis partes peragraret. Petijt idcirco à rege, vt voto ſuo non deeſſet, futurum ſibi ac toti Hiſpaniæ decus præclarum aſſeuerabat, ſi ſua opera & impenſa nouas regiones nactus eſſet. Hęc meditantem rex & regina derisêre, vtpote cogitantem inania. Tandem peractis annis octo inſiſtente adhuc Columbo, cœpit rex ſermonibus eius aures præbere attentiores, decreuitque poſt multa experiri ingenium viri. Vnde iuſſit liburnicam vnam, & coloces duas omni genere annonæ armamentorumque communiri; quibus expeditis, prima Septembris luce Anno 1492. ſoluit ab Hiſpanis littoribus, & diu optatum iter eſt aggreſſus. Soluens ergo à Gadibus diuertit verſus inſulas Fortunatas, quas nunc Canarias appellant, à canibus forſan ſic appellatæ. Fortunatæ verò olim dictæ fuerunt ob aëris miram temperiem, Cœlique clementiam; & incoluerunt eas ferinæ gentes quibus nulla erat religio, nullaque verecundia, vtpote qui toti nudi incedunt. Hinc autem Columbus ſoluens nauigauit verſus Occidentem, tandemque inuenit aliquot inſulas, quarum duæ erant vaſtiſſimæ; eiſque nomina indidit, alteram Hiſpaniam, Ioannam alteram nuncupans. Veniens Columbus ad inſulam quam Ioannam appellauit, audiuit innumeros auium concentus, & in primis luſciniarum, quę denſiſſimis inerrabant nemoribus, menſe Nouembri. vidit quoque limpidiſſima flumina, eademque ad

Fortunatæ & Canariæ inſulæ.

Ioanna inſula.

potandum ſuauia, portus magnos & celebres. Et cum nauigaret ſecus inſulæ littora ductu Chori venti, & nullum comperiret finem, credidit Continentem eſſe, propterea decreuit gradum referre, impellente pelagi ſæuitia. Conuerſa ergo naui ad Orientem, venit ad inſulam quæ poſtea dicta fuit Hiſpania, appellenſque terram, conſpectus eſt ipſe & ſocij eius ab incolis inſulæ, qui protinus fugerunt in denſa nemora. Noſtri tamen veſtigia perſequuntur fugientium, & mulierem quandam corripuêre. quam cùm ad nauem deduxiſſent vino & obſonijs propè diſtentam, & eleganter veſtitam, miſſam faciunt: nam ipſi nudi incedunt, & humaniores neſciunt delicias. Veniente itaque muliere ad ſuos, alij moti liberalitate in eam collata, caternatim ad littus currunt; ferentes ſecum aurum, quod cum ollis teſtaceis & vaſis vitreis permutabant, pro minima & deſpicabili re aurum dantes. Contracta igitur amicitia, noſtri diligentius vitam eorum & mores cœperunt explorare; deprehenderuntque eos habere Regem. vnde petentes interiora inſulæ, à Rege honorificè ſunt excepti. Luſtrauerunt autem domos eorum, videruntque eas miro modo ſine ferro conſtructas. nam omni ferro carent, eiuſque loco cote vtuntur, eo ligna ſerrantes & excauantes. Quòd autem inſulani primùm à conſpectu noſtrorum fugerunt, id fecerunt quòd putarunt eos eſſe Canibalos, ferinos ſcilicet populos, qui in cibatu humanam carnem gratiſſimam habent. hos noſtri præterierant, eos ad Meridiem reliquentes. Vnde inſulani mæſtiſſimè noſtris conquerebantur de efferatis Canibalorum moribus, quòd in eos non aliter ſæuirent quàm tygris vel leo in manſuefacta animalia. Nam impuberes, ſi qui

Hiſpania inſula.

Canibali antropophagi.

qui corripiuntur, exectis teſtibus ſaginant, vti nos gallos gallinaceos, puberes verò mox contrucidant, quibus exenteratis ilia comedunt recentia, membrorumque partes extremas; cætera ſaliunt adſeruantque, vt nos inſitia & farcimina omnis generis. Mulieribus haud veſcuntur, verùm eas ad prolem, vti nos gallinas ad oua, ſeruant. Si qua eſt anus, ea mancipij vicem gerit. Quando ergo Canibali veniunt, incolæ inſularum dant terga, & licet ſagittis vtantur, non ſunt tamen tantarum virium, vt compeſcere eos queant. Vtuntur huius inſulæ cultores loco panis radicibus quibuſdam, quę ſunt inſtar napi, ſaporem habent quem molles recenteſque caſtaneæ. Aurum apud eos eſt in pretio, id enim auribus appenſum ferunt. non emigrant finibus ſuis, nec vltro citroque commeantes exercent commertia. Aurum legunt in arenis fluminis cuiuſdam, quod ex altiſſimis deriuatur montibus: id labore eximio colligunt, funduntque in fruſta, & demum in laminas. Non ſunt apud eos quadrupedia, niſi cuniculi; ſerpentes verò habent immenſæ vaſtitatis, ſed innoxios: Syluestres turtures, anates noſtris proceriores, anſereſque oloribus candidiores, niſi quod capite rubeo ſint. Ibi & pſitaci complures, alij coloris praſini, fului alij, alij verò Indis non abſimiles, id eſt, torque miniato. Hæc præterea inſula gignit maſticem, aloë, & alia his non diſſimilia, & in primis grana quædam rubea quæ pipere ſunt acriora.

De moribus habitatorum Hiſpaniæ.

COLVM-

COLVMBVS INVENTIS NOuis inſulis redit in Hiſpaniam, ac claſſe parata reuertitur ad Canibalos.

Cap. 5.

IGitur Columbus de compertis terris lętus, cùm ver iam appeteret, decreuit patriam repetere, relictis apud Regem inſulæ triginta octo viris, qui diligenter ſciſcitarentur & explorarent locorum ſitus, regionis mores, frugumque arborumque naturam. Ipſe verò vela ventis dans verſus Hiſpaniam, duxit ſecum ex inſulanis viros decem, non alia magis de cauſa, quàm vt eorum linguam aliquando diſcerent; quoniam id conſequi haud difficulter poterant, cum characteribus noſtris ipſorum idioma ſcribi probè poſſet. Rex & Regina redeuntem Columbum vultu ſereno excipiunt, condecorantque innumeris titulis: volentes vt deinceps non Columbus ſed Admirans Oceanum appellaretur. Parant etiam illi ruſus liburnicas decem & ſeptem, atque celoces duodecim, & in eis homines mille ducentos, omni genere armorum communitos, atque commeatum multum: ſemina quoque frumenti & plantas quę mandarentur terræ; nam præter pinum & palmas, nullas habent in inſulis arbores nobis cognitas. Inſtituit quoque Admirans ſecum deferre inſtrumenta omnis generis ferrea, quæ conducerent vrbi condendæ, vbi ſui tuta haberent receptacula. Igitur prima Septembris ſoluentes Gadibus, ventis proſperè flantibus, prima Octobris applicuêre inſulam Canariam: atque inde ad læuam iter faciens Meridiem verſus adna-

Columbus appellatur Admirans.

adna-

adnauigauit, tandemque deuenit ad Canibalorum insulas. & quoniam die Dominico illuc venerunt, nuncuparunt eam Dominicam. & vbi cognouerunt incultam eſſe, vltra progreſſi in 20. diebus peruenerunt ad aliam insulam omni genere arborum refertã, quæ inenarrabilem odorem fragrabat. vnde nonnulli allecti amœnitate loci in terram deſcendentes, nihil animatum ibi conſpexêre præter lacertas inauditæ magnitudinis. Eam crucem appellarunt: & hæc erat quoque Canibalorum insula, vt reipſa demum cognouerunt. Circumuecti autem insulam caſas humiles compererunt ex lignis inſtar amphitheatri factas. Erigunt enim complures eminentes arbores in orbem, inque eis trabes figunt, quibus arbores inhærent, fitque vt his fulcimentis minimè ruant. Imbrices verò cùm domum cooperiunt, ita conſtituunt vt formam tentorij efficiant, ſurgitque in modum pyramidis, id eſt, in acutum. Demum has ſic diſpoſitas arbores in texunt palmarum folijs, & quarundam aliarum arborum, vt & ventos & imbres tutius arceant. introrſus verò trabes texunt funibus bombicinis & radice quadam. Cubilia habent eminentia, quæ fœno & bombice ſternunt. Itaque noſtris insulam, mox viri & mulieres relictis domibus fugerunt, & noſtri domos eorum ingreſſi, inuenerunt impuberes multos, vinctos, & ad ſaginam adſeruatos, & complures anus mancipiorum obeuntes officia. Inuenerunt etiam illic vaſa fictilia omne genus, in quibus elixabant carnes humanas pſitacis, anſeribus & anatibus ſimul admixtis: alias autem verubus impoſitas torrebant ſelectis oſſibus & brachijs humanis, quibus pro ferro vtebantur vt ſagittis ſuis affigerent: ferro enim prorſus carent. Inuenerunt

Dominica insula.

Domus Pyramidales.

nerunt etiam caput impuberis recens abſciſſum ſanguine adhuc defluente,trabi infixum. Cæterum mulieres quaſdam quæ ad noſtros confugerant. Admirans exornari iuſſit ritu noſtro & donari muneribus, ad ſuoſque relegari.quo factum eſt vt mox Canibali ad noſtros accurrerint pellecti muneribus quibus affici ſperabant. Sed vbi coram fuêre, illico terga dederunt proxima petentes nemora. Noſtri verò hinc ſoluentes repetebant Hiſpaniam inſulam.

PLVRIMAS PRAETERIENS Admirans inſulas, varios ſuorum euentus experitur. Cap.6.

RElicta Canibalorum inſula Admirans cum ſuis vltra progreſſus multas præterijt inſulas, inter quas vna erat Matinina nomine, vt interpretati ſunt viri inſulani quos Columbus ſecum abduxerat in Hiſpaniam, & quos vindicauerat à ſæuitia Canibalorum, quam ſolæ mulieres more Amazonum inhabitabant. Alias quoque innumeras præter nauigabant inſulas, quas appellauerunt montem Ferratum, S. Mariam rotundam,S.Martinum,S. Mariam antiquam, ſanctam crucem,in quam noſtri aquæ hauriendę gratia ingreſſi, inuenerunt quatuor Canibalos qui quatuor comprehenderant mulierculas : quæ viſis noſtris,complicatis manibus auxilium petere videbantur. liberatis autem eis viri in nemora dilapſi ſunt. Videntes verò noſtri cymbam in pelago venien-

hientem cum octo viris & totidem mulieribus, inita pugna cum eis amiſerunt vnum, quia barbari excutiebant ſagittas veneno infectis. præualuerunt tamen noſtri, & quibuſdam occiſis alios reluctantes ad Admirantem duxerunt: Hinc degreſſi innumeras alias inuenerunt inſulas; ſed quas ob nimiam vndarum ſæuitiam accedere non potuerunt, ſcopulorumque in littoribus frequentiam. Nonnullæ tamen celoces quæ altiore fundo non egebant proprius acceſſere, & ſupra quadraginta ſeptem inſulas numerarunt, locumque Archipelagus nuncuparunt. Hinc auecti aliam inſulam nacti ſunt nomine Buchema, quam Canibali frequenter adeunt, habentque cultores eius perpetuam pugnam cum hoſtibus ſuis nempe Canibalis eos adeuntibus. Tandem verò admirans peruenit cum tota claſſe ad Hiſpaniam inſulam, verùm omine inauſpicato, nam hi quos loco præſidij ibi reliquerat, omnes exuerant vitam, ſicut & ex ſuis quos ex inſula abduxerat, ſeptem ob Cœli mutationem interierant: vnus verò eorum qui ſuperfuerat, vbi ſuam patriam claſſis applicuit, ſponte ab Admirante emiſſus eſt. reliqui verò nando clanculum aufugerunt. Dubitans tamen Admirans de ſuorum omnium morte quos in inſula reliquerat, iuſſit tormenta quædam exonerari, vt reboatu edito, ſi qui deliteſcerent mox excitarentur: at nullus vſquam comparuit, cunctis fato functis. Tandem adactus Rex inſulæ Admiranti rem per interpretes vt potuit, ſic explicuit, eſſe in ea inſula reges ſe potentiores, qui ægrè ferebant Hiſpanos ſubegiſſe inſulas, propterea contenderant ad oppidum vbi Hiſpani degebãt, eoq; expugnato trucidauerint viros & oppidũ cõbuſſerint, ipſumq; ferentẽ noſtris ſup-

Pugna Canibalorum.

petias

Infidelitas inſulanorũ. petias ictum ſagitta fuiſſe; inque eius rei fidem brachium faſcijs circumuolutum oſtentauit. Sed deprehenſus fuit Rex hæc omnia confinxiſſe, parumque abfuit quin Hiſpani cum Admirante illum comprehenderint & pœnis exanimauerint. At ille elapſus ad interiora inſulæ, ipſo facto oſtendit ſe noſtros contrucidauiſſe: quem inſecuti noſtri multa miranda inuenerunt; potiſſimum flumina aurifera, & montem aurifero ſabulo conſperſum. Quo in loco Admirans ciuitatem condidit muroque præcinxit. atque hinc digreſſus cum multis luſtrauit totam ferè inſulam, & in interioribus extruxit arcem cui nomen S. Thomæ indidit, quo tutius arcana regionis tam fœcundæ ſcrutari quiret, aurique mineras vbique explorare. Relictis autem vbique præſidijs, ipſe cum tribus liburnicis profectus eſt, nouas quæſiturus regiones; venitque primùm ad Cubam, qua præterita peruenit ad inſulam Iamicam, Sicilia maiorem, feracem & habitatore frequentem. hac inuiſa & rurſum dimiſſa, percurrens littus Oceni innumeras vidit minores inſulas; ferebaturque propè in ſiccum: adeo Mare inſulis eſt ibi implicitum complûribus. vnde coactus fuit redire domum eodem itinere quo venerat. Interim verò dum Hiſpani in Hiſpania inſula egerunt, cœperunt incolæ ob caritatem annonæ fame laborare. cauſaque huius famis reijciebatur in Chriſtianos; qui eruerant ferè omnes radices, quibus barbari panem conficiebant. Et vbi incolæ compertum habuerunt, hæſiſſe cordi Chriſtianis, vt regione diutius potirentur, legatos mittunt, qui præfectum orent vt ſuos frenet, ne ab eis talia ferant quæ vix ab hoſtibus expectaſſent. nam, vt aiebant, ſub prætextu quærendi auri mala innumera inferebant, & ferè

Cuba.
Iamica.

Hiſpani abutuntur officio inſulanorum.

ferè totam deuaſtabant regionem: adiecerunt præterea legati ſe malle pendere vectigal, quàm his aſſiduè vexari incurſionibus, & quiete non vlla frui poſſe. Conuenit itaque inter eos vt Regi Chriſtiano vectigal ſoluerent, quoniam deficientibus radicibus, quæ illis loco ſilignis ac tritici ſuccedunt, panem conficere nequibant, niſi intolerabili labore nemora ferè omnia perluſtrarent. Numerabant ergo ſingulo trimeſtri auri quędam pondera, at qui aurum non habebant, pendebant aromata & colonum quod lini genus eſt. Interea igitur Hiſpani, qui auro fodiendo operam dare debuerant, ocio & laſciuiæ vacabant, & pręfectum ipſum pernicialiprofequebantur odio: effeceruntque ſuis moribus, vt barbari infrenes magis efferarentur, proſilirentque degenerantes ab omni probata vita, & expenſæ quas faciebant pro auro quærendo, ſuperarent lucra. Anno tamen 1501. bimeſtri legerunt ſupra duodecim librarum millia auri. Cæterum admirans faciens præfectum inſulæ fratrem ſuum Bartholomæum, ipſe in Hiſpaniam anno Chriſti 1495. redire conſtituit, vt Regem Hiſpaniæ de ſingulis certiorem redderet. At in itinere ab aliarum inſularum cultoribus, qui contra Hiſpanos conſpirauerant, bello petitus, potenti manu ſe contra eos defendit. **Auri copia.**

TERTIA NAVIGATIO COlumbi ad nouas inſulas. Cap. 7.

ANno Chriſti 1498. ſoluens Admirans ex Hiſpania cum ǫcto liburnicis peruenit ad Mederas inſulas, vbi claſſem bifariam partitus eſt. Nam quinque naues direxit ad Hiſpaniam inſulam, & cum reliquis ipſe pergit verſus Meridiem,

diem, traiecturus Aequatorem, ac deinde deflexurus in Occidentem, vt ſcrutaretur omnia quę Chriſtianis hactenus fuerunt incognita. Perueniens ergo ad Caput viride, vltra nauigauit vſque ad zonam Torridam, vbi in tantos incidit calores, vt non ſine vitæ diſcrimine partes illas adierit. Hinc nauem reflectens in Occidentem, ſalubriorem inuenit aërem, fauentibuſque ſuperis venit tandem ad terram cultam & habitatam: vbi venit contra ipſum & ſuos cymba cum 24. iuuenibus ſagittis onuſtis, geſtantibuſque clypeos; pudore tantùm cooperto bombicino panno, capillum habentibus admodum promiſſum. Hos Admirans nutu & ſignis quomodocunque quibat inuitabat ad mutua colloquia: illi verò non fidebant noſtris, ſemper veriti ne fraus ſubeſſet quæpiam. Videns Admirans minimè allicere poſſe eos nutibus & inclamationibus, decreuit eorum feritatem lenire melodia aut concentu aliquo. Muſica ergo excitata per tubicines, barbari allecti accedunt propius, audienteſque conſtrepentes tibias, rati ſunt belli ſignum eſſe, atque ideo expendiunt arcus & ſagittas. at Hiſpani appropinquantes eis, iecerunt in eorum cymbam indumenta quædam, & hoc amicitiæ ſigno volentes eos ſibi conciliare, etiamſi nihil effecerint. fugerunt enim omnes. Inde ergo Admirans ſoluens, venit ad regionem quæ Paria vocatur, habitatore plenam, qui toti humani erga exteros erant, oſtendentes vniones, aurum, baccas & alias ſimiles opes. introducenteſque noſtros in terram, omnes eis humanitatem exhibuêre. Cœperunt autem noſtri eos percontari vnde tantum auri eruerent. at hi quibus pro Sermone nutus erat, innuebant id è montibus quibuſdam egeſtum eſſe; nec

Feri homines.

Paria inſula.

Nutus pro ſermone.

tutò

tutò ipſos eò per id tempus proficiſci poſſe, quandoquidem aut fera ibi eſſent animalia quędam, aut anthropophagi Canibali, qui montes obſeruant. Deficiente autem tritico, coactus fuit Admirans hinc diſcedere, directoque greſſu ad Aquilonem, deuenit ad inſulam Hiſpaniam, vbi inuenit omnia ferè confuſa. Nam detrectabant Hiſpani qui in inſulis erant obedire Admiranti & fratri eius. quin & grauiſſimas querelas contra eos apud Regem Hiſpaniæ mouerunt, & tandem vinctos miſerunt in Hiſpaniam. Nos interim factis ipſius heroicis carmen iſtud gratulatorium qualecunque poſuimus:

Chriſtophorus, genuit quem Genua clara, Columbus
(Numine perculſus quo neſcio) primus in altum
Deſcendens pelagus, Solem verſusque cadentem
Directo curſu, noſtro hactenus abdita Mundo
Littora detexi, Heſperio paritura Philippo:
Audenda hinc alijs plura & maiora relinquens.

PETRVS ALONSVS, ITEM PINzonus Admirantis ſocius nouas inſulas quærunt. Cap. 8.

POſtquam Admirans regum indignationem incurrit, complures è ſuis alumnis qui ſulcandi Maris artem nouerant, decreuerunt Orbis partes inacceſſas adire, inter quos erat Petrus Alonſus, qui communita naui peruenit ad Pariam; deinde ad Curtanam, vbi cum incolis cœpit exercere commercia, pro acubus & ſonalibus vniones accipiens. Ingreſſus quoque terram honorificè fuit exceptus. In eorum nemoribus viſuntur pauones innumeri, noſtris nihil abſimiles, niſi quòd mares vix differunt à fœminis. Faſianis quoque regio ſcatet. Pauones.

Hinc Alonſus Canchietem regionem applicuit, quæ itinere ſex dierum diſtat à Curtana Occidentem verſus. ea regio abundat auro, pſitacis, bombice, & incredibili temperie aëris. Hinc delatus eſt in aliam frugiferam regionem, ſed quæ habebat feros homines, qui nullis officijs potuerunt ad amicitiam pertrahi. Relato ergo hinc gradu, deuenit in Cinianam regionem, vbi innumeri ſunt vniones. priuſquam tamen eò deuenit, incidit in Canibalos, contra quos tormenta exonerans facilè eos terga dare coëgit. Onuſtus ergo vnionibus Aloſus, patriam repetens in Hiſpaniam redijt. Anno Chriſti 1499. Vincentius Pinzonus quatuor expedit celoces; aditque primùm Canarias, deinde Caput viride, eaque nauigatione progreditur in Auſtrum longè vltra Aequatorem; & inueniens in quadam inſula homines, nulla ratione potuit illos ſibi conciliare. relictis ergo illis, aliam adeunt terram, in qua innumeri populi inermes atque nudi occurrerunt, ſimulantes ſe Hiſpanorum appetere amicitiam. Cumque vnus in turbam illam ex naui proieciſſet ſonaglium, illi viciſſim in Hiſpanos iecerunt fruſtum auri; & accurrente audaculo quodam vt tolleret auri maſſam, illi condicto hominem corripiunt mira pernicitate. Tunc noſtri relicta claſſe ſocio ſuppetias ferunt, & mox ingens conſeritur prælium, eòque diſcriminis noſtri peruenerunt, vt vix eis pedem referre licuerit; vrgentibus barbaris. Soluentes ergo inde contenderunt ad Aquilonem, veneruntque ad regionem Pa yra & adiacentes inſulas, in quibus ſunt nemora ſandalij, quo negotiatores onerant liburnicas ſuas, compontantque aliò. Fert quoque ea regio arbores, quę gignunt caſiam electiſſimam. Inuenitur etiam ibi

Vnionum copia.

Vincentius Pinzonus.

Sandalium.

ibi animal quadrupes & prodigioſum, cuius pars anterior vulpem, poſterior verò ſimiam præſentat, niſi quòd pedes effingit humanos, aures autem habet noctuæ, & infra conſuetam aluum, aliam habet inſtar crumenæ, in qua deliteſcunt catuli eius tantiſper donec tuto prodire queant, & abſque parentis tutela victum ſibi comparare. nec vnquam exeunt crumenam, niſi cum ſugunt. Portentoſum hoc animal cum catulis tribus Hiſpalim delatum eſt; inde verò Granatam. *Portentoſum animal.*

DE QVATVOR NAVIGATIONIBUS *Americi Veſputij ad nouas inſulas. Cap. 9.*

AMericus Veſputius à Ferdinando Rege Caſtiliæ vnà cum Columbo circa annum Chriſti 1492. ad quærendum incognitas terras emiſſus, nauigandique artem edoctus; elapſis aliquot annis proprias inſtituit nauigationes, duas ſub dicto Rege Ferdinando, & duas ſub Emanuele rege Portugalliæ: atque de illis ipſe ſcribit in hunc modum: Anno domini 1497. viceſima menſis Maij cum quatuor nauibus venimus ad inſulas Fortunatas, vbi polus Septentrionalis eleuatur gradibus 27. & minutis 40. atque inde in 27. diebus peruenimus ad terram magis Occidentalem quàm Fortunatæ ſunt inſulæ, vbi polus Sep. attollitur gradibus 16. inuenimuſque ibi gentem nudam innumeram, ſed qui conſpectum noſtrum fugerunt in montem propinquum. Inde duos dies nauigauimus donec ſolidum inueniremus portum: & inuenimus plures homines quos vix potuimus allicere *Prima Veſputij nauigatio.*

ad colloquium noſtrum, oblatis nolis, ſpeculis, crateribus cryſtallinis, & ſimilibus iocalibus. Animaduertentes verò animum noſtrum ſincerum, turmatim accurrerunt, atque omni ſecuritate adiunxerunt ſe nobis. Hi in vniuerſum vt ex materno vtero prodierunt, nudi incedunt. nullos ſinunt in corpore pilos præter capitis, etiam ſupercilia tollentes. Habent omnes peritiam natandi, vt etiam ad duas leucas ſine ſuſtentamine nationem continuare poſſint, maximè autem mulieres. Arma eorum ſunt arcus & ſagittæ. armant autem ſagittas beſtiarum & piſcium dentibus, quia carent ferro & alijs metallis. Pugnant contra confines qui alienæ ſunt linguæ. pugnant autem non pro regno ampliando, cùm nullum habeant magiſtratum, nec pro diuitijs augendis, cùm ſuis ſint contenti; ſed vt ſuorum mortes vindicent anteceſſorum. Commeſſandi modum barbarum tenent: ſolo accumbunt cùm manducant, ſine mantili. In retiaculis quibuſdam magnis bombicinis in aëre ſuſpenſis dormitant. Corpore valdè mundi ſunt, quia ſeipſos frequenter lauant. in dimittenda vrina planè immundi & inuerecundi ſunt. Nullum legitimum thori fœdus habent in connubijs; habet quiſque quot vult mulieres, repudiatq; eas quādo vult, citra iniuriam. Mulieres valdè fœcūdæ ſunt, & dum vterum geſtant, nullum vitant laborem. Pariunt nullo ferè dolore, ita vt in craſtinum alacres rurſum ambulent. nec habent ob nimium partum ventrem rugatum aut mamillas laxas. Habitationes ſingulis ipſis communes ſunt, ipſæque illorum domus campanarum inſtar conſtructæ, firmiter ex magnis arboribus ſolidatæ, palmarum folijs deſuper contectæ, & aduerſus ventos ac tempeſtates tutiſſimæ.

Gens nudo corpore incedens.

Mulierum fortis ac ſana natura.

ſimæ. Nonnullis etiam in locis tam magnæ ſunt, vt in vna illarum ſexcentæ perſonæ verſari queant. Septennio quolibet aut octennio transferunt ſedes ſuas, ob id quòd ex illorum longiore in eodem loco reſidentia aër corrumperetur. Commutationibus aut mercimonijs in vendendo aut emendo nullis vtuntur, quibus ſatis eſt quod natura ſua ſponte propinat. Aurum, vniones, iocalia, cæteraque ſimilia, quæ in Europa pro diuitijs habemus, ipſi nihili pendunt. Carent omni farris ſemine: communis verò eorum victus arborea quædam radix eſt, quam in farinam comminuunt, alijſque carnibus præterquam hominum perraro veſcuntur. Omnes hoſtes ſuos quos capiunt aut perimunt, magna feritate degentiunt. His omnibus exploratis, decreuimus producere longius nauigationem noſtram, ſectanteſque aridam ipſam, venimus poſt aliquot dies ad portum quendam, vbi inuenimus circiter viginti domos ingentes in modum campanarum erectas. acceſſit quoque ad nos magna hominum multitudo ſub ſpecie amicitiæ, quidam natantes, alij cymbis vecti, & ſubitò arcus ſuos intenderunt contra nos: quod videntes magnanimiter defendimus nos, & circiter 20. ex eis interimus: vulneratis verò pluribus, & ex noſtris quinque duntaxat læſis, qui tamen omnes incolumitati fuerunt reſtituti. Relicto ergo portu illo lōgius progreſſi comperimus gētem aliam linguā & conuerſatione penitus à priore diuerſam. nam egreſſi naues magna amicitia ab eis ſuſcepi ſumus, & pro more ſuo honorificenter tractati, conuerſati inter eos nouē diebus. Eſt regio eorū multū amœna, fructiferaque, ſyluis maximis plena, quæ omni tēpore virent. fructus habēt innumerabiles, noſtris

Aedificia.

Victus.

Parias amœna regio.

omnino diſſimiles. Sita eſt enim ea regio directè ſub Parallelo, qui cancri tropicum deſcribit. Prouincia ipſa Parias ab ipſis eſt nuncupata. Hinc verò longiſſimè nauigantes, & gentes multas prætereuntes, & vbique aurum inuenientes, ſed non in magna copia, venimus ad nationem humaniſſ. vbi perſtitimus 37. diebus, conqueſtique ſunt nobis incolæ, eſſe gentem quandam ferocem & ſibi maximè infeſtam, quæ certo anni tempore veniens, per vim multos interimeret, abduceret, & manducaret, contra quam ſe vix defendere poſſent. Quam rem cùm nobis magna querimonia narrarent, & nos illis promitteremus, nos eos de tantis iniurijs vindicaturos, illi iunxerunt ſeptem ex ſuis nobis, venimuſque poſt 7. dies ad inſulam Ity, vbi inhumani illi homines habitabant, & armis inſtructi contra nos proceſſerunt; cùm quibus congreſſi & duabus horis preliati, in fugam eos vertimus, interfectis ex eis vulneratiſque plurimis, & 25. captis: ex noſtris autem vno interempto & 21. vulneratis, & paulò poſt ſanatis. Dedimus autem ſeptem illis viris qui nos comitati fuerant ex captiuis noſtris tres viros & 4. mulieres, quos cum magno gaudio ſecum abduxerunt in terram ſuam. & nos Hiſpaniæ viam ſequentes, cum multis captiuis venimus Calicium anno 1499. decimaquinta Octobris, vbi captiuos noſtros vendidimus, & lætiſſimè ſuſcepti fuimus.

Latrones barbari caeduntur.

SECVN-

SECVNDA NAVIGATIO Veſputij. Cap. 10.

MOX ſequenti Maio Veſputius aliam ſuſcepit nauigationem, peruenitque per Canarias ad torridam Zonam, & inuenit terram extra Aequatorem ad partem Auſtri ſitam vbi polus Meridionalis eleuatur quinque gradibus. Cumque terram non poſſet ingredi, atque hinc inde vagaretur in Mari, comprehendit nauiculam quandam, in qua circiter viginti erant homines. at illi proſilientes in Mare, omnes euaſerunt præter duos quos ceperunt. In lintre autem eorum quam deſeruerant, bis geminos iuuenes inuenerunt, non de eorum gente genitos, ſed quos in tellure aliena rapuerant. quorum ſingulis ex recenti vulnere virilia abſciderant, Hos Veſputius in ſuas recipiens nauiculas, didicit ex nutibus eorum, ſe à Canibalis captos, & propediem manducandos. Plaga ergo illa relicta & vltra nauibus progreſſi, venerunt ad portum tutum, repereruntque multos homines, cũ quibus inita amicitia, fecerunt commercia, vnica nola ementes quingentos vniones. In ea terra vinũ ex fructibus ſementibuſque expreſſum, vt ciceram cereuiſiamque albam & rubentem bibunt. Hinc ergo ſoluentes & longiùs abeuntes, inuenerunt inſulam quandam in qua populus erat beſtialiſſimus ac ſimpliciſſimus, benignus tamen. hi aquam dulcem non habent in terra ſua, ſed colligunt rorem nocturnum decidentem ſuper certis folijs, auriculis aſini ſimilibus. Viuunt ex piſcibus Maris; nulla habent tuguria aut domos, ſed habent folia quædam grandia, ſub quibus à Solis feruore ſed non ab imbribus ſe protegunt. Veriſimile tamen eſt quod pa-

Populus beſtialis & ſimplex.

rum in terra illa pluitet. Hac ergo inſula relicta, Veſputius cum ſuis in aliam transfretauit inſulam, quam ingreſſus inuenit caſas quaſdam, in quibus inuenit duas vetulas & tres iuuenculas, quæ tantæ erant ſtaturæ vt omnes mirarentur earum magnitudinem. Cumque inter ſe deliberarent vt iuuenculas quaſi rem admirandam abducerent in Caſtiliã; ſuperuenerunt 36. viri adhuc multò maiores mulieribus, ferentes arcus & ſagittas, nec non ſudes magnas inſtar clauarum, ex quorum conſpectu territi noſtri, repetebant naues ſuas. Inſequentes verò gigantes illi vſque ad Mare, cœperunt ſagittas vibrare in Hiſpanos, quouſque illi duas machinas in eos dirigentes horrifico ſono illos in fugam verterunt.

Gigantes fugantur.

Inſula Gigantum

Diſcedentes proinde noſtri, appellauerunt inſulam illam Gigantum inſulam, veneruntque ad gentem quandam aliam, quæ eos amicè ſuſcepit, pluresque vniones obtulit, ita vt decem & nouem vnionum marcas leui pretio ab eis emerent. Obtulerunt quoque Oſtreolas quaſdam, vbi in quibuſdam centum & triginta vniones, in quibuſdam verò pauciores inueniebantur. Hinc abeuntes venerunt ad Antigliæ inſulam, quam Columbus ſuperioribus annis diſcooperuerat. quâ relicta, rectâ ad Caitium Hiſpaniæ portum nauigarunt, fueruntque cum honore ſuſcepti.

TER-

TERTIA ET QVARTA Veſputij nauigatio. Cap. II.

VOcatus autem Veſputius ex Caſtilia ad Emanuelem regem Portugalliæ, anno 1501. decima Maij ſoluit à portu Vliſſibonæ, nauigauitque ſecundum littus Atlanticum quouſque peruenit ad Aequatorem. Decima ſeptima Auguſti venerunt ad terram in qua erant multi homines beſtijs breuiores. Sita eſt terra illa quinque gradibus vltra Aequatorem ad Auſtrum. Inſulani verò magna copia congregati, nutibus inuitarunt noſtros vt ad ſe de nauibus egrederentur, & viderent inſulam eorum. Erant duo in naui, quibus libuit egredi & videre quales gentes forent, aut ſi quas diuitias ſpecieſve aromaticas haberent. Egreſſi autem ſunt data conditione, vt reuerterentur poſt quinque dies ad ſummum. Expectantes autem octo diebus in naui, illi non redierunt, in quibus diebus gens permulta noua adueniebat, ſed colloqui cum extraneis noluerunt, donec tandem fœminas adduxerunt, quæ familiares erga Hiſpanos ſe exhibuerunt. quod videntes Hiſpani, iuuenem vnum ex ſe emiſerunt validum & agilem: quem cum mulieres contingerent palparentque, & propter eum non parum admirarentur, ecce fœmina quædam de monte aduenit, & vallo quodam à tergo percuſſit, vt ſubitò mortuus in terram concideret, quem confeſtim alię mulieres corripiẽtes, pedibus in mõtem traxerunt, & viri ad littus currentes, noſtros arcubus & ſagittis impetebant. Hiſpani verò 4. machinarũ fulmina emittentes, illos in fugam verterunt. *Sæuitia quorundam inſulanorum.*

Mu-

Mulieres interim quæ iuuenem trucidauerant, Hiſpanis videntibus in fruſta ſecarunt, nec non fruſta ipſa eis oſtentabant, & ad ingentem ignem torrebant & manducabant. Viri quoque ipſi ſigna dabant, ſe alios Chriſticolas ante octo dies emiſſos ſimiliter peremiſſe & manducaſſe. Tam magnam ergo ac tam grauem iniuriam Hiſpani paſſi, cum maleuolo animo illis impunitis abſceſſerunt. Longius ergo ad Auſtrum digreſſi, inuenerunt copioſam gentium multitudinem, quos mitioris conditionis quàm priores repererunt; quinque diebus apud illos manentes & cum illis negotiantes. Hinc vltra progreſſi venerunt vltra tropicum Capricorni, vbi polus Meridionalis eleuatur triginta duobus gradibus. vbi in tantam venerunt tempeſtatem vt cogerentur omnia vela colligere, & cum ſolo nudoque malo remigare. Remeantes ergo, verſus Aethiopiæ latus arripuerunt iter, atque ita regreſſi ſunt Vliſſibonam,

Anthropophagi.

Quarta Veſputij nauigatio facta fuit anno Chriſti 1503. ſed ad ſperatum finem non fuit perducta, ob infortunium quod accidit in ſinu Maris Athlantici. Inſtituerat Veſputius inuiſere inſulam Melchã in Oriente poſitam, in qua dicuntur eſſe diuitiæ multæ, & vbi ſtatio eſt omnium nauium à Gangetico ſinu & ab Indico Mari venientium. Eſt autem Melcha plus ad Occidentem, & Calechutia plus ad Meridiem reſpicit. Venit autem Veſputius primum ad Virides inſulas, ac inde nauigans peruenit ad Serralionam Auſtralem Aethiopiæ terram, vnde paulò vlterius progreſſus, vidit inſulam in medio ponto altam & admirabilem, ſed vbi præfectus nauium nauem ſuam perdidit: illa enim ad ſcopulum colliſa fracta eſt & ſubmerſa, euadentibus nautis.

Melcha inſ.

Habue-

Habuerat ea nauis trecenta dolia, eratque in ea omnis claſſis potentia. Ingreſſi autem inſulam, inuenerunt eam incultam, plenam tamen auibus, ſed nulla erant in ea animalia præter mures & lacertas bifurcam caudam habentes, atque ſerpentes. Prouiſione ergo de neceſſarijs facta, coacti ſunt redire in Portugalliam, ſpe ſua fruſtrati. Atque hæc de Americo Veſputio, cuius manibus iſtud relinquemus Elogium.

Dignus ego ante alios magni comes ire Columbi,
Naualem ſub quo didici tolerare magiſtro
Militiam: hinc proprio pedibus contraria noſtris
Regna meo Regi quam plurima Marte ſubegi:
Teſtis erit nomen retinens de nomine noſtro
Maxima totius pars Orbis America dicta.

FRANCISCVS PIZARDVS Gonzalli filius Truſiglienſis Iberus Peruuiæ ſubactor. Cap. 12.

NEC minori virtute in longinquis nauigationibus peragendis fuit Franciſcus ille Piſardus, cuius hoc in negotio virtus aliquot annis pòſt claruit. Fuit autem natione Hiſpanus, ex vrbe Truſiglia oriundus, filius quidem (ſed nothus) Gonzalli tribuni militum apud Nauarræos: natuſque fuit ſeu in portico, ſeu è regione templi eius vrbis. iniquitate autem patris reiectus & expoſitus à nulla fœminarum nutriri permittebatur: ita vt niſi ſcropha eius miſerta ipſa vbera admouiſſet, perire ipſum omninò neceſſe fuiſſet. Poſt varias autem cala-

calamitates in ſua perpeſſas infantia, tandem à patre receptus porcorum gregi præficitur, vel vt planiùs dicam, in ſubulcum ipſum ſibi aſciuit. In dura autem hac & ſeruili ſub patre conditione, cùm ſiue caſu ſiue incuria vnum atque alterum de grege porcum amiſiſſet, in duriſſimi patris conſpectum redire veritus, fugę conſuluit. Siuiliam itaque cùm perueniſſet, ſumptibus fratrum ſuorum inſtructus, Ferdinandi Lucæ, & Diego de Almangro, in Indiam cum Alphonſo de Hoieda ablegatur. Cumque in S. Dominici inſula aliquamdiu commoraſſent, inde ſoluentes cœptum iter peragunt. Hic Piſardus noſter animi ſui fortitudinem ac generoſitatem prodens feliciſſimè totam Peruuiam in ſuam redigit poteſtatem: captoque Rege Atabalipa, plus auri & argenti ex ampliſſimo iſto Regno accumulauit, quàm vllus Hiſpanicarum claſſium dux ante hæc tempora fecit. Quin & ipſe Rex Atabalipa iam captiuus tantum auri & argenti aceruum pro redemptione ſui Piſardo obtulit, quantum erectus extenſo in altum brachio manu ſua pertingere poſſet. Quamuis egregius hic dux ſuorum militum ac ſociorum inuidia ac conſpiratione oppreſſus, non modò grauiter coram Philippo Rege accuſatur, multorumque criminum inſimulatur, ita vt grauiſſimam regis indignationem incurreret (in hoc autem maximè deliquerat, quod Falconem de Caſtro, & cum ipſo alios aliquot quacunque de cauſa occidi curaſſet) ſed tandem etiam ab illis vniuerſis inſidijs circumuentus ſternitur & confoditur. qua in pugna ſolus circiter ducentorum virorum impetum ſuſtinuit, tamque ipſis diu reſiſtendo vitam ſuam defendebat, donec pluriũ cæde peracta mortem ſuam iam vltam ſatis eſſe putaret; atq; ita ſuc-

Piſardus ſubulcus.

Piſardus Peruuiæ ſubactori

cum-

cumbens ſpiritum redderet. Quod factum eſt prope Coſcoam, Anno 1541. vigeſimo quarto Iunij: Erat vir aliàs veſtitu ac ingenio ſimplici, doli expers, ad militandum quàm ad regendum aptior; vultu hilari ac honeſto; pileo vtplurimùm vtens pretioſa quadam pelle ſubducto. Manibus autem eius & hoc qualecunque epigramma ponimus:

Ille ego qui propria famam virtute paraui
Pizardus patri nothus, at notiſſimus Orbi;
Armis namque meis olim ampla Peruuia ceſſit;
Omnis vt Hiſpano duce me ſit ſubdita ſceptro:
Pluraque feciſſem numeroſo carmine digna,
Indigna ſi non ſublatus morte fuiſſem.

GENEROSISSIMVS RENAtus Laudonnierus Francicæ in Americam claſſis dux. *Cap. 13.*

IAM & Franci cuiuſdam virtutes nauticas breuiſſimè attingamus; is erat Renatus quidam Laudonnierus nobilis Franciæ eques. Cùm enim quodam tempore Carolus 9. Rex Franciæ à Caſtillione Thalaſſiarcha admoneretur, ne paucis iſtis Francis quos Ioannes Ribaldus in Florida in ipſius ibi rem & gratiam reliquerat, ſubſidia mittere nimium tardaret: facultas ipſi à Rege ad id deligendum quem idoneum cognoſceret virum dabatur. Admonitus igitur Laudonnierus, vt pro innata ſibi prudentia & vitæ integritate, viros ſibi deligeret fortes, pios, ac ingenioſos, cùm & ipſe religioni addictiſſimus eſſet,

quos

quos ſibi in prouincia iſta ſuſcipienda comites adſciſceret, & inſtructa claſſe in nouam Orbem ſecũ abduceret. Dictis parens Laudonnierus, plena ſibi à Rege poteſtate ad hanc rem tradita, anno 1564. vigeſimo Aprilis, ex portu gratioſo ſoluens, Americam verſus vela tendit; ac primùm ad inſulam Fortunatam ſiue Canariam perueniũt; hinc ad Antillæ, ac deinceps ad S. Dominici inſulam, in qua dulci ſibi aqua comparata, non ſine iactura tamen duorum ex ſuis ſociorum, tandem 22. Iunij Floridam attingunt, regnum ampliſſimum, nouæ Franciæ vicinum, quam tamen Nouam Franciam magnitudine ſua Europam adæquare compertum eſt. Florida terra eſt cultiſſima, & propter complurium nauium ad ipſam diuerſis locis ac temporibus aduentum, nobiliſſima. Hãc igitur, vt breuiter dicam, cùm ſubegiſſet; multaque in ea præclara geſſiſſet (quæ commemorare omnia libelli compendium non patitur) in eaque munitum etiam caſtrum extruxiſſet, in ipſa terra, cùm iam omnia ſe pericula deuiciſſe arbitraretur, à ſuis ipſis dolo circumuentus capitur, atqua in nauem deportatus cuſtodiæ relinquitur. Conſpirationis autem huius magiſter erat Dominus Fourneaux, cuius inſtinctu Marillac antea falsò apud Laudonnierum criminabatur Gieuren virum nobilem ac pium, qui inſidijs ſibi ſtructis cùm præuenire non poſſet, in ſolitudinem aufugit. Capiebantur autem etiam cum Laudonniero intimi eius ac ſingulares amici, quorum primarij erant Ottignius & Arlaſius, exutis & ſpoliatis omnibus ſuis armis ac ſupellectile itineraria. His ita patratis proditores noſtri in Hiſp. nouam ſe cõferunt, ad ea quæ animo ſuſceperant peragenda. Guerres autem re cognita ad caſtrum redit, Laudon

Expeditio nautica Laudonneri.

Floridæ ſubactor.

Laudonerus inſidijs circũuentus.

donnierum ex captiuitate liberat, pro virili ſe de integro muniunt, ſeditioſorum aduentum expectantes, qui in reditu cùm iam propè aduenifſent, & omnia interim irrita facta intellexiſſent, ſupplicij metu redire verentur. tres tamen primarij ſeditioſorum fugæ ſe dant: reliqui gratiam Laudonnieri experiri malentes, ſe ipſi ſubijciunt: quos licet benignè receperit, præcipuos nihilominus tres eorum qui tum inter ipſos erant, morte mulctat. Cumque deficiente victu in patriam reuerti ſtatuiſſent, caſtrum demoliuntur, ne vel Hiſpanis vel alijs in eo nidificandi occaſio detur. Denique citra omnem expectationem ab Hiſpanis circumuentus, cum ſuis poſt multam luctam capitur, ac citra datam fidem poſtmodo omnes trucidantur. Cui nihilominus & ſuum carmen apponere placuit:

Laudibus intactus num Laudionerus abibo?
Florida regnorum comprendit America quæ
nunc
Haud minimum cuius Francis virtute ſubactum,
Perfida quem ſi non ſociorum turpiter hoſti
Factio prodiſſet (cuius ſemel omnibus vltis,
Elapſus manibus) quæ, qualia, quanta patraſ-
ſem.

NOVI ORBIS PARS MERIdionalis, Peruuia dicta, & de Caſtella Aurea. Cap. 14.

ENumeratis iam aliquot præcipuis Nouarum inſularum inuentoribus, etiam ipſas prouincias ordine breuiſſimo percurremus. Peninſula hæc noui Orbis quæ tota ferè in Meridiem porrigitur, Africæ & ingenti pyramidi aſſimulari poteſt, cuius baſis prope Iſthmũ eſt, ac verſus Boream; quam quidem illa terra efficit, quæ Hiſpanis firma vocatur. Vertex ſeu cuneus ſenſim extenuatus ad Magellanicum deſinit fretum verſus Antarcticum polum grad. penè 53. ab Aequatore diſſidens. Orientale latus pulſatur vaſtiſſimo Oceano del Nort vocato; Occidentale verò clauditur ingenti itidem Oceano, qui vulgò Mar del Zur, & Pacificum vocatur. Totius huius Continentis Meridionalis circumnauigationem ferunt quatuor circiter millia miliariorum German. cuius ſanè Orientalis pars à Maragnone fluuio ad Argenteum vſque fluuium, vulgò Rio della Plata, Luſitanorum iuris eſt; reliquum Regibus Hiſpaniæ acquiſitum eſt. In hac porrò Orbis portione ſunt continua ſerie à Borea ad Auſtrum expanſi montes ſpectatæ celſitudinis, ad quorum cacumina nec aues ſuo volatu aſcendere queunt: ab his ingentes exoriuntur fluuij qui ad vtrunque Oceanum ſuas mittunt aquas. inter hos celeberrimi, & magnitudine admirandi ſunt plerique, nimirum Argenteus & Maragnon. Argenteus vulgò Rio della Plata dicitur, ab ingenti nimirum copia: is enim quacunque tendit, agros & incolas inexhauſta argenti copia afficit.

Forma Peruuiæ.

Circuitus eius.

Argenteus fluuius.

afficit. poſtea permultis influentibus amnibus adauctus, in Oceanum del Nort ingenti oſtio 40. leucarum amplo præcipitat. Maragnon quoque fluuius in immenſam latitudinem & longitudinem pateſcit: ferunt enim nauigatum fuiſſe mille ſexcentis miliaribus; ac oſtium eius 70. leucas complecti. Et etiam Peruuia hæc auri & argenti miro prouentu beata, ac omnibus affluit rebus tam ad humanæ vitæ neceſſitatem, quàm ad delicias, nec deſunt in ea pretioſi lapilli. Hoc tamen imprimis maximo laborat incommodo, quòd incolas habeat moribus ferinis, ac penè inhumanos, quibus quidem humana caro ſuauiſſima eſt eſca, præter immunda animalia ac inſecta quæ comedere ſolent. Multæ, imò innumeræ in hac ſunt regiones ac prouinciæ: quarum quædam cognitæ ſunt, ac ſatis exploratæ: nonnullæ verò vix nomen notum habent, quod vel ob eorum inopiam accidit, vel ob incolas bellicoſas, terribiles ac indomitos. Nos ergo de præcipuis tantùm dicemus, quę ſunt: Caſtella aurea, Peruuia, Chile, & Braſilia, quæ ab Hiſpanis & Portugallenſibus ſatis cultæ ſunt.

Caſtella aurea eſt pars terræ firmæ ab Hiſpanis ita vocatæ, quæ extenditur à Theonyma vrbe, & à Panamaide vſque ad ſinum Vrauæ & D. Michaelis, & occupat iſthmum totum, quo duæ hæ Noui orbis pręcipuę partes firmiſſimo vinculo conſtringuntur; cuius quidem iſthmi latitudo octodecim leucas occupat, ſeu ſeptuaginta duo miliaria Italica. Eſt autem hæc terræ pars malè habitata ac parum culta ob Cœli inclementiam, & ob ſtagnantes aquas. duæ nihilominus ſunt in ea celebres vrbes, ac populo frequentes, iuxta vtriuſque pelagi littora ad appellentium opportunitatem extructæ; *Caſtella aurea.*

licet in ſalubri & ipſę potiantur aëre, nempè Theonyma, vulgò Nombre de Dios, quæ Mari del Nart; & Panamais quæ Peruuino Mari ſeu Oceano Pacifico appoſita eſt. & hæ quidem vrbes quæcunque vel è Peruuina regione in Hiſpaniam, vel ex Hiſpania in Peruuiam aduehuntur, fido portuum hoſpitio excipiunt. ſiquidem diuitiæ & merces quæ ex Peruuia in Hiſpaniam deportantur, exonerari neceſſe eſt in vrbe Panamaide, & inde terreſtri itinere tranſportanda ſunt ad vrbem Theonymam, vbi de nuò nauibus impoſitæ in Hiſpaniam deferuntur. contrà verò quæcunque ex Hiſpania conducuntur, exoneranda prius ſunt in vrbe Theonyma, vt pedeſtri itinere Panamaidem perducantur, & ab hac in Peruuiam nauigijs comportentur.

Theonyma et Panamais vrbes.

PERVVIA MINOR, SIVE EA

Peruuiæ pars quæ toti terræ nomen tribuit. Cap. 15.

PEruuia prouincia totius noui Orbis famoſiſſima, tota ferè intra Aequatorem & Tropicum Capricorni clauditur. Suntque eius fines à Septentrione noua Granata, Caſtella aurea, & Peru fluuius ac portus qui huic regioni nomen dat: ab Occaſu eſt Oceanus ſeu Mar del Zur: à Meridie Chila prouincia: & ab Ortu montes; occupatque longitudine ſua hæc prouincia mille & octingentas plus leucas. Detecta fuit primùm à Franciſco Pizardo, anno 1525. cuius præfecturam paulò poſt à Carolo Quinto obtinuit, atque eam penè perluſtrauit & occupauit.

Hæc

Hæc autem diuiditur hodie in tres partes, nempè in planitiem; in ſieras ſeu montaniam; & in Andes ſeu Vltramontanam. Planities Peruuiæ iuxta maritimam oram expanditur miliaribus propemodum 1500. Ital. eius latitudo maior ad 60. accedit, minor verò ad 30. Eſt autem hæc pars ſabuloſa, ſolitudinibus frequentibus deformis, ac maiori ex parte ſterilis, præſertim cùm nec vllos habeat fontes aut lacus, nec vllis imbribus aut pluuijs vnquam adiuuetur. Sunt tamen in ea agri permulti circa fluminum ripas viriditate ac fœcunditate læti, quippe qui hyemali tempore a fluuijs ipſis à præcelſis rupium ſummitatibus delapſis effuſiſque, qui nuſquam maiori quàm duorum aut trium miliarium ſpatio inter ſe diſtant, vtili perfuſu ac inundatione irrigantur: qui etiam agri ipſi ab accolis magna induſtria irrigantur & exercentur; vnde poſtea goſſipium, varij coloris & omne frumenti genus copioſè reddunt. Huius tractus incolæ viles ſunt, puſillanimi & inopes, qui ſub arboribus & inter arundines ac iuncos viuunt ac dormiunt, quorum eſca ſunt piſces & crudæ carnes.

Peruuia triꝑartita. *Planities Peruuiæ.*

Montana regio Peruuiæ longo extenditur tractu à Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, & aliquibus in locis minus. Sunt verò hi montes admodum frigori obnoxij, in eiſque frequenter niues cadunt: nec arbores vt plurimùm proferunt, vnde incolæ ignem ex terra quadam ad hoc apta fouent.

Montana regio.

Reperiuntur hîc leones, lupi, vrſi nigri, capreoli, & quoddam pecudum genus camelis ſimile, è quarum lana veſtes gauſapinas, & alia neceſſaria conficiunt.

Continentur inter hos montes multæ amplæ

valles ac profundæ,fertiliſſimæ, ac populo numeroſiſſimæ,cùm aëre potiantur calidiore. Et incolæ quidem harum vallium cæteris huius tractus ingenioſiores,animoſiores,ac ciuiliores ſunt.

Andes montes. Andes ſunt etiam montes, ſed continua ſerie producti abſque vallibus,qui etiam à Septentrione in Meridiem incedunt,& inter hos & alteros montes Collao prouincia clauditur, quæ ſanè vtplurimum montibus referta eſt,ac frigori ſubiecta, ſed tamen valdè populoſa,

Montanæ regionis felicitas. Montana regio,vt ait Leuinus Apollonius, maritimæ regioni hominum cultu, vrbium frequentia, & ſoli aërisque beatitudine longè præſtat, ac peculiari idcirco regum ſede,procerumque habitaculo excoli conſueuit. Terra enim omnis egregia clementis Cœli temperie adiuta,multò innumerabilium riuorum,amniculorumque quos montes profundunt, excurſu mirificè fœcundatur, ita vt graminoſis vbique viretis lætiſſimè tranſeuntibus arrideat, & fertilibus paſſim pratis grauida omne leguminum genus liberaliter præbeat. Nam præter Chamæ ceraſia,& alia eius ſortis mora dumetis aſſueta,lactucas etiam,braſſicas,caros, daucos,rapſanos magna proceritate luxuriantes ſed tenuium etiam menſis vulgares,amaracum, naſturtium,petroſelinum,ſaluiam,oxylapathum, mentam, & inuiſam Veneri portulacam, condiendis epulis lautiſſimas herbas profert, & cætera porrò omnia, quæ poſtea Hiſpanis ferentibus accepit, vberrima referendi benignitate reddit.

Præter

Præter has & aliam herbam edit, flauos flores tenuiſculis petiolis egerentem frondium habitu apio non abſimilem, quam celebratiſſimo à Græcis ſcriptoribus potamio ſtratiote potentiorem vulneri etiam renaſcenti, & chirurgorum deſperatione deplorato vnicum ſolum remedium afferre; eandem autem carnem ſanam ac valentem (ſi huic adhibita ſit) ad ima oſſa peredere ferunt. Hac etiam præſtantior naſcitur altera (Cocam indigenæ vocant) frondibus eius arbuſculæ ſimilis, quæ Græcis Rhus dicta eſt, Latini fruticem coriarium vocarunt, quæ, ſicuti reipſa compertum eſt, omnem cibi ac potus appetitum auertit in ore geſtanti.

Verùm ante alia frumentũ tanta fecunditate luxuriat, vt ſicut proditur, ipſe dicere verear, vno ex ſatiuo frumenti ſextario amplius quinquaginta aut centum, ducentos interdum progigni. quod eò certè vehementius demirari licet, quòd leuiſſimam tenuiſſimamque agriculturæ curam ac rationem exerceant.

Agros enim leuiter expurgatos, & lolijs euulſis ſarritos, cùm aratrum vomeremque penitus ignorarent, non tanto inductis ſulcis ſubruendi, glebas occandi, deinde poſt iacta ſemina cylindro æquandi labore fatigant incolæ, quantum noſtri ad fruges ferendas requirunt; ſed lignea pala modicè vulgeratam humum leuiter inuertunt, ſcrobibuſque effoſſis grana paſtino ligneo, ſicut apud nos fabæ ſolent, depangunt, quæ regeſto denuum ſuperfuſo condita in ſummam luxuriam prorumpunt.

Pe[illegible] uuino [illegible] mirab [illegible]

Herbarumque frumentique copiæ arborum fœcunditas reſpondet, quarum non illæ modò, quas nouit Europa, egregiè creſcunt; ſed earum etiam plurimas inuenire licet, quæ nobis nomine naturaque ſunt prorſus incognitæ. Nam vt in montanis fieri ſolet, nigrantes plurimis in locis ſyluæ occurrunt, quæ non omne arborum genus modò, & earum caudicibus vberrimam lignandi copiam, ſed in cauis abditiſque ſpecuum luſtris magnam ferarum multitudinem ſubminiſtrant. Pumilium etiam animantium campi, ac imę valles ad aucupum voluptatem vſque adeo ſunt plenæ, vt lepores, cuniculi, turtures, columbæ, ficedulæ, niſi, frigillæque nullo anni tempore menſis deſint. Sed ne pſittaci quidem, vulpes, vrſi, ac leones rara montanis ſunt animantia: equi non iſthic modò, ſed per vniuerſum orbem nouum penitus incogniti. verùm horum egentiam, quanquam imparibus & ineptis ad bellum viribus, ouium copia ſupplet, quæ equis magnitudine pares, & cætera forma, præter toroſi pectoris ſtrumam, camelis perſimiles, quinquaginta onerum pondo ſuſtinent, & virum in terga ſublatum ad aliquot paſſuum millia vehunt; feſſæ, ſi tamen vrgeantur, ſedentes ore conuerſo ringentes fœdo odore conſpurcant; ſi onuſtæ ſint, tum humo ſeſe acclinant, nec inde vlla vrberum vehementia, ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus clitellis exonerentur, propelli poſſunt: vtile profectò animantium genus, non ad ſupplendum modò abſentium equorum in ſarcinis viriſque vehendis cõmoditatem; ſed ad alimoniæ etiam, & opimi lucri vſum.

Feræ & aues Peruuianæ.

NN oves equo magnitudine pares

Lanæ etiam tenuitate longitudineque, & copia noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine ver-

Mirabile ouium genus.

veruecium atque iuuencorum noſtratium delectabilem ſaporem adęquant: frumento veſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt; vſqueadeo exigui verò potus, vt illo triduum quatriduumque abſtineant. Pleraque autem montium pars innumerabiles auri argẽtique gazas nobiliſſimis fodinis emittit; nec vlla ferè vrbs aliquo nomine ſpectata offertur, quam non inſigni alicuius minæ auro natura ditârit, vt meritò harum comparatione diuitiæ ſordeſcere debeant, quos aut Tago, aut Lydorum Pactolo veterum fabulæ aſſcripſerunt. Nam præter inexhauſtas montium Arrugias, quis eloqui poſſit quantam auri argentique vim canalicia, aut egeſti fluminis theſauri ferant; quæ rutilantibus arenis & pellucidis vndis limpidi aureo quodam profluxu ruere videntur. Nec in tanta fodinarum copia minij, ſicut accidere Plinius teſtatur, aut ſandaracæ, & id genus verſicoloris terræ ad veſtimenta inficienda venæ deſunt. Supra has dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latiſſimè extenditur, ad vberrimam ſatiuarum frugum alimoniam, & priuatorum etiam puteorum commoditatem, mutante vices tempeſtate pluuiarum ſubſidia habet, quæ in tanto Solis æſtu magno incolarum, & agrorum hiantium gaudio excipiuntur. Horum montanorum incolarum naturam his verbis Leuinius exprimit: Hac regionis felicitate incolæ induſtria atque ingeniorum ſolertia dignos ſe præſtant, qui ſicuti ſoli bonitate, ita naturæ politiæque prẹſtantia maritimos longè antecellunt. Viri ſubuculam, ac chlamydem laneam geſtant, promiſſoſque alunt crines, quos circa verticem tenui faſcia ſubſtringunt: fœminis veſtimentum eſt oblongum; non manicatum, quod laneo cingulo ter quaterque circum-

Mineræ auri & argenti.

Peruuia mõtana pluuias ſentit.

Incolarum mores.

ducto infra vmbilicum ſuccingitur;huic penula ſuperijcitur aurea, argenteaue, acicula circa collum conſtricta, quam Topum vocant. Hæ candida facie gratioſæ, quanquam abſurdè ferè in acutam cuſpidem capitum vertices acuminentur, non formæ modò, ſed modeſtiæ verecundiæque muliebris, & reliquorum morum non leui gratia pollent; & huic ſingularem in maritos amorem fiduciamque mirabiliter adiungunt, quos præter ſui ſexus vires in quotidianis operibus aſſiduo & fideli labore ſubleuant.

De moribus autem Peruuinorum in vniuerſum Leuinius Apollonius ſic ſcribit. Vniuerſi tribus potiſſimum gentibus diſtinguuntur, quarum ſingulæ plures ſub ſe populos nominum rurſus varietate differentes continent. Hæ gentes diſſimilitudine gaudent, & diuerſis linguis ſunt diſcretæ: frequenter etiam limites excedentes inter ſe bella gerere, & ferro iniurias vindicare diſcordes ſolebant, priuſquam in vnius Gynacauæ ditionem ad Aequatorem vſque prouincia ceſſit: verùm vti victoria eius cunctis ſub vnam poteſtatem redactis diſſidiorum facultas ablata eſt, ita apud proceres & vulgus Cuſconia lingua, qua duntaxat ius dicebatur, voluptati ac ſtudio eſſe cœpit, ſic vt huius gnaro totius prouinciæ peragrandæ non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea veſtis eſt ad talos vſque propendens;mares induſiolum ad ſuras vſque, & huic ſuperiectum palliolum geſtant. Quanquam verò idem ferè tota regione corporibus veſtimenti ſit genus; capitum tamen habitus mirificè variant, cùm ſinguli pro vſitato patriæ more faſciolas tornatiles, multi ſimplices, plurimi verſicolores gerant: nec ferè ſint quiquam, qui eo in capitum orna-

Gynacaua potens Rex.

ornatu ſecundum patriam vſitationem ab alteris non vehementer diſcrepent.

Admirabilis verò omnes naturalis indolis ſimplicitas imbuit;adhuc vetuſtæ ruditatis hæres, qua ridiculas nobiſcum negotiationes exercent, vix inexhauſtas ſuas auri atque argenti gazas ſapiunt,atque informibus eorum maſſis tantùm vtuntur, quanquam aureorum atque argenteorum emblematum non minore quàm nos delectatione capiuntur:quibus templorum atque regiarum poſtes bracteato, ſculptoue opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari ſimplicitate proximè Aequatori ſubiecti morum incommoditate, ac vitijs reliquos ſuperant, qui ab multa hypocriſi taciturni,& compreſſis in labra verbis ſubmurmurantes, non multum ab Iudæorum modo abhorrent, fœdeque marium libidini procliuiores, exiguo in pretio mulieres habent; quas non viliſſimè modò ſibi ancillari cogunt,ſed vel leuiſſima offenſione plagis acerrimè excipiunt.Induſiolo leui vmbilico tenus veſtiuntur;cæteras corporis partes, ne pudendis quidem ſaluo pudore,nudas relinquunt. crura & brachia gemmatis ſphærularium circulis ornant, & pertuſis vtrimque malis atque orum labris turcoſios atq; ſmaragdos mirificè ſplēdicātes hiatibus infixos gerunt. In eo ornatu tāta ſuperbia eſt,vt eundem vxoribus inuideāt, quibus nulla, vel ad perpetuos grauiſſimi Solis æſtus arcēdos ſtragula veſtiū,præter tenue pudendorū præcincta laneo prępēdiculo ſunt preclūſa.in ipſis verò tēplis ſimulacra duo ad atrorū hircorū ſimilitudinem ſculpta adorantur,atq; ad perpetuū cultū ante hęc certarū miri odoris arborū ligna cremātur;ex quibus dum cortices detrahūtur, tam acri odore adeps defluit, vt o-

Peruuini aurum contemnunt.

Idololatria Peruuinorū.

vt olentium nares cerebraque teterrimè afficiat; illita verò defunctis aut gulis inſtillata (quemadmodum cupreſſo promanans reſina) perpetuò ab vermiculorum iniuria, carieque vniuerſa mortuorum cadauera vindicet. Apud Caraceos in ſupremis portarum periſtylijs humana ſimulacra conſpecta ſunt ſtriata Diaconi ſtola induta.

Paſaones interfectorum puerorum virorumque corpora ad ſaxeos ſtylos mirificè aduerſus putredinem præmunita conſeruant, & capita truncatorum in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad poſtes clauis affixa tanto artificio oſtendunt, vt poſt multa etiam annorum ſpatia non ingratum odorem ſpirent. In vulgaribus vbique ferè templis magnorum ſerpentum figuræ adorantur: ſuper hæc ſinguli priuatis in ædibus veteri Aegyptiorum ſuperſtitione, prout cuique ſua ars atque opificium eſt, peculiares Deos ceu penates ac lares colunt. Omnis ſcientiæ prorſus expertes ſunt, literarumque omnium ac picturarum exortes, quæ apud Mexicanos literarum loco habentur. Laneis enim funibus vtuntur (quippos appellant) quibus implicitis diuerſarum figurarum nodis numerum ſupputent ab monade ad denarium, atque inde altius numerando gradatim aſcendentes; nodis colores imprimunt rebus illis ſimiles quas indicare volunt. Singulos prouincia quælibet conſtitutos notarios habent, qui per hos colores rerum vel ante multos annos geſtarum memoriam, ceu literarum monumentis hauſtam plebi inſinuant, & ſi quid tum in prouinciæ poſteritate dignum geratur, fideli per eorum nodorum colores cuſtodiæ demandant: communium legum ſeptis coërcentur omnes, & in ſumma rerum publica-

Penates eorum.

licarum moderatione egregius iuriſdictionis eſt ordo, iuſtoque ſuppliciorum inflictu in ſontes animaduertitur. Arma illis ſunt enſis, haſtile præpilatum, clauus ferreus, ſecuris argentea vel aurea acie, fundi, & alia telorum genera: excurrere, ſeruare ordines, ferre opem expeditè norunt, nec virtute petitam mortem extingueſcunt, modò vel ſuis egregiam memoriam relinquere, vel accipiendi ab ducibus muneris locum facere poſſint. Continet porrò Peruuia prouincia intra ſuos limites quamplures vrbes ac populationes, quarum præſtantiores ac celebriores ſunt: Portus vetus, Michaëlia, Trugillum, Regium ſeu Lima, Arequipa, Quito, Cuſco, Argyropolis, & Potoſium. quarum quinque priores ab Hiſpanis primùm ſitus commoditate, & mercaturæ opportunitate allectis occupatæ ſunt, & ędificijs more Europęo exornatæ. Portus vetus, vulgò Portoueio prima eſt vrbs ab Hiſpanis occupata, quæ Aequatori proxima eſt iuxta maius litus, & optimo portu gaudet, ſed aëre inſalubri, ob idque infrequenter habitatur. Ad hanc autem nauigia appellunt quę vel in Peruuiam regionem tendunt, vel ab ea Panamaidem redeunt. Vicinus ager ſmaragdos in rupium lateribus ſuppeditat, quos perpolitos magno cum lucro varias in vrbes Hiſpani ſubmittunt. Apud hanc vrbem effoſſa ſunt ab Hiſpanis gigantium oſſa ac dentes, qui tres latitudine & quatuor longitudine digitos exæquabant: quod quidem hominum genus indigenæ affirmant quatuor virorum longitudinem exæquaſſe. Michaëlia, ſeu diui Michaëlis vrbs, Piura à Barbaris vocatur, eſtque ſecunda ab Hiſpanis occupata, iacetque ſupra fluuium Ciram, optimum portum habens: fertili etiam gaudet agro, ſed auri argenti-

Vrbes præcipuæ.

Portus vetus.

Michaëlia.

gentiq́ue fodinis experte,& peculiari Ophthalmiæ morbo infami, qui teſte Leuinio tranſeuntium oculos magno dolore impedit atque excruciat. Trugillum tertia Hiſpanorum vrbs, agrum feraciſſimum habet frumenti præſertim illius quod incolis mayz vocatur; ſed à nauigijs parum frequentatur, ob portus ſui incommoditatem. Lima ſeu Regium, totius maritimi tractus excultiſſima metropolis, in amœniſſima valle ad ripam amnis iacet tutiſſimo in portu, ad duo paſſuum millia ab littore ſemota. Mira aeris temperantia gaudet, agro rerum omnium fertili, preſertim frumenti, fabarum, piſorum, & omni leguminum noſtratium genere; atque etiam ficuum, malorum citreorum, arantium, limoniorum, & cæterorum fructuum. Eſt præterea populo frequentiſſima: quingentis namque ædificijs & pluribus excolitur, ambitum compræhendens valdè ſpatioſum, in quo ſunt latæ viæ, amplum forum, & cultiſſimi atque amœniſſimi horti. Condita fuit hæc vrbs à Franciſco Pizardo anno 1535. & in ea reſidet nunc vniuerſæ huius prouinciæ audientia, Cancellaria, Prorex, & Archiepiſcopus, cui ſubſunt Epiſcopatus hi, nempe: Quito, Cuſco, Guamantiaci, Arequipa, Pas, Plata, Trugilli, Guanugio, Cacapoia, Portus vetus, Guaiachil, Popoiani, Carchi, S. Michaelis, S. Franciſci. Arequipa, quinta Hiſpanorum maritima colonia, duodecim à Mari miliaribus Italicis diſtans, fœcundo ac ſalubri in agro condita, quæ trecentis amplius ædificijs nitet, & frequenter quidem habitatur, ob portus ſui commoditatem, continuoq́ue magis atque magis incolis ac opibus augetur. ſed tamen admodum diuexata fuit ab ingenti terræmotu anni 1582. quo omnes ferè eius domus proſtratæ ſunt, in-

Trugillum. *Lima, ſeu Regiũ vrbs primaria.* *Arequipa.*

interemptis etiam 22. viris. Mediterraneæ ac montanæ vrbes præſtantes ſunt, quæ ſequuntur, in quibus Hiſpani etiam colonias habent. Quito vrbs, opulenta eſt incolarum numero Regio metropolitanæ vrbi ferè par eſt, Aequatoris lineæ ferè ſubiacet; nec tamen feruido, ſed frigido potius Cœlo fruitur. Eius ager ſemper virens eſt, & omni frugum beatitudine floret, vbi Europæi fructus ſucco præditi mirificè aluntur, atque etiam domeſtica animalia. Scatet etiam auri minæris, & Mercurio viuo crocei coloris. *Quito vrbs.*

Cuſco montanorum vrbium regina, multitudine incolarum Regio non cedit, & fodinarum opulentia longè ſuperior eſt. Hæc ante Hiſpanorum aduentum prouinciæ Reges læta aulicæ pompæ ſede fouebat, magno procerum & gregariorum commercio iura hinc petentium celebrata, & inter Peruuinas ſola, quæ faciem vrbis præfert: munitiſſimam enim quadratorum maximæ magnitudinis ſaxorum molem habet, quorum permagnam copiam vicini montes immenſiſſimis lapicidinis petentibus, excidentibuſque ſuggerunt; & indigenæ Saxis erutis, & infinito labore, cum ijs oneribus trahendis vehendiſque equi ac boues deeſſent, vnum ad locum comportatis firmiſſimo egregiæ ſtructuræ operi adhibuerunt. *Cuſco vrbs.*

Aedes quas incolæ quondam poſſedêre, eaſdem politiore paulò ornatu inſtauratas Hiſpani tenent: vniuerſa ciuitas cum magno hominum confluxu indies augetur. Regum inſtituto quatuor in partes, veluti trib. diſpertita eſt, & in harũ vnã ſeuero edicto impulſi, quicunq; ciuitate donari aut vrbẽ incolere vellẽt, recipere ſeſe debebãt. Ager nõ

fru-

frugum, aurearumq́ue fodinarum quarum ingens numerus circa ſcatet, felicitate modò gratioſus eſt: ſed mitiſſimi aëris, aurę́que placidiſſimę tanta gratia commendatur, vt vegetè ſaneq́ue ingreſſo priſtinam valetudinem non facilè immutet.

Lacus Titicaca. Agro Cuſconio diſiunctus magno ſatis ſpatio iacet ad Orientem lacus Titicaca, quem rapidiſſimus amnis in Occidentem decurrens, aquarum in magnum ſe ſpatium effundentium efficit, ac deinde veluti intolerabili onere paulò ſolutus in aluei ſui anguſtias redit. ſed iſthuc receptus, iterumq́ue velut ante illabentium amnium mole increſcens in alterum rurſus, ſed minoris quantitatis lacum prorumpit, laxatiſq́ue tantæ molis incubitu humeris liberius excurrens, obſcuro exitu euaneſcit in occultos naturæ ſpecus ſubſidens, & ſubterraneo aluei abſorpti cuniculo in pelagus trāſmiſſus: quemadmodum Alpheum ex Peloponneſo in Siciliam perlapſum olim ferunt.

Argyropolis. Argyropolis, ſeu Argentea vrbs, & vulgo della Plata, quinta eſt inter montanas Hiſpanorum colonia, non magna quidem ciuium habitantium copia, ſed eorundem incredibili opulentia inſignis. Metropolis autem eſt prouinciæ Ciarcas.

Potoſium. Potoſium etiam vrbs fodinis argenteis mirè opulenta, è quibus immenſa eruitur argenti copia, quæ vniuerſam Hiſpaniam & Europam implet. Hæc ſatis de aurifera Peruuiæ regione. Qui de Ingarum ſeu Peruuinorum Regum magnificentia inſtrui deſiderat, præter alios volumina conſulat Francofurtenſia, edita apud Bryæos.

CHY-

CHILAE PROVINCIAE DE-ſcriptio. Cap.14.

CHile prouincia à Meridie Peruuię regionis iacet ad Mare Pacificum expoſita, quæ ab incredibili ipſius frigore nomen ſortita eſt. hæc autem pluuias, fulmina, & totius anni mutationem ſentit; quemadmodum Europa. eſtque partim maritima, partim montana, ſed iuxta Mare aliquanto incaleſcit. Fert autem omnifariam fructus ex Hiſpania allatos, & magnum mittit pecudum & ſtruthionum numerum. Huius fluuij interdiu decurrunt, noctu verò frigore penè gelati tardè ac debiliter incedunt. Incolæ proceri ſunt, benè diſpoſiti ac bellicoſi, quorum arma ſunt arcus & ſagittæ, eorum veſtitus ex animalium pellibus, ac luporum marinorum fit. Metropolis regionis eſt diui Iacobi vrbs, vbi nunc noua Hiſpanorum colonia coaleſcit.

DE BRASILIAE AMPLISSIma regione. Cap.15.

BRaſilia regio inter duos ingentes fluuios iacet, nempe Maragnonem a Septentrione; & Argyreum, vulgo rio della Plata, à Meridie & partim ab Occaſu, à qua etiam parte ad altiſſimos Peruuiæ montes accedit. ſed tamen ab Ortu mari vaſtiſſimo, vulgò del Nort vocato, pulſatur. Huius longitudo quæ à Septentrione in Auſtrum accipitur, traditur quadringentorum miliarium; latitudo ab Ortu in Occaſum ſupra centum miliariorum. & eius circumnauigatio iuxta Oceanum del Nort vocatum miliarium circiter ſeptingentorum

rum. De hac eleganter & fideliter Ioannes Petrus Maffeius hæc ſcribit: Eſt autem Braſilia noui Orbis pars, quam, paulò poſt Capralis acceſſum, Veſputius Emmanuelis auſpicijs accuratiùs explorauit, atque à duobus ab Aequatore gradibus partibuſve, ad gradus quinque & quadraginta in Auſtrum excurrens, trigoni oblongi ſpeciem refert, cuius baſis in Aequatorem & Septentriones obuerſa, ab Oriente in Occidentem rectà protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. Latus in Orientem ſpectans, interpoſito Oceano, Heſperijs Aethiopibus obiacet. alterum latus à prouincia Peruana diſterminant iuga móntium adeo celſa, vt ipſos auium volatus fatigare dicantur, vno duntaxat, quod adhuc exploratum ſit, eoque difficilimo tranſitu. Regio fermè tota inprimis amœna eſt, Cœli admodum iucunda ſalubriſque temperies: lenium quippe à pelago ventorum commodiſſimi flatus matutinos vapores ac nebulas tempeſtiuè diſijciunt, ſoleſque puriſſimos ac nitidiſſimos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus ac ſyluis & amnibus inclytis: è quibus (vt reliquos taceam) is quem Argenteum vocant, leucarum quadraginta oſtio in Oceanum fertur, adeo violentus, vt inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem expatians, partim in colles clementer aſſurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo ſolo, ſemperque vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnere: & ſacchari præſertim eſt ferax, quod Cœleſte donum Attico melli multis partibus preferendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis ad purum

Braſiliæ qualitas.

Saccharinivus prouentus.

excoꝯ

excoquitur, tum formis in panes cogitur ad meræ figuram: dein rurſus, vbi libuerit, diquatus, artifici manu pigmentis, ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta penè veriſimilitudine trahitur. Cuius generis officinæ, hodie, quia præſertim incolunt Luſitani, paſſim extructæ viſuntur: atque ex ea merce negotiatores vel maximum capiunt emolumentum: ſiquidem nauibus quotannis in Europam euecta, certiſſimo compendio longè lateque diuenditur. Certis etiam è plantis, quas vulgò Copaibas vocant, inciſo per æſtatem cortice, in modum balſami liquor ſuauiſſimi odoris emanat: cui cùm ad alios mortalium vſus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim eſſe perhibent. Eæ plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ a ſerpentibus venenatis, aut à feris icta, ad remedium illud ipſo naturæ inſtinctu ſe conferunt. At Zabucales quæ dicuntur, admodum excelſæ, magnos ferunt ſumma duritie calices, ore in terram obuerſo, & quidem admirabili naturæ ſolertia pyxidatim operto. ijs calicibus nuces caſtaneæ ſaporis egregij continentur, quæ vbi maturuerint, excuſſo confeſtim operculo, paulatim ipſę per ſe alimenta incolarum ad vnam è calice defluunt. Sylueſtria etiam ſunt Caiuſia pyra, apprimè ſuccoſa, & innoxia: itaque medijs caloribus auidè manducantur. Cęterum in imo pyro faba quędam extuberat cortice amariſſimo, prædulci medulla ſi torreatur: pyro præterea refrigerandi vis; faba calefacit. Verùm ex omni genere palma tribuitur ijs, quos vulgus Ananazes appellat. planta eſt humilis, cuius è ramis veluti pinea nucamenta dependent præmollia: hæc ſuo tempore in fruſtra diſſecta, gratiſſimo ſimul odore, ac ſapore non recenti duntaxat edulio ſunt, verùm etiam in longum

Copaibas planta mirabilis.

Caiuſia pyra.

tempus adſeruantur è ſaccharo. Iam verò illati in eas regiones ex noſtro Orbe melopepones, cucumeres, malogranata, ficus, viteſque biferę ac triferæ, nec non multiformia mala medica ſuppetunt. Adhæc eſt videre complures alias pomiferas arbores, quas percenſere nimis longum ſit; piſceſque & aues coloris eximij, & quadrupedia plurima ſed ferme ſylueſtria, partim nota nobis, partim ignota. in quibus vtique apparet, quam miris modis ac varijs diuina ſapientia ludat in Orbe terrarum. Ex eo numero, vt pauca perſtringam, apri ſunt amphibij, carnibus optimis ac ſaluberrimis: ij quòd priores pedes perbreues habent, poſteriores autem prælongos, tardiore ſunt curſu: itaque depræhenſi à venatoribus, quâ proximum eſt ſeſe aquis immergunt.

Apri amphibij.

Antæ ſunt etiam gentis vocabulo ad mulæ ſimilitudinem; ſed minores, & roſtro tenuiore, inferiore autem labro tubæ inſtar oblongo, rotundis auribus, breui cauda, reliquum cinereæ corpus: eędem lucifugæ ſunt; non niſi noctu ad pabulum prodeunt; vbi diluxit in ſua ſeſe condunt latibula. huius belluæ carnes guſtatu planè bubulas referunt.

Antæ animal.

Cotias verò nominant, magnitudine & forma & ſapore leporum: rufo colore, paruis auribus, cauda ferè nulla. Maiores ſunt eiuſdem ferè ſpeciei, quas Pacas vocant; roſtro tereti ad faciem felis, fuſco colore, candidis in maculis interſtincto: neque carne tantùm, ſed & corio ipſo prætenero, atque ob id ipſum in delicatiores epulas expetunt.

Cotias animal.

Paca animal.

Cęterum inſolito ſpectaculo Tatuſię ſunt, ad porcelli magnitudinem, corio ſquamatim loricato, ſic vt equi cataphracti ſpeciem reddant: ex eo caput dun-

Tatuſia.

duntaxat,ceu teſtudines, exerunt, pedibus contra-ctis & ſpecubus ferme vti cuniculi ſeſe continent: hæ quoque carnes palato gratiſſimæ. Magna præterea vis tigrium eſt, quæ famelicæ horribili velocitate ſunt, viribuſque tremendis: eædem paſtæ (quod mirêre)tanta ignauia dicuntur eſſe,vt à gregarijs etiam canibus confeſtim in fugam agantur: adeo cibi potuſque ſatietas non homines tantùm ſed etiam feras hebetes reddit. Illud verò mirum in Cerigonibus (id animanti nomen, buxeo colore, vulpeculæ magnitudine) ex eius aluo duæ dependent veluti manticæ: in ijs catulos circumfert, &quidem adeo pertinaciter ſuo quenque vberi affixos, vt à perpetuo ſuctu non auellantur, antequam ad paſtum ipſi per ſe progredi valeant. Valdè etiam inuſitata & effigie & natura eſt animal, quod ab re ipſa Luſitani Pigritiam appellant,Cerigonum ferè magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpectum,&vnguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. huic ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum,neque vnquam in pedes exſurgit:denique tam tardè mouetur, vt quindecim totis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerunque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantundem in deſcenſu ponit: neque verò adhortationibus tantùm aut minis; ſed ne plagis quidem fuſtibuſve beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. Mirandum eſt etiam genus earum quas Tamendoas vocant, veruecis altitudine,colore fuſco,prælongo ac tenui rictu,neque eo ad malas diducto,ſed modicè ad imum inciſo Vnguibus inſtructa eſt quadrupes mirè longis latiſ-

Tigres.

Pigritia animal.

Tamendoæ.

que, nimirum ad victum faciliùs comparandum, formicis enim alitur, quarum latebras vbi crebro vnguium iniectu ac foſſione detexerit, illico exertam trium ferme dodrantium linguam immittit exilem, opertamque formicis repente contrahit, glutitque deceptas. Huic vti ſciuro, valde promiſſa & ſetoſa cauda pro tegumento eſt: ſub ea quippe ita ſe condit, vt nihil ex reliquo corpore prorſus appareat. Neque hæc tantùm & alia indidem ſyluestria, vt dixi, verùm etiam nuper à Luſitanis inuecta pecorum & equorum armenta planè admirabili prouentu fœtificant. quo magis mirum, vberrimo agro, mitiſſimo Cœlo, tam fera & acerba eſſe incolarum ingenia. Nullos omnino colunt Deos, omnibus tantùm & augurijs ad inſaniam dediti, & ariolis impoſtoribuſque miſerandum in modum quæſtui ſunt. nudi æquè viri ac fœminæ prorſus incedunt, robuſtis lacertis, fluxo à vertice duntaxat capillo: nam cæteras corporis partes identidem expilant: ſimis vti Sinarum populi naribus: æneaque ipſi cute, atro inſuper ſucco pomi Genipapi totum ſubinde corpus inficiunt. Præterea inſertos habent iam inde à prima ætate deliciarum cauſa quidam inferiore duntaxat labro, quidam etiam facie tota prælongos nullius pretij lapillos, tetro ſanè ſpectaculo. Gregatim peregrinantur ordine ſimplici, ſilentio miro, virum vxor anteit.

Incolarum mores & conditio.

Carorum aduentum, circumdatis collo, brachiis, appreſſo ad pectus capite, cum effuſa comploratione altiſque ſuſpirijs primùm excipiunt, viæ laborem & incommoda miſerantes: momento dein ſiccant oculos, habentque lacrymas in poteſtate. Grauidis haud ita multus in partu dolor; à

puer-

puerperio fœta confeſtim exſurgit, ac domeſtica obit impigrè miniſteria. Eius loco (quod vix credat quiſquam) in aliquot dies velut æger decumbit maritus: hic officij cauſa ab amicis & propinquis inuiſitur. huic ſorbitiunculæ dantur ad refouendas vires, huic de gentis more bellaria & delicata munuſcula deferuntur. Numerandi rationem ac literas ignorant omnes. tantùm tenui quadam traditione, nonnulla de Noë, deque diluuio à patribus accepiſſe dicuntur, vt valdè probabile ſit, pòſt diſſipatos quondam diuino iuſſu mortales, nullum huic genti cum noſtri Orbis hominibus fuiſſe commercium. Vino & frumento in hæc vſque tempora caruêre, ſatiua radice victitantes in farinam redacta, quam Mandiocam appellant. ſub eodem tecto, ad inuerſæ modum carinæ prælongo multæ ſimul familiæ degunt; noctu ad noxia vitanda animalia cubantes in retibus à terra ſuſpenſis: viuuntque in diem, & quicquid habent in commune facilimè conferunt, nihil in poſterum ſoliciti. *Literarum expertes Braſiliani.*

Natandi arte ad miraculum vſque præcellunt. ſub aqua totas interdum horas, vbi quippiam in imo quærendum eſt; patentibus oculis vrinantur. laboris item & inediæ tolerantiſſimi ſunt. triduum integrum, vbi penuria ciborum ingruerit, ieiuni traducunt: ijdem ſi copia ſuppetat, à primis tenebris ad lucem vſque in conuiuijs & compotatione perſiſtunt. Rectè aut perperam factis, nihil poſt mortem præmij aut ſupplicij ſupereſſe arbitrantur. Qui diem ſuum obiêre, eos perinde ac deceſſerint, vel integro corpore vel mancos, aut debiles vulneribuſque confoſſos, deſcendere ad orcum putant; ergo incremata cōdunt humi cadauera, addi- *Natatores eximij inediæ patientes.*

to rete cubandi cauſa, nec non edulijs per aliquot dies appoſitis; quod ita perſuaſum habent, & ſomnum interim capere, & cibo frui manes mortuorum. *Hominiuoræ ijdem.* Captos in prælio hoſtes (crebra autem inter eos bella excitantur, ac ſagittis præſertim vtuntur egregiè) multorum dierum cura ſaginatos, ingenti cum tripudio mactant, vorantque toſta verubus membra. eæ potiſſimæ Baſilijs epulæ ſunt: neque ſi cui hoc lethi genere perire contigerit, malè ſecum actum exiſtimat: quinimo ad mortem pergit alacriter ac ſecurus. editiſque contra ipſoſmet percuſſores facinoribus, magnificè in ipſo necis articulo gloriatur. Sparſis domicilijs habitant, nullo magiſtratu legibuſve conſtricti. Lingua nec difficilis cognitu, & vna ferme eſt omnium quotquot adhuc probè noti ſunt, exceptis certarum rerum vocabulis, quæ aliter à viris, aliter à fœminis vſurpantur. Trium ex alphabeto elementorum F. L. R. nullus apud eam gentem eſt vſus: minimè abſurda quarundam animaduerſione factum id eſſe diuinitus, eò quòd Fide, Lege, Rege, ſicuti dictum eſt, careant: beneficiorum acceptorum immemores: æquè iræ ac libidinis impotentes: ad pugnas & certamina temerarij præcipiteſque: vltionis & humani ſanguinis auidiſſimi: ad ſummam belluis quàm hominibus propiores, qui quidem mores patrios retinent, ac mediterranea incolunt loca. nam poſt illatam religionem & liberalium artium diſciplinas, in vicos & oppida contributi, præſertim qui pontum accolunt, ad humanitatem ac pietatem magnis laboribus excoluntur. Cæterùm in hanc regionem Portugallenſes omnes ferè attulerunt fruges ac fructus Europæos: & nunc ex ea maximam ligni rubri copiam ad tingendos pannos expetiti

extra-

extrahunt, quod Braſilium dicunt. deinde etiam goſſipij & ſacchari magnam vim. Multæ verò ſunt iſthic Portugallenſium Coloniæ, in quibus complura ſunt ab ipſis ad ſaccharum excoquendum conſtructa ædificia, nempè Pernambicum, Caput S. Auguſtini, Portus omnium ſanctorum, vbi Epiſcopalis & Præſidis totius prouinciæ ſedes; & aliæ. Poſtremò ſunt aliæ quàmplurimæ regiones in hac Meridionali peninſula, nimirum Popaiam, in qua ſunt vrbes Popaiam metropolis, Paſtoco, Calli, Cartago, Antiochia, & aliæ. Noua Granata in qua eſt Tunia regiuncula ſmaragdorum, & S. Fides, vbi reſidet Archiepiſcopus, & Præſes nouæ Granatæ. Caribana, in qua ſunt Darien, Vraba, Cenu, Caribana, Cartagena, Veneriola, Manacapana, Cumana, & aliæ. Paria, quæ fuit prima regio huius continentis à Columbo detecta. Cinnamomifera, regio ab Ortu Peruuiæ adiacens, quæ Cinnamomum à communi differens profert. Tucumanorum regio, in qua ſunt Hiſpanorum coloniæ: Salta, Steco, S. Michaëlis, Corduba, S. Iacobi. Patagonum ſeu Gigantum regio, & aliæ multæ: quarum quædam fœcundæ ſunt, quædam ſteriles ac inopes. ſed omnes ferè incolas barbaros, inhumanos, ac hominiuoras habent.

Lignum Braſilianum.

INSVLAE CIRCA NOVVM ORbem. Cap. 16.

INnumerabiles ſparſæ ſunt per Oceanum del Nort inſulę ad nouum Orbem ſpectantes, quarum aliquot ope Chriſtophori Columbi, qui primus illas detexit, atque aliorum ſubinde qui pelagus hoc ſulcarunt, innotuerunt. Harum præſtantiores ſunt Hiſpaniola, Cuba, & Cambalorum inſulæ, de quibus nunc agemus, ſuperſedentes ab a-

liarum deſcriptione, de quibus pauca notatu digna habentur. Hiſpaniola ab incolis Haity & Quiſquæia vocata fuit; ſed ab Hiſpanis dicta fuit Hiſpaniola, & D. Dominici à primaria ſcilicet vrbe quam in ea extruxerunt. Huius inſulæ ambitus eſt 350. leucarum: diſtatque medium ipſius ab Aequatore grad. penè 19. verſus Boream, & eius forma oblonga eſt ab Ortu ad Occaſum. Eſt autem montibus aſpera, ſed tamen amœna, fertilis omnium rerum, ac opulenta; aëre potitur temperato, vnde arbores vtplurimum perpetuò virent. mittit autem inprimis ſacchari immenſam copiam; frumenta, fruges, & fructus omnifariam fert, ac herbas, gignit inſuper Caſſiam fiſtulam, gingiber, maſticem, lignum aloës, & cinnamomum. Salis etiam prouentum habet. Ante Hiſpanorum in eam aduentum triã tantùm quadrupedum animalium genera continebat: nunc verò innumera mittit animalia domeſtica; vnde hinc ingens coriorum ac pellium copia in Hiſpaniam deportatur. Auri & argenti fodinis diues eſt, ac alijs etiam mineralibus, præcipuè verò cęruleo colore. Sunt in hac inſula fluuij complures, lacus, ac fontes piſcoſiſſimi. Vrbes in ea pręcipuæ ſunt S. Dominici, quæ Archiepiſcopalis & præſidis ſedes eſt, ac audientia Regia; S. Ioannis à Meguana, Portus Platæ, Portus Regius, Cauana, Xaragua, & aliæ, quæ Hiſpanorum ſunt coloniæ.

Hiſpaniola.

Iamaica inſula.

Iamaica vel S. Iacobi inſula iacet ab Occaſu Hiſpaniolæ, complectiturque ambitu ſuo 150. leucas: longitudo eius 55. leucarum eſt, latitudo circiter 25. Eſt autem fertilis admodum, atque omnia ea fert quæ in Hiſpaniola proueniunt. habet auri mineras, & animalium copiam: ac in ea eſt ſacchari & goſſi-

goſſipij magnus prouentus. Multi in ea ſunt fluuij, & lacus piſcoſiſſimi; & duo continet oppida, nimirum Oriſtan & Seuillam, in qua quidem eſt principalis Eccleſia titulo Abbatiæ inſignita. Cuba inſula ab Occaſu etiam Hiſpaniolæ conſpicitur, relinquens à Meridie Iamaicam. Extenditur autem ab Ortu ad Occaſum 300. leucis. atque eius maxima latitudo 65. leucas non excedit, pluribuſque in locis 20. leucas vix ſuperat. Appellata fuit à Columbo Ferdinanda, eſtque montibus vt plurimum aſpera, multos habens auriferos fluuios, quorum aquæ ad potandum ſuaues ſunt. magnam mittit rubiæ tinctorum copiam; aurum etiam atque æs. in reliquis eadem fert quæ Hiſpaniola inſula. Eſt in ea vallis ſatis ampla, quæ lapideos globos numerosè profert à natura ipſa perfectè ad ſphæricam formam tornatos. Colligitur etiam hîc bituminis ſeu pericis genus, ad naues oppicandas idoneum. Sed ſunt in hac inſula Hiſpanorum coloniæ, quarum præſtantiores ſunt: S. Iacobi vbi Epiſcopalis ſedes, & Hauena totius inſulæ emporium & nauale. Appellunt ad hanc inſulam nauigia, quæ ex Peruuia & Noua Hiſpania in Europam redeunt; atque etiam quæ ex Europa ad has Noui Orbis regiones proficiſcuntur. *Cuba inſula.*

Canibalorum inſulæ dicuntur omnes illæ quæ duplici ſerie protenſæ ſunt ab Ortu & Meridie Hiſpaniolæ è regione, ſeu in conſpectu terræ firmæ. Harum pleræque inhabitatæ ſunt & incultæ. ſed inter habitatas præſtantior eſt inſula S. Ioannis, quæ incolis dicitur Boriquen, & hæc vicina eſt ab Ortu Hiſpaniolæ inſulæ, habens longitudinem trecentorum miliarium Italic. & latitudinem ſeptuaginta. *Canibalorum ſeu Caribum inſulæ.*

Affluit frugibus, fructibus, animalibus, & piſcibus: auro præterea & ligno Guaiaco perfectiſſimo, quod lignum ſanctum vulgò dicunt. Eſt in ea vrbs præcipua S. Ioannis, optimo gaudens portu. Poſt hanc inſulam Cubaga inſula margaritarum copia nobilis eſt. Incolæ omnium harum inſularum colore ſub obſcuro ſunt, raris pilis, & veluti imberbes, feri, crudeles, & anthropophagi inſignes; quorum arma ſunt ſagittæ veneno infectæ, & vtuntur ſcaphis ad ſulcandum Mare ex vnico ligno excauato elaboratis, quas ipſi canoas vocant.

Cubaga inſ.

(·.·)

GEO-

AMERICA



Vlterius Septentrionem uerſus hę regiones incognitę ad huc ſunt
Anian
SEPTENTRIO
Terra
Canada
Chilaga
Quiuira
Tolm
HISPANIA NOVA
Mexico
Mechuacan
Tecoantepec
Florida
Mocosa
Norumbega
Cuba
Iucatan
C. California
Rocca partida
MAR DEL ZVR
Circulus Aequinoctialis
MARE ATLANTICVM
PERV
Brasilia
Cusco
Charcas
Chile
Chicha
Patagonum regio
Fretum Magellanicum
Terra del fuego
MARE PACIFICO
S. Petro
Hę duę inſulę infortunatę ſunt dictę a Magellano, quod nec homines nec victui apta haberent
Hic uſpiam inſulas eſſe Auro diuites nonnulli uolunt
NOVA GVINEA
Andrea Corſalus Florent: videtur ea sub nomine Terrę Piccinnacoli deſignare.

GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM LIBER SEXTVS.

AMERICAM COMPLECTENS, & Septentrionalem plagam. *Cap. 1.*

SEPTENTRIONALIS peninſula, ſeu continens longo tractu ab Ortu vbi Septentrionales aliquot inſulas Europæ reſpicit, ad Occaſum extendi-ur verſus Chinenſe Regnum, Iapanicam inſulam, quibus vaſto Oceano diſcriminatur; & Tartariæ mites, quæ quidem Aſię ſunt partes. Diſtat autem inus Americę huius Occidentalior pars à Tarta-cę limitibus, quàm ab alijs partibus, vtpote milia-bus It. tantùm 250. ſed ab inſula Iapanica 750. & Chinæ continenti 100. ſupra mille. A Meridie vbi ta circumnauigata eſt, pulſatur à duobus ingen-us Oceanis, quorum Occidentalis (videlicet Ia-nicam inſulam reſpiciens) Pacificum & Mar del ır vulgò appellatur; Orientalis verò (Africam & ıropam reſpiciens) vulgò Mar del Nort dicitur. ptentrionalis eius limes porrigitur verſus po-n Boreum, nec hactenus circumnauigari potuit. rtis autem cognitæ huius peninſulæ circumna-atio traditur 16000. miliarium It. in qua qui-n complures ſunt regiones, nimirum Quiuira, *Borealis noui Orbis pars*

Noua

Noua Hiſpania, Nicaragua, Iucatan, Florida, Apalchen, Norumbega, Noua Francia, Terra laboratoris, & Eſtotilandia. de quibus regionibus breuiter nunc agemus.

Quiuira regio. Quiuira regio Occidentalior cæteris ferè eſt huius peninſulæ: eſtque ſatis temperata, herbida, fructifera, atque animalium copioſa, præſertim capreolorum, & boum, qui à noſtris multùm differunt, quorum carnibus incolæ vitam ſuſtentant, eorumque pellibus induuntur. Ab hac regione procedendo verſus Ortum iuxta Maris littus ad caput vſque Califormię, prope ſinum magnum, qui dicitur vulgò Mar Vermiglio, tellus arida eſt, ſterilis, ac malè habitata, frigorique obnoxia. Sic quoque littoralis pars Occidua vltra regionem Quiuiræ. Vltra ſinum Califormiæ ſunt loca aliquot parum habitata, ac nota ob eorum inopiam vſque ad nouam Galitiam.

NOVA HISPANIA.
Cap. 2.

Noua Hiſpania ampliſſima eſt prouincia, & cæteris totius Americæ cultior, amœnior, ac populis frequentior. quæ incipit à ſinu Califormiæ, quem vulgò Mar Vermeio dicunt, & extenditur vſque ad ſinum Mexicanum ad Mare del Nort; & ad Iucatanam regionem. Occupata *A quo primum occupata.* primùm fuit ab Hiſpanis Anno 1518. duce Ferdinando Corteſio, maxima tamen ſuorum & incolarum ſtrage: cui remunerationis cauſa dono conceſſa fuit Tecoanteper regio ipſius nouę Hiſpanię, à Carolo V. Imp. Eſt autem hæc prouincia montibus

bus & rupibus aſperrimis referta, nemoribuſque occupata, & aëre potitur temperato, quamuis ſub torrida iaceat Zona; in ea fluuij ſunt quamplurimi piſcibus abundantes, quorum aliqui etiam auriferi ſunt. ſunt etiam lacus in ea multi maiori ex parte ſalſi, vt ſal ex ijs conficiatur. inter hos ingens eſt, qui Caphalicum mare ob eius immenſitatem vocatur. Abundat præterea regio ipſa mineris opulentiſſimis auri, argenti, ferri, & æris; atque mittit caſiam, fiſtulam, & fructus quoſdam, quos incolæ lacao appellant amygdalorum inſtar, ex quibus potum conficiunt: goſſipio ac omnibus inſuper frugibus ac fructibus, quos in Europa habemus, affluit: ſic quoque omnia ferè profert animalium genera, vt ſunt: anſeres, anates, coturnices, gallinæ, quæ noſtras longè ſuperant, lepores, cuniculi, oues, boues, cerui, tigres, leones, vrſi, & alia huiuſmodi. vnde carnium hîc magna habetur copia, & viliſſimo ſanè pretio. Inueniuntur etiam in fluminibus crocodili, quorum carnes ab incolis comeduntur. & Mare regionem alluens piſcibus mirè abundat; & oſtreas fert ex quibus margaritæ colliguntur. Incolitur porrò hæc pars ab Hiſpanis magis quàm vlla alia noui Orbis; vnde multas in ea habent colonias, nempe: Compoſtellam, Colimam, Purificationem, Guadalaiaram, Meechoacham, Cacatulam, Mexico, & alias. ſunt porrò in hac Noua Hiſpania inſignes nonnullæ regiones, nempe noua Galitia, Mechuacan, Mexico, & Guaſtecan.

Qualitas eius.

Animalium copia.

Crocodili.

Noua Galitia ab incolis prius Xaliſco vocabatur; quã primus detexit & acquiſiuit Nunus Guſmãnus, qui in ea vrbes aliquot fundauit, nẽpe Cõpoſtellã vbi ſedes Epiſcopalis & Conſiliũ Regiũ; Spiritus S.

Noua Galitia.

Con-

Conceptionis, Michaelis, & Guadalaiaram celeberrimam ac totius regni caput. Regio aſpera eſt, & incolæ feri ac crudeles, qui ab eſu carnis humanæ non abſtinent. Pertinet ad nouam Galitiam regio illa quæ Culiacana vocatur ab vrbe huius nominis. iacet autem inter fluuium Piaſtla, & fluuium ſancti Sebaſtiani, qui antequam in Mare ſe exoneret, à terra abſorbetur. Metropolis vrbs eſt Culiacan, vbi Hiſpani fundarunt coloniam Domus Michaelis. Incolæ pauperrimi ſunt, & ſub dio dormiunt, quorum qui iuxta Mare verſantur, piſcationibus vitam traducunt: qui verò mediterranea tenent, venationibus viuunt. Nullum olim ſuperiorem agnoſcebant, ſed hodie Hiſpaniarum Regi parent.

Mechuachā regio. Mechuacham regio ambitum habet 40. leucarum, & ex opulentioribus ac fertilioribus eſt huius nouæ Hiſpaniæ: nam in ea Mahiz maturatur ter ſingulis annis, & alij etiam fructus. Affluit goſſipio, melle, cera, grana tinctorum, herbis medicinalibus, ambra nigra, & ſale. ſericum quoque abundè fert, & auro argentoque diues eſt. Multi ſunt in ea lacus ampli, & multi fluuij peropportuni, piſcibus copioſiſſimi. Incolę proceri ſunt, & corporibus valentes, longæui, ac ingenio pollentes. Duas continet vrbes principales ab Hiſpanis cultas, in quibus vigent mercimonia, nempe Paſcuar, & Valadolit, quæ eſt Epiſcopalis ſedes, præter alias minus celebres.

Mexicana regio. Mexicana regio cæteris non tam huius nouæ Hiſpaniæ præſtat, ſed vniuerſæ etiam Americæ. Nomen ſumit ab vrbe Mexico, quæ Temiſtitan quoque nuncupatur; & hæc vrbs olim extructa erat Venetiarum inſtar in medio immenſi cuiuſdam lacus,

lacus, antequam à Corteſio occuparetur, qui eam ad eiuſdem lacus ripam tranſtulit: eſtque nunc optimè fabricata, ambitum capiens ſex miliarium Ital. cuius vnam partem Hiſpani inhabitant, reliquum verò naturales. Reſidet in hac ipſa vrbe Archiepiſcopus, & Prorex, ac tribunal ſupremum nouæ Hiſpaniæ; atque etiam in ea eſt imprimendi ars & cudendi pecuniam. Hic autem lacus, ad cuius ripas hæc vrbs extructa eſt, ſalſus eſt, & creſcit ac decreſcit pelagi inſtar; & dum creſcit ſuas aquas in alium lacum vicinum effundit qui dulcis eſt: nullos autem fert piſces, ſed tantùm vermes æſtate putreſcentes ac aërem infeſtantes: extrahitur tamen ex eo magna ſalis copia. Ambitus amborum lacuum patet 50. circiter leucis, atque tam in ipſis, quam circa eorum ripas iacent 50. circiter oppida, quorum quoduis continet plus minus 10000. domorum; atque per eos diſcurrunt 50. ſcapharum millia, quas canoas vocant, ad vſum vrbis Mexicanæ & aliorum oppidorum. Sunt autem hi lacus in planicie montibus percincta, qui niue ſemper operti ſunt, quæ quidem planities collibus etiam intermiſta eſt amœniſſimis. Poſt Mexicum eſt Teſcuro vrbs ad ripam eiuſdem lacus, quæ amplitudine ſua Mexicum ipſum adęquat. Eſt etiam in hac prouincia Angelorum ciuitas, quæ prius Vacipalam, id eſt terra ſerpentum, vocabatur, quæ lanificio celebris imprimis eſt, cuius ager vallibus & planitiebus diſtinctus eſt, in quibus innumera armenta & greges aluntur, & magna ſegetum ac fructuum copia colligitur. Eſt quoque in eadem prouincia Mons Flamiuomus, qui Popocampeche incolis vocatur. Incolæ huius tractus olim idololatræ erant, & hominiuoræ, pluresque ducebant vxores;

Lacus Mexicanus.

Teſcuro.

Incolæ vores.

quæ tamen vitia dimiſerunt paulatim poſt ſuſceptum baptiſma. Vtuntur in bello ſagittis, & fundis quibus iaciunt lapides.

Guaſtecan regio. Guaſtecan regio nouæ Hiſpaniæ ad Mare del Nort expoſita eſt, quæ parum fertilis eſt. vnde incolæ inopia premuntur, & ex piſcatu vtplurimum viuunt: ſunt tamen ſatis humani. Eſt in hac regione mons in quo reperiuntur duo fontes, alter ſcilicet picis nigræ, alter verò picis rubræ feruentis. Duas hîc Colonias Hiſpani habent, nempe Panuco, & D. Iacobi à vallibus. Poſtremò in Noua Hiſpania eſt Tlaſcalan vrbs, quæ poſt Mexicum ſecundum tenet locum, eſtque valde populoſa & opulenta & agro fœcundo, ac reipublicę more gubernatur, ſub poſſeſſione tamen Hiſpaniarum regis.

NICARAGVA, IVCATAN, Florida, Apalchen, & Norumbega, prouinciæ.

Cap. 3.

Nicargua. NIcaragua prouincia poſt Nouam Hiſpaniam reperitur verſus Ortum & Meridiem, quæ quidem vtplurimum arenoſa eſt, ac coloro æſtiuo obnoxia: iuxta fluuios tamen ſatis eſt fertilis. In ea lacus eſt valde ingens, qui 300 miliaribus Ital. extenditur, & creſcit ac decreſcit proinde vt Mare, pluresque continet inſulas. Diſtat verò hic lacus ab Oceano pacifico quatuor miliaribus, ſed tamen in Oceanum del Nort exoneratur, à quo multum abeſt. Sunt in hac prouincia multæ populationes, ſed tamen exiles: inter quas digniores ſunt vrbes Leonis & Granatæ. Eſt etiam in hac regione mons continuò ardens, qui ab vrbe

Grana-

Granata decem miliatibus abeſt. Incolæ huius tractus ad albedinem magis accedunt quàm reliquæ Noui Orbis gentes, ſuntque ſtatura ſatis conuenienti, & humani; qui ante fidem Catholicam ſuſceptam iuſtitiæ quoque ſpecimen aliquod habebant.

Iucatan regio peninſulæ formam referens in Oceanum del Nort porrigitur, cuius ambitus patet miliarium Ital. 900. Eſt autem ſegetum, fructuum, mellis, ceræ, & animalium quorundam ferax, vt ſunt anates, gallinæ, lepores, & cerui. Incolæ animoſi ſunt ac bellicoſi, arcubus & clypeis vtentes. ſolent totum corpus ac faciem colore rubeo ac nigro inficere; carnem non vorant humanam, quod omnes ferè vicini incolæ faciebant. crucem etiam venerabantur ante Chriſtianorum aduentum. Inter Iucatan & Nicaraguam regiones Guatimala vrbs in mediterraneis iacet, quæ agro potitur fertili & amœno, aëre etiam ſalubri. Reſidet autem in hac vrbe præfectus Regius Hiſpaniæ, qui abſolutam habet poteſtatem in rebus iudiciarijs. Non longè ab vrbe hac ſunt montes qui ignem, fumum, ac lapides emittunt. *Iucatan.*

Florida prouincia iuxta ſinum Mexicanum & Mar del Nort extenditur, quæ quidem ſatis amœna eſt, omniumque fructuum fertilis: oram tamen habet aſperam, ac paucos Maris portus. quin etiam Mare eam abluens ſcopulis & breuibus refertum eſt. Incoli barbari ſunt, ſordidi, ac inhumani, qui veſcuntur vermibus, ſerpentibus, alijſque venenatis & infectis animalibus. ſparſim inhabitant, ac nudi ferè incedunt, præter opulentiores qui pellibus quibuſdam pretioſis teguntur. Hanc autem prouinciam tum Galli, tum Hiſpani non ſemel occupare fruſtrà tentarunt. *Florida.*

Apalchen. Apalchen regio ad Oceanum del Nort expoſita, vſque ad D. Helenæ caput extenditur: eſtque vtplurimum ſterilis, inculta, & malè habitata, eſtque ora eius importuoſa. montes habet arboribus celſiſſimis conueſtitos, & planities animalibus refertas, vt ſunt lepri, cuniculi, cerui, anates, & alia huiuſmodi. Incolæ proceri ſunt, graciles, aridi & agiles, qui nudi ferè incedunt, idola colunt, & vt reliqui arcubus & ſagittis vtuntur. Hanc regionem ab alijs vocatam fuiſſe Virginiam puto, ab eius præcipua populatione Virginia ad Oceanum expoſita. *Virginia regio.*

Norumbega. Norumbega regio, peninſulæ inſtar ad Mar del Nort porrigitur; ac nomen ab oppido ſic vocato ſumit. Cœlo potitur temperato, & agro fertili. Mare regionem abluens arenoſum adeo eſt vt periculoſam reddat circa hæc loca nauigationem, præſertim quòd parum profundum ſit. Populationes habet aliquot quæ diuerſimodè à Luſitanis, Hiſpanis, & Gallis nominantur, vt nulla hinc certa cognitio accipi queat. Vicina huic eſt Terra de Baccalaos à Sebaſtiano Caboto Veneto inuenta, & ſic appellata, eò quòd in eius pelago tanta inuenitur piſcium huiuſmodi copia, vt etiam nauigia retardent. *Terra de Baccalaos.*

NOVA FRANCIA, TERRA Corterialis, & Eſtotilandia.

Cap. 4.

NOua Francia huic ſuccedit, quæ iuxta ripas fluuij Canadæ vel S. Laurentij extenditur, quam Galli primùm ſub Franciſco primo Rege Galliæ detexerunt. & huius quidem loca principalia ſunt Canada, Hochelai, & Hochgelaga,

gelaga, quæ ex lignis conſtant. Eſt autem ipſa regio inops valde; quo fit vt ad eam pauciores contendant.profert tamen ſegetes & legumina. Incolæ idololatræ ſunt, & aliquibus in locis anthropophagi.

Terra Corterialis. Terra Corterialis, quæ & Terra Laboratoris vocatur,inter fluuium Canadam & Eſtotilandiam in peninſulæ forma iacet:& hic fluuius ab alijs fretum trium fratrum vocatur,eſtque adeo ingens,vt eius oſtium 35. miliaribus Ital. pateat: longitudinem habet immenſam, nam ferunt nauigatum fuiſſe octingentis miliaribus Ital. Incolæ frequentes ſunt hîc,proceri, & bene diſpoſiti, qui animalium pellibus teguntur; monilia ex argento & ære geſtant,ac piſcibus vtplurimum victitant. Horum præcipuæ populationes ſunt S. Maria, Cabo Marzo,& Breſt.

Eſtotilandia. Eſtotilandia prouincia eſt cæteris Septentrionalior & Orientalior, reſpiciens Friſlandiam inſulam plagæ Septentrionalis. Et hæc quidem prima omnium huius Noui Orbis detecta fuit anno 1390. ab Antonio Zeno patritio Veneto, ſub auſpicijs Zichmi regis inſulæ Friſlandię.Eius fines à Septentrione incognitæ adhuc manent, ſed à Meridie ad terram Laboratoris terminat, iuxta fluuium qui vulgò Rio Neuado dicitur, & ab Ortu Mare del Nort habet. Eſt verò hæc terræ pars ſatis culta, & omnium penè rerum ad humanum vſum fertilis, ac metallis etiam diues,præſertim auro.Frigoribus autem planè ſubiecta eſt, habetque flumina præcipua quatuor vniuerſam prouinciam irrigantia, quæ ortum ducunt à celſiſſimo monte in regionis meditullio iacente. Incolæ ingenioſi ſunt, & artium penè omnium mechanicarum peritiſſimi,

cuius veſtitus eſt ex ferarum pellibus, ac vitulorum marinorum, ex quibus etiam cymbas conficiunt pro ſulcando Mari.

TRACTVS BOREALIS. AC primùm quidem de Groenlandia & Icaria inſulis.
Cap. 5.

ORbis Septentrionalis vaſtus admodum eſt, eiuſque meditullium ob intolerabilia frigora planè inhabitabile, ideoque & inexploratum; præcipuè cùm propter glaciei immenſam frequentiam acceſſus ad illud minimè aut vix pateat. de ijs igitur inſulis ac prouincijs Septentrionalibus quæ exploratæ vtcunque ſunt pro neceſſitate quædam referemus.

Groenlandia inſula. Groenlandia inſula parum explorata eſt, cuius incolæ ex volucribus ſylueſtribus & ex piſcibus viuunt. Hîc mons eſt qui velut Aethna continuò flagrat, ac lapides in modum fauillarum emittit, qui quidem refrigerati optimi ſunt ad muros conficiendos: & ſi aqua aſpergantur, calcem optimam præſtant. ibidem fons eſt feruidiſſimus, quo accolæ, & præſertim monachorum conuentus ad coquenda cibaria vtuntur. Locatur hæc inſula inter circulum Arcticum & Polum Mundi arcticum: nam Auſtraliſſimus eius parallelus eſt grad. ferè 66. & Borealiſſimus paulò minus grad. 77. Vnde hîc Zodiaci ſemper vna pars ſupra Horizontem, & alia pars infra extat: quo fit vt continuam lucem habeant in medietate anni poſt introitum Solis in Arietem; & circa ingreſſum Solis in æſtiuo Tropico me-

ſo medium inſulæ tenentes habebunt diem duorum circiter menſium cum dimidio. Qui verò extremam oram Inſulæ Borealem occupabunt, ij Solem videbunt continuò circiter tribus menſibus cum dimidio. In reliqua verò anni medietate noctes in menſibus oppoſitis æqualis magnitudinis cum diebus æſtatis contingent. Habent itaque hi accolæ hyemem nouem menſium, quo tempore nix maxima ſupra terram extat.

Icaria inſula eiuſdem qualitatis & conditionis *Icaria inſu-* eſt quæ ſuperioris: fruges enim nullas habet, ſed *la.* piſces tantummodò & animalia. Hanc nomen habere putant ab Icaro Dædali Scotiæ regis filio, qui inſulanis dominauit ac leges dedit. Huius inſulæ populi aduenas non recipiunt, niſi ſit vnus tantùm: quod quidem nulla alia de cauſa faciunt, niſi vt ex eo linguam externam percipiant. Ad hãc autem inſulam cùm Zichminus nonnullarum aliarum Borealium inſularum Rex appuliſſet Anno 1390. expulſus armis ab inſulanis fuit.

ISLANDIAE INSVLAE DEſcriptio. Cap.6.

ISlandia inſula quæ centum propè miliaribus Germanicis in longitudine extenditur. Cœlo rigenti, & perpetua hyeme damnata eſt. nam Snauel iokel, quod Niuoſum promontorium ſonat, ſemper niuibus albet. Islandia verò ſonat Glacialem terram, quæ pro maiore ſui parte montoſa eſt & inculta. qua verò parte plana eſt, plurimùm compaſcua eſt, ac graminis mirum in modum læta. nullum fert frumentum: nec vllam fert arborem præter betulam & iuniperum.

Incolarum conditio.

Huius incolæ ex vento atque aëre exſiccatis & contuſis piſcibus panem ſibi parant, & potus olim illis aqua erat: nunc verò fruges aliunde huic miſcere inceperunt. In ſpeluncis autem ac montium cauernis vt plurimum degunt: montes enim pro vrbibus habent, ad quorum latera ſuas manſiunculas excauant; atque vt plurimum ex piſcium oſſibus domos extruunt ob lignorum penuriam. Lingua vtuntur Cimbrica, ſiue Danica corrupta. Lubecenſes, Hamburgenſes, & Bremenſes hanc inſulam annuatim frequentant, aduehentes farinam, panem, cereuiſiam, mulſum, vinum aduſtum, pannos Anglicos, & alios viliores laneos ſimul ac lineos, ferrum, chalybem, ſtannum, cuprum, argentum, monetam auream & argenteam, cultros, calceos, mulierum vittas & pepla, pileos, ligna etiam ex quibus ædes & piſcatorum cimbas conſtruunt. Pro his contra exportant Islandicum pannum (VVatma vocant) ingentes item ſulphuris effoſſi moles, & maximam piſcium induratorum copiam; bubulam item ouillamque carnem, butyrum, ſebum, vellera, & ferarum pelles; vulpes etiam, falcones albicantes, equos & alia huiuſmodi. Diuiditur verò tota inſula in quatuor partes iuxta quatuor Mundi plagas, nempe in Orientalem quadrantem ſeu partem, quam Auſtlendinga fiordung dicunt; Occidentalem, incolis VVeſtfiordung; Septentrionalem, incolis Nordlendinga fiordung; & Meridionalem, incolis Sundlendingia fiordung. Duos autem continet Epiſcopatus Cathedrales, ſcholis etiam ornatos: Hola ſcilicet, ſub quo ſunt monaſteria Pingora, Remeſted, Modur, & Munkeniere: & Schalholt, cui Monaſteria Videy, Pyrnebar, Kirkebar, & Skirda ſubijciuntur. Hanc inſulam Mercator

Merces Iſlandicæ.

& alij

& alij multi ante ipſum reuera animaduerterunt eſſe Thulen Ptolemæi. Ortelius tamen ſuſpicatur Thulen eſſe Titemarchiam Noriuegici regni tractum, quia hæc cum gradibus longitudinis & latitudinis illius Ptolemeo aſſignatis congruit. verùm Camdenus Schetlandiam inſulam putauit fuiſſe antiquorum Thulen. Hanc autem totius Mundi extremitatem fuiſſe ſecundum veterum opinionem, ex eo apparet, quòd Virgilius eam Lib. 1. Georg. vltimam Thulen vocet. Inſula hæc continetur inter 65. & 69. gradus latitudinis, cuius medium eſt propemodùm in circulo Arctico; vnde qui circa medium Inſulæ inhabitant, ſemel in die Eclipticam Horizonti coniunctam habent: & tunc Zodiaci Polus in vertice capitis incidit; ſed hoc in oculi ferè ictu accidit: nam repente vna Zodiaci pars exoritur, & repente alia occidit. Maximus igitur æſtatis dies, Sole primum Cancri gradum intrante eſt horarum præcisè 24. & inſtans pro nocte habent: Sol etenim perfectè non occidit, ſed Horizontem radit. Verùm Sole initium Capricorni perluſtrante, fit eis nox 24 horarum, & dies prorſus nulla: habet nihilominus aliqualem lucem ad aliquot horas, ex vicinitate Solis ad Horizontem, vnde eis diluculum eſt pro die. In reliquo autem inſulæ tractu Boreali maximum habent diem maiorem horis 24. hoc eſt horas 45. attingentem. Rupem habet & promontorium quod dicitur Heclafoerd, perpetuo fumos & flammas eructans, putabantque maiores noſtri carcerem eſſe impiarum animarum. Ciuitates Epiſcopales huius inſulæ duæ ſunt Holen, & Skalholten ſeu Skalholdin.

Diei ac Noctis ratio.

SCHETLANDIA, ET FRISCHlandia inſulæ. Cap.7.

SChetlandia inſula ab alijs exiguis inſulis coronata, nautis Thilenſell dicitur, vnde antiquorum fuiſſe Thulen probabiliter Camdenus ex Peuceto ſuſpicatur, ob eius ſitum inter Scotiam & Noruegiam, quæ tamen magis ad Septentrionem quàm Scotia accedit. Hæc verò frigore obrigens eſt, & vndis procellis expoſita; cuius incolæ ex piſcibus exſiccatis & contuſis panem conficiunt. Per hanc tranſit 31. parallelus, & horarum 19. cum dimidia maiorem diem habet. Subeſt autem Scotorum Regi.

Friſlandia Inſula. Friſchlandia etiam maior quàm Hibernia, & antiquis ignota, inclemens habet Cœlum; vnde incolę fruges non habent, ſed piſcibus veſcuntur vtplurimum: nam in ſinu vbi inſulæ huius eiuſdem nominis eſt metropolis, tantam trahunt piſcium copiam incolæ, vt inde multæ naues oneratæ in Flandriam, Angliam, Scotiam, & Daniam redeant non ſine magno ipſorum incolarum quæſtu. Hæç verò inſula hoc ſeculo denuo Anglorum nauigationibus frequentari incepit, qui etiam Occidentalem Angliam vocarunt. Hîc fit maximus dies horarum circiter 19. cum dimidia.

SCANDIA. Cap.8.

SCandiam non Inſulam, vt putauit Ptolemęus cum pleriſque alijs, ſed peninſulam eſſe hodie, ac immenſæ magnitudinis ferè cognitum eſt, quæ Maris fluctibus circumfuſa ad Septentrionem Germanicorum, & ad Orientem Sarmaticorum littorum contra iacet, ac Cimbricę Cherſoneſo aduerſa eſt. Hanc quidam ex antiquis Balthiam,

Baſi-

Baſiliam, & Vergion appellant, Ortelio & Mario Nigro teſtibus. eam verò Plinius alterum vocat Orbem, ob eius incompertam magnitudinem: atque Procopius ſub nomine Thule decies maiorem eſſe tota Britannia, regnaque in ſe 13. continere aſſerit. Neque enim mirum nobis videbitur, ſi maioribus noſtris adeo in obſcuro ea tempeſtate iacuit, vt nihil præter nomen tantùm nobis relinquerent. nam ad plagam illam perpetuo frigore ac intemperie Cœli ſqualentem, & tot Maris anfractibus, ſcopulis, paludibus, fluuijs innumeris, & montibus infeſtam tardior quàm ad reliquas Europæ prouincias tranſitus fuit. Forma eius vix aſſignari poteſt, quia multilatera eſt, anguloſa, ac pluribus locis Mari intermixta. Habet à Sept. Mare quod Pigrum, Concretũ, & Glaciale nunc dicitur (quòd aſperũ ſit ob glaciei conglomerationes) & antiquis Croniũ: ab Ortu Balthico ſeu Suedico mari, Finnico ſinu, & Polna fluu. à Liuonia & reliquis Moſcouij dominij prouincijs ſeiũgitur: à Meridie Cimbricam reſpicit Cherſoneſũ, & reliquã Germ. intercedẽte Mari: ab Occaſu verò immẽſo Oceano abluitur. Cõtinetur autẽ inter 22. parallelũ qui per gr. 56. latitudinis trãſit, & parallelũ 62. per gr. 73. latitudinis ductũ. vnde ex parte incidit inter Tropicũ Cãcri, & Circulũ Arcticũ, & ex parte excedit ipſum verſus polũ Boreũ, in quo ſanè ſpacio maxima accidit longiſſimi diei æſtatis differẽtia; vtpote quæ nõ in horis tantũ animaduertatur, ſed etiã ad quãplures dies ac menſes. nã in parallelo Auſtrali contingit maxima dies horarũ 17. cũ quadrãte: in parallelo per mediũ Regionis incedẽte dies maximus eſt horarum propè 20. cũ ſemiſſe. ſed in parallelo Borealiſſimo euenit cõtinua lux in ęſtate triũ ferè integrorũ mẽſiũ ſpatio, nimirũ dierũ 89. cũ h. 8.

Scandiæ fines.

Dierum ac noctium ratio.

Terra

Terræ forma eiuſque prouentus.

Terra hæc iniquo Cœlo eſt, frigore dira, nec minus montibus ac præruptis ſaxis, nemoribus atque ſyluis aſpera. Vnde vtplurimum frumenti, vini, & olei ingrata. arbores vix vllæ in ea frugiferæ, & ſi quæ alicubi poma aut pruna naſcantur, ad iuſtam tamen maturitatem peruenire non poſſunt. Incolæ itaque ex Maris potius terræque captura, & rebus externis victitant: abundant enim iſthic Maria piſcibus longè à mediterraneorum Europæorum ſpecie corporiſque immanitate diſſimilibus: & terra ipſa feris inuſitatæ magnitudinis, in quibus albi ſunt vrſi, aſperi, inculti, & agreſtiores. Continet peninſula hæc Scandiæ duo potiſſimum regna, Norvvegiæ ſcilicet & Sueciæ, cum parte regni Danici, quę inter ſe altiſſimis montibus, & amne ab ipſis profluente diuiſa ſunt. Pars enim quę ad Occaſum ſpectat, Noruegia eſt, quæ ad Ortum Suecia, in cuius Meridionali parte Scania regio eſt, quę ad Regnum Daniæ ſpectat.

NORVVEGIAE REGNVM.
Cap. 9.

NOrvvegia quaſi Nordvvegia, id eſt, Septentrionalis tractus, ſeu via verſus Bream. Hæc à Meridie Daniam reſpicit: ab Occaſu immenſo abluitur Oceano; ad Auſtrum à Suecia; & ad Septentrionem à Lappia ac Vinmarchia excelſis aſperrimiſque ſeparatur montibus perpetua niue obductis. Hæc autem tractum habet ad Occaſum longiſſimum, & ſcopulis acutiſque petris auium: nec non Meridionalem ſaxoſum, ea præcipuè in parte quæ Cimbrorum Cherſoneſo obiacet, à quo 250. millia paſſuum diſtat. At tractus ille omnis tam ad Occaſum quàm ad Meridiem

diem Cœlo mitis eſt : non enim Mare ibi congelatur,neque diu niues perdurant. Sed terra ipſa non adeo fertilis eſt quantum ſufficit : frumenti enim valde inops eſt, & fundus admodum ſterilis verſus Boream in finibus Lappiæ, quæ ob rupes maximas atque intractabile frigus frumentum nullum fert. Quapropter incolæ pane carentes, eius loco piſcibus exſiccatis veſcuntur; ditiores tamen frumento ad neceſſitatem vtuntur aliunde inuecto; ſed animalibus ac piſcibus preſertim aſellis abundat,quos à Germanis Stockfiſch vocatos (propter duritiem ſcilicet eius) in omnem Europę plagam frigore induratos & in fuſtes extenſos mittit; atque ex his magnum recipiunt quæſtum incolæ: ab exteris autem viciſſim fruges, farinam, cereuiſiam,medonem,pannos,arma atque inſtrumenta ferrea, ſtannea,ſupellectilem argenteam,cupream, & alia ad communem & quotidianum vſum neceſſaria recipiunt.Ex hac etiam regione ad alias mittuntur pelles pretioſæ; ſebum, butyrum, pecudum vellera, pinguedo balenarum, mali & trabes ad nauium ædificationem; pix liquida, aſſeres querni,tigna & omnigena roborea ligna,focalia etiam ligna, iuniperi grandes, quæ quidem lignorum materia exiguo labore paruiſque expenſis hic paratur, ſed magis ad Auſtralem plagam. In Noruegiæ regno rariſſimæ ſunt habitationes, & vtplurimum ædes rudi modo conſtructæ ſunt. parietes enim ex aſſamentis compactis, tecta verò ex ceſpitibus paſcuis exciſis fiunt.Incolæ probi ac ſimplices ſunt, exterorum amantes,ſummę hoſpitalitatis, libenterque alijs impertientes; olim gratis, nunc vili pretio inſeruientes. inter eos prædones, fures, pyratæ, aut latrones non ſunt, tametſi ſitum opportuniſſimum

Aſelli piſces Stockfiſch.

Merces Noruegicæ.

Incolarum mores.

mum ad inſidiandas & deprædandas mercatorum naues obtineant. gens quantumuis ruſtica & impolita, ad omnia tamen manuaria opificia dexterrimi; pietatis amantis, tametſi nonnullæ veteris ſuperſtitionis ſcintillæ adhuc cordibus infixæ hæreant: laborum ac tempeſtatum patientes. Metropolis eius antiquitus Nidroſia permanet, quæ & ſedes Regia olim fuit, hodieque Epiſcopali ſede claret. conſpiciuntur hîc etiam rudera antiquiſſimi, artificioſiſſimi, ac precioſiſſimi templi totius Septentrionis; quod tamen adeo collapſum non eſt, quin & hodie magno vſui ſit: chorus enim qui adhuc illæſus supereſt, etiam ſummi cuiuſdam templi perfectionem adæquare poteſt, quod ipſemet ego vidi. Diui Olai Regis quondam Noriuegorum reliquijs gaudet. Metropolitana hæc eſt omnium in Noriuegia, Islandia, ac Groenlandia Eccleſiarum; habetque ciuitates ſub ſe Epiſcopales Bergam, Stoſangriam, Ansloiam, & Hammam: harum Berga etiamnum celeberrimum ſocietatis Teutonicæ eſt emporium, maximè ob commodiſſimum ac tutiſſimum portum.

Vinmarchia. Vinmarchia prouincia ad Septentrionem expoſita eſt; huius autem Regni pars non eſt; quamuis tertia ex parte Danorum Regi tributaria ſit, ſicut ex reliquis partibus Suedorum ac Ruſſorum Regibus. olim autem libera ac indomita fuit; magicarum artium ac ſuperſtitionum celebratiſſima, ſicut & hoc vtcunque eſt. ciuilibus legibus aut religioni ſacræ parum addicta. laborum, frigorum, niuium ac tempeſtatum patientiſſima.

SVE-

SVEDICI REGNI DESCRI-ptio. Cap. 10.

SVecia ſiue Svvedia plura in ſe regna aut prouincias comprehendit, veluti Gothiam, Finlandiam, vtramque Bothniam, Lappiam, & Schrickfinniam: Finlappia quoque & Corella ex parte tributariæ Regis Sueciæ ſunt.

Sueciæ regio habet ab Occaſu Noruegiam; à Borea Lappiam & Bothnicam; ab Ortu Finlandiam Bothnico ſinu diſcretam, & Liuoniam Mari etiam ſeiunctam; ab Auſtro verò Gothiam. Terra hęc inter Aquilonares fertiliſſima eſt frugum ac mellis, argento etiam, ære, plumbo, chalybe, & ferro diues; præcipuè autem circa Salburgum argentum purum nullo alio permixtum metallo effoditur. animalibus omnis generis, piſcibus fluuiorum, lacuum, & marium mirificè abundat. Eſt tamen multis in locis aſpera, montuoſa, humida, & paludoſa: vnde multis in locis eſt inuia, & rarior ibi frugum terræque fructuum prouentus. Totum verò littus verſus Liuoniam acutiſſimi ſcopuli occupant, quibus ea ora inacceſſa fiunt, ad quos gelato Mari lupi tranſeunt prædandi gratia, ibique nimio frigore priuari luminibus ferunt. Incolæ viribus præſtantes ſunt, ſtrenui, ac bellicoſi terra Marique, tam pedeſtri quàm equeſtri certamine præſtantes; in exteros etiam ſumma humanitate vtentes. cum exteris etiam nationibus piſces, pelles, vellera pecudum, coria ferarum ſylueſtrium, butyrum, ſebum, ac metalla commutant. Sunt in hac regione multi Ducatus & Dominia, vt eſt ducatus Angermannię à Septent. in confinio Lapponum, cuius totus ager nemo-

Sueciæ fines.

Incolarum mores.

nemoroſus eſt, in quo præter reliquas feras ſunt vri & biſontes, hoc eſt, aſini ſylueſtres: deinde ducatus Midelpadiæ, Iuliæ, Dalecarliæ, Vermelandiæ, Daliæ, Helſingiæ, Geſtritiæ, Ficringiæ, Coperdaliȩ, & Vplandiæ, vbi omni ex parte ſunt mineræ argenti, cupri, & ferri. Regia ciuitas & emporium eſt

Stockholm. Holmia, vulgò Stockholm; arte & natura bene munita: poſita eſt enim in paludibus inſtar Venetiarum. poſt hanc Vpſalia Archiepiſcopalis ciuitas, ſtudio vniuerſali decorata. Nicopia ciuitas maritima validiſſima eſt, arce munita, & emporio frequenti clara.

Gothlandia. Gothlandia, quæ Germanicè bonam terram ſonat, vulgò Gothia; inter enim Aquilonares omnium eſt fertiliſſima, habens à Septentrione Sueciam; ab Occaſu montes Noruegiæ & partem regni Daniæ, quam Scaniam nonnulli vocant; à Meridie & ab Ortu Oceanum. Terra hæc frugum, mellis, pecorum feraciſſima eſt, paſcua habet plura quàm aliæ Septentrionis regiones; abundat præ cæteris ære citrino, & apud Tragualla oppidum foſſiones ſunt optimi ferri. Loca Gothiæ famoſa ſunt: Loduſiæ portus & emporium; Vvaldburgum vrbs cum arce; Calmaria vrbs magna, emporium, ac portus, quæ etiam arcem habet Mediolanenſi non cedentem, & alia plura. Multas quoque nationes Prouinciæ huius incolæ virtute bellica excedunt, qui in Oſtrogothos, id eſt Orientales, & Vveſtrogothos, id eſt, Occidentales Gothos pro regionum quas incolunt ſitu diuiſi. indeque progreſſi toti Orbi (vt ſcriptores multi perhibent, terrori fuêre.

Finlandia. Finlandia ab Ortu, Meridie, & Occaſu Mari abluitur, & à Dominio Moſcouiæ Finnico ſinu &

Polna

Polna fluuio ab Ortu ſeparatur: à Septentrione autem Boddiæ ſeu Bothniæ Occidentali, & Corellæ contermina eſt, hanc Rutheni Chaieska Semla vocant. Finlandia autem quaſi pulchra terra dicitur, quia pulchrior & amœnior eſt quàm Suetia: excedit enim ipſam frumenti ac frugum fertilitate & bonitate, quia maiori ex parte plana eſt, neque adeo paludoſa vt illa. Celeberrimæ ciuitates ſunt Abo Epiſcopalis, quæ ſita eſt in regione Vplandia: & Vviburgum in extremo regionis, quæ totius terræ propugnaculum eſt aduerſus Ruthenos & Moſcos. Incolarum alij Vandalica vtuntur lingua ſicut Poloni ac Ruſſi, alij verò Suecorum. Boddia ſeu Bothnica prouincia duplex eſt, Orientalis & Occidentalis, quas Boddicus ſinus disliminat. Supra hos verſus Septentrionem ſunt Lappones, qui Loppi etiam dicuntur: quorum Orientaliores Moſchis vectigales ſunt, & Dikiloppi, id eſt, Loppi feri dicuntur; Occidentales verò Regi Suetiæ parent, & occupant eam regionem quæ Schrickfinnia dicitur. hi populi humilibus in caſis habitant, quas corticibus arborum ceſpitibuſque tegunt, ferinam propemodum ducentes vitam: ceruis iumentorum vice vtuntur in trahendis vehiculis in formam piſcatoriæ ſcaphę confectis, & tali modo iter ſingulo die 20. miliariorum abſoluere ſolent. Pane, ſale, alijſque gulæ irritamentis carent, ac ſolis piſcibus ac feris veſcuntur. multùm in libidinem proni ſunt, ſagittarij omnes peritiſſimi certas non habent ſedes, ſed vno in loco feris piſcibuſque depaſtis aliò commigrant. agreſtes ſunt, feri, ac ſuſpitioſi; & ad omne externi hominis veſtigium, nauigijque conſpectum maximè fugaces. horum veſtitus ſunt ex pellibus ferarum ſimul conſutis. Tributi loco non

Lappones.

monetam (cuius apud eos nullus eſt vſus) ſed pelles pretioſas & piſces pendunt. Cum mercatoribus aduentitijs rerum permutatione vtuntur. idioma proprium habent, quod ab alijs non intelligitur: ideo apud exteros muti propemodum etiam videntur. Nunc per conſuetudinem exterorum innatam ſibi feritatem deponere, & manſuetiores fieri incipiunt. Vltra Lappones & mare congelatum verſus Polũ, in regione ſcilicet inter Corum & Aquilonem perpetua oppreſſa caligine Pygmæos reperiri aliqui tradunt: qui ad ſummam adoleſcentiam noſtratis pueri denum annorum ſtaturam vix excedunt, meticuloſi valdè ſunt, & garritu ſermonem exprimunt, adeò vt potius ſimijs propinquiores ſint quam hominibus. Propè Gothiam regionem verſus Ortum in Svvedico Mari iacet, etiam inſula Gothia ſeu Gothlandia vocata, quam Eningiam Plinij fuiſſe volunt, habetq́ue in longitudine miliaria Germ. 4. & vnum magnum in latitudine. Hæc Gothorum regni pars erat, ſed nunc Regno Danię ſubeſt. Agrum habet armento, equis, & bobus aptum. multa ibi venatio & piſcatio, pulcherrimo marmore & omnibus rebus humano vſui neceſſarijs diues eſt. mittit ad exteras prouincias equos, boues, picem aridam & liquidam. In ea præter octodecim pagos eſt Visboia (quaſi piſcium vrbs) oppidum præclarum, olim emporium celeberrimum, vt in ea etiam Iura Aquatica ſeu nautica à mercatoribus primùm condita fuerint.

Pygmæi.

Gothlandia inſula.

INSV-

INSVLAE SINVS CODANI ſeu Maris Orientalis.

Cap.II.

PRope Iutiam in ſinu Codano numerantur circiter 35. inſulæ, tum magnæ tum paruæ, inter quas præſtantiores ſunt hæ: Selandia (de qua ſuperius etiam in Daniæ deſcriptione diximus) omnium maxima & præcipua, caput Regni Danici, cuius longitudo eſt miliarium Germanicorum 16. & latitudo 13. In ea ſunt tredecim vrbes, arces Regiæ ſeptem, cum plurimis pagis. Inter vrbes Hafnia metropolis eſt, & ſedes regia, Germanis Kopenhagen dicta, quaſi mercatorum portus: hæc etiã vniuerſali Gymnaſio ornata eſt. Rotſchildia Epiſcopalis vrbs eſt, olim potens ac munita, Regumque monumentis decorata, nunc tamen ad tenuitatem deducta eſt. Helſinora ad Maris ripam, vbi ſinus Codanici Regium vectigal à nautis abſoluitur, quo in loco eſt Croneburgum, arx inter Regias munitiſſima, ſpectatu illuſtris, omnium que ad rem bellicam pertinentium neceſſitatum referta. hæc autem reſpicit arcem Helſinburgi Scaniæ, atque inter has ſinus Codani anguſtiæ ſunt (quod fretum Danicum, Germ. *der Sundt* dicitur) quæ miliare Germanicum in latitudine non excedunt, vbi ſcilicet naues omnes quæ è Balthico mari in Oceanum pernauigant anchoris fixis tamdiu hærere debent, donec vectigal vecturæ ac merciũ omnium quas deferunt in vrbe Helſinora perſoluerint. Fionia primum tenet locum inter cæteras poſt Zelandiam.

Selandia.

Fretum Danicum.

Fionia.

Læta eſt regio fertiliſſima, ac frugifera maximè

ſiligni<ſ>s, tritici, equorum, & boum : quæ omnia in Germaniam maxima copia mittuntur. Multis prætere a ſyluis ornatur ferarum fertiliſſimis. Incolæ agriculturam exercent & piſcaturam. Octo in ea ſunt vrbes, quarum metropolitana eſt Ottonium (vulgo Odenſche ſiue Oeſel) in inſulæ centro poſita, & Epiſcopalis olim ſedes. Reliquæ verò vrbes circa littus ponuntur, ſuntque Neoburgum, Sienburgum, Faburgum, Aſſena vulgo Aſcens, Borgena, Middeluartum, & Carteminda vel Kortemund. Sunt etiam iſthic Regiæ arces aliquot, nempe Niburgum, Hagenſcoua, Hinſgagela, Eſcheburgum, & aliæ, præter multos pagos, ac magnatum domos.

Langelant. Langelandia, vulgo Laglant, miliaribus ſeptem Germanicis producitur. in hac oppidum eſt Ruthcopinga vocatum, & Trancura arx Regia, ſuntque in ea plures pagi, parœciæ, & procerum ædes.

Lalandia. Lalandia vulgò Loilant, prope Selandiam iacet Maris anguſtijs diſcreta. hæc frumenti & auellanarum nucum adeo eſt ferax, vt naues eis onuſtę plures in prouincias deferantur. oppida habet quinque, quæ ſunt Niſtadt, Naſco, Togrop, Rotbus, & Maribus : & inſuper arces aliquot Regias, procerum domus, parœcias, & pagos multos.

Falſter. Falſteria longa eſt quatuor miliaribus Germanicis, ac ciuitates habet Stubecopen & Nicopen, quæ Daniæ Neapolis, ob eius amœnitatem ac præſtantiam vocatur.

Mœna. Mœna vulgo Muen, habet ad littus altas rupes, vbi eſt fida nauium ſtatio, & cretaceos montes ex quibus creta effoditur. atque in ea eſt oppidum Steck, & Elmetunda habitatio Regia, præter parœcias & pagos nonnullos.

Feme-

Femera vulgò Femeren oppida habet Derborch, Pieteshorne, & Stabul. Huæna celebris nunc facta eſt ob arcem Vraniburgi, à nobiliſſimo doctiſſimoque viro Tychone Brahe fundatam: in qua ſanè permultę ſunt machinæ ac inſtrumenta ad Cœleſtes motus ac apparentias obſeruandas, ab ipſo magnis ſumptibus & ſolertia non vulgari extructa, quorum aliquot ipſemet Tycho primus fuit inuentor. *Femera.* *Huæna.* Siue vienna ...

Bornholmia etiam inſula ad regnum Daniæ nunc pertinet, quæ ſita eſt in mari Balthico, quod & Suedicum mare dicitur, inter Pomeraniam & Bleeſidam vulgò Bliecker. Eſt autem inſula ipſa plurimùm compaſcua, atque innumera nutrit pecora: vnde caſeo, butyro, lana, frugibus, ouilla & bubula carnibus ſale conditis, animalium pellibus ac corijs; etiam alijs prouincijs abundè ſubuenire poteſt, plura quoque continet ſatis culta oppida. Hanc autem Fridericus 2. Daniæ Rex certa ſoluta pecunia Daniæ regno reſtituit, cùm prius per 50. annos Lubecenſibus oppignorata fuiſſet. *Bornholmia.*

Cæterum ex his inſulis olim, atque vniuerſa Septentrionali plaga tot tantæque gentes diuerſis temporibus (veluti aues) egreſſæ fuêre, vtpote Gothi, Oſtrogothi, VVeſtrogothi, VVendali, Franci, Cimbri, Gepidæ, Dani, Hunni, Suedi, Heruli, Rugi, Alani, Longobardi, Alemanni, & alij plures, qui Danubio & Rheno ſuperatis, omnem Europam, & præſertim ipſam Italiam matrem Imperij ſupra quadringentos annos perpetua quadam regnorum ſucceſſione ſubiugarunt, ac Romani nominis gloriam ferè omnem extinxerunt. *Populi antiqui harum regionum.*

DE MONSTRIS AC MIRABIlibus aliquot tractus Noruegici Marinis ac terreſtribus.

Cap. 12.

OCcidentale Norvvegiæ littus totum infeſtum eſt verno tempore balenis vaſtæ magnitudinis, adeò quòd ad centum perueniunt cubitos. hæ tum gregatim cõueniunt ad prolificandum. Naues vel quæ in earum corpora vel in vortices aquarum, quos hæ faciunt inſtar charybdis agitatione ſua, delatæ fuerint, periclitantur. Remedium eſt autem nauigantibus, caſtoreum dilutum aqua & in Mare effuſum. hoc tanquam aconito petitus grex balenarum, totus repentè diſſipatur & in profundum fertur. rugiunt horrendè, & ſpiracula duo habent in ſumma fronte, patentia ad cubiti proceritatem. hæc tecta ſunt folliculo, reſpirantes efflant vndas in modum denſi nimbi. Spina dorſi reperitur continens amplexu vlnas tres, internodia ſingula vnam. Maiores inutiles cibo ſunt propter indomabilem aſperitatem.

Balenarum horror.

Cetorum immania corpora.

Cete grandia ad inſtar montium propè Islandiam aliquando conſpiciuntur, quæ naues euertunt, niſi tubarum ſono abſterreantur, aut miſſis in pelagus rotundis & vacuis vaſis, quorum luſu delectantur, ludificentur. fit etiam aliquando vt nautæ in dorſa cetorum quas inſulas putant, anchoras figentes, ſæpe periclitentur. vocantur autem lingua eorum Trolual, id eſt, Teufelualen, diabolica cete. Multi in Islandia hodie coſtis & oſſibus huiuſmodi balenarum conſtruunt domos ſuas.

Phyſeteres.

Eſt & horrendum genus magnorum monſtrorum,

rum,

ſum, quæ Phyſeteres appellantur, quorum Solinus poſt Plinium mentionem facis. Hæc balena erecta etiam grandem ſubmergit nauem, hauſtam aquā per foramina frontis in nimbi modum exſufflans.

Sunt & duo monſtra marina maxima, vnū dentibus truculentum, alterum cornibus & viſu flammeo horrendum, cuius oculi circumferentia continet menſuram 16. vel 20. pedum. caput eſt quadrangulum cum magna & longa barba, poſterior verò pars eſt parua. Gulo inſatiabilis, Svvedice Ierf Germ. Vilfraſs, quod animal inter arbores ventrē ſtringendo exonerat & purgat, poſtmodo ad cibū recurrit: & veniens venator percutit ipſum ſagitta propter pellem qua vtuntur nobiles, quia eſt pulchra. ſed qui veſtiuntur iſtis tunicis mutantur ferè in naturam talium animalium. *Gulo terreſtre animal.*

Rangiferi gregatim domeſticantur, & curribus applicati curſu ſuperant equos velociſſimos, præſertim in niue. præbent etiam lac ad domeſticum vſum. velociſſimo ſuo curſu vno die mil. Germ. ferè 30. perficiunt. ſunt autem maiores ceruis, gregatimque vt pecora incedunt: cornua habent ampliſſima. ſed tenuiora cornibus ceruorum, & cum paucioribus ramis. Longè vltra Suetiam in interioribus Septent. in regione Biarinia; ſylua eſt magna, quam extendi aſſerunt 80. mil. vocaturque Landsruck, quæ nutrit ingentem numerum illarum ſyluestrium ferarum, à quibus nobiles detrahuntur pelles, vt ſunt: marduri, Zabelli, hermilini, lynces, lutræ, varij piroli, & caſtorum ingens vbique vis. *Rangiferi.* *Varij generis feræ ſylu.*

Eſt etiam monſtrum marinum horribile, vocaturque Ziphius, & deglubit phocam, quam Germ. interpretatur Selchuat. *Ziphius.*

Aliud item monſtrum Marinum porci referens ſimilitudinem, viſumque eſt anno Domini 1537.

Orka. Genus inſuper balenæ eſt, ab alijs Orka dicta, quæ apud Nordvvegos vocatur Springvval propter agilitatem eius, habetque in dorſo ſublimem & latum gibbum.

Cancri. Sunt ibi & canceri inſigni magnitudine, quos gambaros (vulgo humern) vocant, & ſunt tanti roboris vt hominem natantem forcipe compræhenſum opprimant.

Eſt & monſtrum rhinoceroti ſimile, deuorans gambrum ſeu cancrum 12. pedum, habet narem cornutum & acutum, ſicut & tergum acie quadam faſtigatum.

Lynces. Lynx, animantis genus inuenitur in partibus Sueciæ interioribus in regione Helſingiæ. communicat in natura nonnihil cum lupo, & capiuntur ſæpè in foueis luporum, deuorantque cattos ſylueſtres.

Alces. In interiori Suetia onagri ſiue alces velociſſimè currum ſeu rhedam per niues trahunt. In Gothia tamen id non permittitur, ne propter velocem curſum eorum terra exploretur. Congregantur tempore hyemali alces gregatim ſuper glaciem, ineuntque certamen contra lupos, qui conantur eos in niue deuorare.

Phaſiani. Sunt & phaſiani ſiue galli ſylueſtres latitant duobus aut tribus menſibus ſine omni cibo ſub niue, explorantur que perſæpè per venatores.

Onocrotalus. Onocrotalus auis anſere non minor, repleto aquis gutture maximum emittit ſonum inſtar aſini rudentis, quare & Onocrotalus appellatur. habet ſtrumam in modum ſacci ſub roſtro.

Raya. Clementia etiam piſcium notatur, qui vulgò

Rocken

Rocken vocantur & Italicè Raya. nam ſubmerſum hominem ne à beluis Marinis deuoretur, conſeruant & tuentur.

Eſt & monſtrum quod vacca marina dicitur, quia caput habet vaccæ terreſtri conforme. Multa alia genera atque mirabiles formę animalium, piſcium, & auium inueniuntur in Septentrionalibus partibus, de quibus magnus liber edi poſſet, ſi quis aliarum curarum ac negotiorum vacuus diligenter in eo tractu aduerteret, quibus ſpeciebus Deus illam frigidam zonam ornare voluit. Vt enim zona Torrida in Africa ſua peculiaria & mirabilia habet animalia, quæ ægrè viuere poſſunt extra calorem illius regionis: ſic viciſſim creator frigidæ regioni Septentrionali ſua propria dedit animalia, quæ Solis æſtum ferre nequeunt, vt ſic Deus vbique mirabilis videretur, & homo in omnibus Mundi partibus inueniret creaturas, per quarum aſpectum raperetur in admirationem & celebrationem ſapientiæ & potentiæ Dei. *Vacca marina.*

(·.·)

LIBRI SEXTI ET VLTIMI GEOGRAPHICARVM ENARRATIONVM FINIS.

STRVCTVRARVM ALIQVOT inſigniorum in Europa declarationes, præcipuè verò pretioſiſsimi, maximi, & magnificentiſsimi totius Orbis terrarum ædificij, quod monaſterium S. Laurentij in Eſcoriali nominant, in regno Caſtiliæ, quinque miliaribus à Mandrito ſiti.

SEPTEM fuerunt fabricæ apud antiquos toto Orbe celeberrimæ, quę propter operis magnitudinem & ſumptum incredibilem extitere loco miraculi: vt nihil diuinius ars humana poſſet confingere aut excogitare; quæ & in veterum monumentis exactiſſimè deſcripta leguntur. Horum primum fuit Obeliſcus Semiramidis in Aegypto, ex vno lapide exciſus, cuius altitudo erat cubitorum 120. craſſitudo 24. latitudo 6. hic lapis integer ex montibus Armeniæ extractus, & iuſſu Semiramidis in Babyloniam Chaldææ tranſportatus eſt.

1. Obeliſcus Semiramidis.

Pyra-

Pyramis Aegyptiaca inter Babyloniam (nunc Cayrum) & Deltam, quam trecenta ſexaginta hominum millia viginti annis conſtruxiſſe memorantur. fundamentum huius pyramidis continebat ſexaginta circiter ſoli iugera, quatuor angulorum paribus interuallis, quorum ſingula latera 812. pedes continebant. altitudo eius machinæ pedum erat mille, ex marmore tota confecta. Horum duorum operum etiamnum veſtigia & reliquię extant. *2. Pyramis Aegyptiaca.*

Coloſſus Soli dicatus apud Rhodios 143. pedum, aut 70. cubitorum altitudinis, annis duodecim trecentis talentis à Chare Indio, Lyſippi diſcipulo factus. Coloſſus hic poſt quinquageſimum ſextum annum terræ motu proſtratus, iacens quoque fuit miraculo. Pauci pollicem eius amplecti potuerunt. *3. Coloſſus Solis.*

Labyrinthus in Aegypto, cuius altitudo fuit pedum mille: in cuius tam inferiori quàm ſuperiori parte cubicula erant 3500. Huiuſmodi labyrinthi, præter hunc, alij tres: vnus ſcilicet in Creta, alter in Lemno, tertius in Italia extiterunt. *4. Labyrinthus Aegyptiacus.*

Magnum Amphitheatrum, quod M. Aemilius Scaurus Syllæ priuignus Romæ ædificauit, altitudine 360. pedum, ita vt ſummitas oculorum aciem ſubterfugeret. cauea 70. hominum millia capiebat. *5. Amphitheatrum Scauri.*

Templum Dianæ factum Epheſiæ à tota Aſia, annis ducentis viginti. cuius longitudo erat, Plinio teſte, pedum 425. latitudo autem ducentorum viginti. Architectus huic operi præfuit Cteſiphon. Sunt qui Amahonum ſumptib. extructum ſcribũt. *6. Templum Dianæ.*

Septimum & vltimũ fuit pons lapideus, quẽ Traianus fecit in Danubio, in quo 20. erãt ex quadrato lapide pilæ, quarũ altitudo 150. pedibus prętęr fundamenta extabat: latitudo 60. pedes continebat. *7. Pons Traiani.*

Diſta-

Diſtabant pilæ inter ſe 170. pedibus, fornicibuſque coniungebantur.

Opera profectò hæc meritò ſeptem Mundi miracula poſſunt appellari & cenſeri, præter quæ & alia non minora ab antiquis recenſentur.

DE NOSTRI SECVLI ſtructuris illuſtrioribus in Europa.

1. Templum Nidroſianũ. in Norvegia

EXtant hodie inſignes reliquiæ, quæ etiam perfecti operis officio fungi poſſunt, Templi iſtius Nidroſiani, totius Septentrionis celeberrimi, quod incolæ ad exemplar Hieroſolymitani conſtructum fuiſſe ferunt, tanto artificio ex nigro marmore conſtructi, vt hilarula & meniana Senatoriæ domus Colonienſis cum totius templi iſtius ſingulorum locorum ſtructura comparari non poſſit; quod eò liberius affirmare audeam cùm vtramque ſtructuram oculis perluſtrarim. argumentum certè illud veteris eſt felicitatis: magnitudine enim & laborati lapidis artificio par opus in toto Chriſtianorum orbe hactenus nunquam aut nuſquam fuiſſe creditum eſt. Crepido circum altare corrupta aliquando fuit incendio, ſed reparata Anno 1530. in quam quidem crepidinem reparandam impenſæ imputantur ad ſeptem millia aureorum. atque à tantilla parte æſtimatio præſtantiæ templi fiat totius. de hoc ſupra lib. 6. cap. 9. aliquam etiam mentionem fecimus.

2. S. Sophiæ templum. Extruxit etiam Iuſtinianus Imperator Conſtantinopoli magnificentiſſimum admirando artificio templum, quod Græca voce ἁγίαν σοφίαν, id eſt, ſanctam ſapientiam appellant, hodie autem

Diuæ

Diuæ Sopiæ ſibi nomen in vulgo aſciuit. longè illud præclariſſimum omnium in vrbe ædificiorum in hunc vſque diem permanſit: multò autem ſuperat Rom. Pantheonis ſtructuram; nam tota templi interior pars in fornices extructa eſt, eaſque ſuperiore parte patentes, & lucem admittentes, quæ columnis ex ſelectiſſimo marmore variorum colorum confectis ſuſtinet, ſuntque in eo templo tot portæ quot in anno dies. Quoniam verò hodie in Turcarum phanum ceſſit. Chriſtianis id ingredi non licet: ipſis tamen, atque etiam Iudęis, toto corpore in templum prolato, ex ipſis portis interiora ſpectare permiſſum eſt. Templum hoc foris cocto latere extructum eſt, & interius marmore incruſtatum, & amplum eſt ac latè patens, ac tenui materia vndique extructum. Turcæ ad eius exemplum ſuas Meſquitas ædificarunt. nam circiter ſex admodum ſplendidę ac magnificæ, quæ intra viginti quinque annos extructæ ſunt, annos ad D. Sophiæ inſtar ſunt factæ.

§. Templum D. Marci Venetorum.

Memorabile eſt etiam quod de Venetorum templo legitur: Veneti Sebaſtiani Ciani Ducis auſpicio, cùm ex alijs orbis partibus extruendis nouis ædificijs inſignes prefectos, tum ex Conſtantinopolitana vrbe vnum ampliſſimis præmijs inuitarunt, qui omnium iudicio omnibus alijs ea tempeſtate præferebatur, vt auream D. Marci ædem omnium quęcunque extarent celeberrimam, ab ipſis fundamentis extruerent. quod cum Græcus homo præſtiturum ſe polliceretur, ea tamen conditione, vt abſoluto ab ſe opere, ad æternam ſui memoriam, pateretur Dux ipſe Senatuſque in oculatiſſima templi parte ſtatuam marmoream ſibi poni: non dubitauit Cianus Dux ipſe & patres id pro certo pol-

polliceri. Inchoato igitur ab ſe opere, cùm iam præcipuam templi partem abſoluiſſet, cumque Dux & reliqui patres adeſſent, nimia quadam ingenij leuitate elabi ſibi ex ore paſſus eſt, ſe quidem multò celebrius templum ipſum fuiſſe extructurum, niſi inter ipſum opus occurriſſent plura, quæ illum prudentiorem feciſſent. Ad quem ſubridens Dux, Nec nos (inquit) omnia quæ de ſtatua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in veſtibuli fronte marmoream ſtatuam collocarunt, manu ad os obiecta, quaſi illum dicti ſui pæniteret. Illud interim hoc in loco præterire minimè poſſum, templi ipſius apparatum tantum talemque hodie extare, vt nemo ſit qui cùm omnia diligentius perluſtrarit, non fateatur omnibus antiquiſſimis operibus & recentioribus cum ipſa Tarpeia arce eſſe anteferendum. quod etſi parergon videri multis poſſit, nullum tamen eſt dubium quin multis gratiſſima ipſique Templi futura ſit explicatio. Eſt igitur Templum ipſum non tam magnitudine & vaſtitate ſua vt pleraque alia, quàm ornatu inſigne & imprimis auguſtum. quod ſi primùm ingrediare, crucis figuram præferre videtur, cuius anguli in altiſſimas conſurgunt teſtudines. quarum faſtigia, vt reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centum viginti ſtadia, ex alto ad vrbem nauigantibus, inter eminentiſſima vrbis ædificia occurrant. Superbiſſimi ad id fornices, mira inter ſe arte coëuntes totam molem fulciunt. Illud non poſſum non vehementer admirari, vnde tanta vis auri Venetis ipſis adfuerit, quod tanto operi impenderent. Nam quicquid operis eſt, à media templi parte puriſſimo fulget auro, quod muſiuo opere ita variatum eſt, vt quocunque oculos vertas inſigne imprimis occur-

occurrat. Recedunt tantùm in ipſo teſtudinũ connexu Græcanici operis vetutiſſimæ imagines mæſta venerabilique pręſentia, horrorẽ cum religione mixtum, ſpectantium animis inferentes. Quòd ſi ad alias ſpectandas templi partes animum conuertas, marmoreæ vndique tabulæ ad pauimentum vſque ipſum, varij marmoris occurrent: quæ tanto artificio ſunt ſibi ad inuicem compoſitę, vt eædem inter ſe ſimiles videri poſſint. Sed illa quoque ipſa circum ædem marmorea ita diſtincta vt defatigato tibi iam cuncta perluſtranti, quietem & otium pareant. Hic tibi pauimentum liceat intueri vermiculato opere, marmoreis fruſtis ita diſtinctum, vt tantum extruendi templi ſtudium, in Cœlum meritò tollas. Columnę verò complures Parij lapidis, vel Tapſici, aut Numidici tibi interim aſſurgant iure optimo admirabiles, cum duplici ſuggeſtu marmoreo, vnde ſacerdotes ſæpe emineant. Sic enim cautum publico decreto fuerat, vt quicquid egregij operis Veneti ipſi nauigantes, quocunque terrarum abirent, non dubitarent id ipſum Venetias deferre, ad æternam templi aurei memoriam, vtque nulli impenſæ omnino parcerent. Quòd ſi ex templo egrediare, veſtibulum ipſum ſubeas, quis precor ſtupor te non inuadat? cuius aurei fornices trecẽtis & amplius fulciuntur colũnis, nõ magnitudine ſua magis, quã colorũ varietate conſpicuis: intercolũna, & quicquid in area ipſa operis eſt, cùm ipſo pauimẽto marmoreis tabulis pro tectorio renitet. Quòd ſi ſuperiorẽ veſtibuli partẽ ex area ipſa conſpicias, ecce tibi equi quatuor ænei diuerſo ſtatu varioq; occurrũt: qui veteris operis inſignia planè referẽtes, ſtudiũ inſigne ciuitatis ipſius ſecũ præ ſe ferãt. His operoſum tẽpli ſupercilium incumbit,

ſcnis

ſenis ſeſe pinnaculis explicans: quorum ſingula, in tabernaculi ſpeciem, ſurrecta, ſingulas habent ex candido lapide ſtatuas, nudi genij. alia verò ſplendidiſſimi aſpectus ſimulacra, ſuo quæque ſtatu operibus inſerta, miro quodam modo, ipſam primarum exornant intercapedinem. Illud opus excellentiſſimum, eandemque ſpecioſiſſimam materiam, tam dextrum quàm læuum latus habet.

4. Turris Cremonenſis. Neque hoc loco indictam relinquemus Turrim Cremonenſem, de qua licet nihil habeam quod enarrare prolixius poſſim; propter admirandam tamen altitudinem eius, non tota ſolummodo Italia, ſed Europa etiam omni famoſiſſima eſt: quæ condita anno Chriſti 1284. poſtmodo (& non immeritò) inter admiranda Europæ numerari cœpit, ita vt in prouerbium apud Italos abierit: Vnus Petrus in Roma, vnus portus in Ancona, vna turris in Cremona.

5. Turris Argentinenſis. Habet tamen vrbs Argentinenſis nobile & ingens quoddam opus, cuius ſimile nec in Germania, nec in Gallia, nec in Italia inuenitur, nempe ſumptuoſiſſimam illam turrim, quæ anno Chriſti 1277. inchoata eſt, atque 28. annis ferè vſque ad faſtigium conſummata. Hæc ab ipſis fundamentis vſque ad ſupremum culmen quadris & pulchrè figuratis lapidibus eſt erecta. Eruinus de Steinbach prima poſuit fundamenta, ideam ipſam concepit, atque architectum ad conſummationem eius egit. vbique aëri & vento eſt peruia, patetque aſcenſus eius quatuor cochleis. vbi verò craſſities eius in faſtigium incipit acuminari, ibi octo conſurgunt cochleę. Supremus globus, qui inferius vix modij magnitudinem habere videtur, tantus eſt vt capacitas eius recipiat quinque aut ſex perſonatos homines.

Longi-

Longitudo ſeu altitudo eius pedes geometricos habet 574. Artificium eius olim annumeratum fuiſſet ſeptem miraculis Mundi. Turris autem huius celſitudini templum ipſum proportionaliter reſpondet; interius horologio ornatum tanto artificio varioque labore, vt ſingularia ſeu particularia de eo capita conſcribi poſſent. vtriuſque tamen pictura templi videlicet cum turri ac horologij pictura, eorum deſcriptiones vbique proſtant.

Summum autem hiſce Colonienſis vrbis templum annumerare, nullius arrogantiæ aut temeritatis indicium fore arbitror. illud enim ex viuo lapide, admirabili arte elaboratum, D. Petro dicatum eſt: cui ſi extrema artificum eſſet addita manus, nullum omnino vniuerſæ Germaniæ templum, elegantia & magnitudine non ſuperaret, meritoque inter ſtupenda Europæ annumerandum veniret. Intus multorum principum, Epiſcoporum, & Ducum ex cupro & alabaſtro tymbis, atque adeo trium Magorum, item Felicis, Naboris, & Gregorij corporibus illuſtratur. alterius autem turris, quæ ad dimidium nondum perducta eſt faſtigium, ſupra ducentos & quinquaginta pedes altitudo complectitur, campanis immenſæ magnitudinis onuſta. *6. Summum fanum Coloniense.*

Denique maioris Hiſpalenſis Eccleſiæ turrim adiungere hiſce operibus poſſumus, ob inſignem venuſtatem & artem, quam Mauri cocto ex latere, dum ipſi in Hiſpania rerum potirentur, tanto ſumptu & artificio conſtruxerunt, vt in admirationem ſpectantes rapiat. Cochleam intus habet, per quam eques ad quadraturæ ſummitatem commodè aſcendere poteſt. Superiorem verò ędificij & campanarum ornatum poſtmodò Chriſtiani addiderunt, *7. Turris Hiſpalenſis.*

in cuius circumferentia capitalibus his ſculptum: TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI. Prouerb. 18. In ſupremo turris apice Fidei eſt ſtatua ærea, magnitudine hominem referens, verſatilis ventorum index.

MONASTERII S. LAVRENtiani deſcriptio.

SI quis iam conſiderare velit magnificum, ingens, ſumptuoſum & artificioſum opus Philippi II. Regis Hiſpaniarum, regium ſcilicet monaſterium diui Laurentij in Eſcoriali, quod à Monachis ordinis S. Hieronymi, quinque miliaribus Madrito diſſitum, habitatur; fatebitur prędicta illa, tam antiqua quàm recentiora opera huic non eſſe comparanda: vt haud immeritò inter omnia Mundi miracula primus ei locus debeatur; id quod ex ſequenti deſcriptione manifeſtum fiet, quam in partes quinque diſtribuemus.

Subdialis deambulatio. Ab interiori itaque parte incipientes, conſpicitis ante hanc fabricam hypæthrum, ſeu ſubdialem deambulationem, quæ ab Occidentali monaſterij parte incipiens, totum Septentrionale latus ambit: lata inter ſepta & monaſterium in Occidente pedes 200. in Septentrione 140. pauimentum habens ex paruis lapidibus hîc quadratis, iſthic rotundis.

Faſtigium cum portis. Primarium huius monaſterij faſtigium & frontiſpicium eſt in Occidente, in quo tres portæ ſunt: quarum media principalis, per quam in templum, monaſterium & collegium eſt aditus. Per eam quæ à dextris eſt in officinas artium mechanicarum, ad vſum monaſterij factas itur. quæ à ſiniſtris eſt, ad cubicula ſcholæ & ſtudioſæ iuuentutis perducit.

4. Turres. In quatuor angulis huius machinæ quatuor turres

res

tes affabrè factę conſpiciuntur. in medio autem inter interiorem introitum, & templi oſtia pars hypæthri videtur, quod interiacet: & duę turres quę à templi ſtereobata in altum aſſurgunt. Cernuntur & gradus tam lati quàm ipſum hypæthrum patet, quibus in templum aſcenditur.

Supra templi introitum ſuis ſtylobatis ſtant imagines ſex regum Iſraël, ex albo marmore, & nigro lapide Pario excisæ, habentes ſingulæ 18. pedes in altitudine. In omnibus tectis videntur fumaria, ſpiramenta, & feneſtræ, rotundi canales, & templi laternæ: interius omnia ex lapide nigro confecta. *Sex ſtatuæ regum Iſraël.*

Similiter & magna porticus monaſterij Ionico & Dorico opere ex nigro lapide Thracio ſtructa. tectum primariæ cochleæ, ſeu ſcalæ, periſtylium in monaſterio, tectum ſeu turriculæ propylæi, quod ante refectorium eſt, ab Auſtro templum reſpiciunt. In Aquilone area eſt, quâ in palatium Regis, quatuor porticus Collegij, & Gymnaſium itur; quæ omnia in hac Aquilonari plaga ædificata ſunt, vti & turris veſtibuli ante cœnaculum Collegij. Conſpicitur hîc & pars quædam officinarum, & alia quædam tam ad hoc ædificium quàm ad monaſterium ſpectantia. In Auſtro quoque viſitantur horti, pomarium, ambulacrum noſocomij, & ædiculæ ad diſtillationes ordinatæ cum pharmacopolio, & porticu, qua è monaſterio ad cœnaculum hoſpitum tranſitur. *Porticus magna.*

Veniamus nunc ad interiora huius fabricæ ornamenta. Initio cùm ſcala qua ad primarium templi introitum aſcenditur, offert ſe xyſtus, qui ducit ad latò patens ſubdiale, monaſterium à Collegio diſterminans. In hoc xyſto latis gradibus ad templi introitum aſcenditur, atque inde ad aliam *TEMPLVM.*

Introitus templi. planitiem peruenitur, quæ ducit ad angiportum, qui eſt ante templum, vnde ab vna parte qui in monaſterio, ab altera qui in Collegio ſunt in templum, atque adeo in inferiorem chori ſtationem itur. Locus chori huius quadratus eſt, tria habens in quadratura periſtylia, quæ & pro naui (vt vocant) templi habentur.

Sacella & chori. Secundum hunc inferioris chori locum ab vtraque parte area eſt ſubdialis, ex qua inferior chorus & duo ſacella, quæ ad has areas ſita ſunt, lumen excipiunt. In hoc choro duo magnifica ſunt altaria.

Huic choro qui concameratus eſt, integrum templum cum choro ſuo imminet. quod templum pręter magnum ſacellum, ſuperiorem anterioremque chori ſtationem, quadratum eſt, quatuor nitens columnis, alijſque fulcris neceſſarijs. tria etiam habens collateralia periſtylia, ad modum eorum qui in naui ſeu aluo Eccleſiæ ſunt. In hoc templo duo ſonant organa, quorum vtrunque 32. regiſterijs (vt vocant) diuerſis pulſatur.

Altaria 36. Habet & templum hoc 36. altaria. portamque magnificam, per quam itur ad crytoporticum magnam, tempore quo fiunt ſupplicationes. Templum hoc 30. pedibus altius eſt inferiori choro: totidem pedibus chorus ſummus ipſum quoque templum ſupereminet.

Libri rituales. Pauimentum templi huius ex albo marmore & nigro lapide vermiculatum eſt, vti & pauimenta anterioris & poſterioris chori ſunt. in quo multi libri rituales, & ad diuina officia decantanda ſcripti & impreſſi, cum alijs ad ſacra myſteria pertinentibus conſpiciuntur.

In huius chori teſtudine Sol, Luna, & Stellæ, omniſ-

niſque militia cœleſtis artificioſiſſimè picta exhibetur. vti & in parietibus variarum virtutum effigies, vitam ipſam penè exprimentes. Quædam etiam hiſtoriæ ſancti Laurentij ſacro de Gallis Philippus reportauit; & ſancti Hieronymi, cuius regulam monachi huius cœnobij profitentur. Subſellia ex pretioſiſſimo ligno, opere Corinthiaco facta ſunt. *Variæ picturæ.*

In Auſtrali templi latere ianua eſt veſtibuli, quod ante adytum ſitum eſt, quod concameratum, & varijs picturis exornatum. In hoc veſtibulo fons eſt è vario genere Iaſpidis & marmoris ædificatus, ſeptem aquæ ductibus ſeu ſcatebris fluit. In hoc fonte monachi celebraturi manus lauant. Pauimentum nigro & candido marmore variatum eſt. *Fons inſignis.*

Adytum locus eſt auguſtus, iucundus, teſtudineatus, cuius fornices varias artificioſaſque picturas oſtentant, atro candidoque marmore pauimentatus. capſæ quibus altarium ornamenta & ſacræ veſtes includuntur, è vario ligno, ebeno ſcilicet, cedreno, buxeo, terebinthino, nuceo, &c. confectæ ſunt. Parietes maxima induſtria ingenioque à diuerſis iiſque celeberrimis pictoribus delineatis, optimoque ordine iunctis hiſtorijs veſtiuntur. *Adytum.*

Ex hoc adyto per gradus aſcenditur ad ſummum altare, multò quàm adytum eminentius. Locus huius altaris varij coloris nobili Iaſpide quadrata forma pauimentatus eſt. In eodem loco quædam etiam oratoria conſtructa ſunt, in quibus principes ſacrum miſſæ officium audiunt. Hæc oratoria in quatuor ſacella, Iaſpide etiam vermiculata & ornata (vti & pauimenta ex ſimili Iaſpide conſtant) diſtinguuntur. Locus hic decem pedibus altior eſt templi pauimento, atque ex illo in templum gra- *Summum Altare.*

 dibus,

dibus, qui ante magnum ſacellum ſunt, deſcenditur. qui gradus pulcherrimo Iaſpide conſtrati ſunt.

Reliquiæ ſanctorum. Itur per hunc locum in ſacellum ſeu ſacrarium, quod in plaga eſt Septentrionalis, in quo multæ & variæ ſanctorum cuſtodiuntur reliquiæ, optimo ordine ſuis arcis incluſæ. Simile ſacrarium ab Auſtro eſt, ſimilibus plenum reliquijs & monumentis.

Sacrarium Eucharistiæ. Ab vno ſummi altaris latere ædicula eſt in qua ſacra Synaxis diſtribuitur, duas habens valuas; locus profectò magnæ pietatis ac deuotionis. In parietibus huius ædiculæ quatuor hiſtoriæ ex veteri Teſtamento, Euchariſtiæ ſacramentum adumbrantes, mira induſtria depictæ ſunt. In teſtudine arcus Cœleſtis inter nubes varijs Cherubinis & Seraphinis aſperſus conſpicitur. Inter hanc ædiculam & ſummum altare ſacrarium eſt, in quo Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum conſeruatur; rotundum, octo columnis è Iaſpide rauidi coloris, venis ſeu ſtrijs candidis vermiculata ſubſtructum. Iaſpis hæc tam dura eſt & nobilis, vt ſine Adamante poliri neutiquam potuerit. Epiſtylia & baſes è metallo facta ſunt deaurato, ſicut & coronices atque encarpa. Alia omnia quę in hac fabrica concurrunt, è generoſa Iaſpide variorum colorum elaborata, & deaurato metallo impoſita ſeu immiſſa ſunt. In baſi quæ tænijs imminet, octo Apoſtolorum ſtatuæ conſpiciuntur: cæterorum quatuor *Opus pretioſum.* alijs locis ſtant excauatis. Duodecim iſtæ ſtatuæ admirando artificio ſculptæ, & per ignem inauratæ ſunt. Pauimentum huius Sacrarij ſtratum ex vario genere Iaſpidis, deaurato metallo opere muſiuo diſtinctum. Valuæ huius ſacrarij ſunt ex generoſo cryſtallo, quem montanum vocant, quæ compagibus è metallo conflatis & deauratis inclu-

cluduntur, adeoque pellucidæ ſunt, vt per eas hierotheca interior, in qua Euchariſtia repoſita eſt, manifeſtè videatur. Hoc opus à ſpectatoribus omnium operum quæ hoc ſeculo in orbe terrarum oſtentantur, celeberrimum, artificioſiſſimumque eſſe cenſetur. Huius operis Architectus celebris ille M. Iacobus de Trezzo, totum ſeptennium in ſculpenda poliendaque Iaſpide quæ in hoc opere cernitur inſumſit. Summum quoque altare opus eſt non minus illo pretioſum, nobile & artificioſum, ex Iaſpide & marmore conditum. In hoc altari ſcabellum ponitur, & in eo cruces, candelabra, aliaque altarium ornamenta. Altare hoc diuerſis iiſque artificioſiſſimis picturis, quatuor ſtegis, quarum aliæ aliis eminentiores ſunt, exornatur. In inferiori ſtega inter duas pictas tabulas locus eſt, vbi conditur hierotheca Euchariſtica: ab vtroque latere duæ ſunt ſtatuæ, quę quatuor doctores Eccleſię, Hieron. Auguſt. Gregor. & Ambroſ. referunt. Stega hęc ex pura & generoſa conſtat Iaſpide, ornata encarpis è diuerſi coloris Iaſpide. Huic ſtegæ tãquam baſi innituntur omnes picturę & columnæ, quæ ex viridi & raua Iaſpide confectę ſunt: Baſes autem & moduli è metallo deaurato. Volutæ, tori, & zophori è nobili ac verſicolori Iaſpide, vti & pilæ affabrè factę ſunt. Quid multis? totum opus è pura & nobili diuerſorum colorum Iaſpide, metalloque fuſo & deaurato compoſitum eſt. Iuxta ſecundæ ſtegæ picturas duæ ſunt ſtatuæ ab vtroque latere, quæ quatuor Euangeliſtas repræſentant. Eodem modo & ſecundum tabulas ſtegæ tertiæ collocantur duæ ſtatuæ, vna S. Iacobi Hiſpaniæ Apoſtoli; altera S. Andreæ, Diui tutelaris domus Burgundicæ. In ſumma ſtega S. Pet. & Paul. imagines ſpectantur.

Summum altare

Arca venerabilis Euchariſtiæ.

Arca interior, in qua venerabilis Euchariſtia cuſtoditur, artificioſiſſimè, magnaque induſtria condita eſt; quatuor habens columnas è pura Iaſpide, quarum baſes & capitula è puriſſimo auro ſtant vermiculato: quales ſunt & Zophorum, volutæ, & encarpa, ipſam arcam ambientia. In his multi lucent Smaragdi. Stybolatæ harum columnarum è ſimili Iaſpide ſculptæ, & auro varijs locis diſtinctæ ſunt. Tres pilæ quadratæ, quæ Stybolatis ſubſternuntur, argenteæ ſunt inauratæ. Fundamentum verò cui hæc arca ſubſtructa eſt, è nobili Iaſpide & metallo inaurato conflatum; abaci, & ſterobata ſcaporum ſeu pyramidum ex eadem Iaſpide, qua columnæ, conſtant auro vermiculato ſtriata. Pyramides è generoſiſſima Iaſpide impluuiata. Sphæræ ſeu globi in apicibus poſiti, aurei ſunt, vermiculati. Valuarum crepidines argenteæ ſunt & inauratæ. Globulus qui in faſtigio operis micat, precioſiſſimus Smaragdus eſt, floſculo deaurato incumbens. Valuulæ ipſæ Cryſtallinæ ſunt, ex eo genere, quod de Roche, ſeu montanum vocant. Latus quod templum ſpectat. feneſtram habet quadratam & magnam, ex eodem cryſtallo. alia duo latera varia Iaſpide, puriſſimo auro diſtincta, ornantur. Simili materia & arte ipſa arca interius exornata eſt. In medio teſtudinis huius operis magni precij topazius hæret. In meditullio arcæ huius Sacroſancta Euchariſtia in vaſe ex achate facto cuſtoditur.

MONASTERIVM ipſum.

Sequitur nunc deſcriptio ipſius monaſterij. In xyſto qui ante introitum templi eſt, occurrit ianua magni veſtibuli huius monaſterij. per hoc veſtibulum itur ad turrim in qua campanæ pendent, & horologium naturales & planetarias horas præter campanam ipſam demonſtrat. Turris hæc quaſi

in ipſa

in ipſa ſterobata templi verſus cœnobium aſſurgit, vti & oppoſita parte turris eſt, in qua præludium horologij, ſeu campanulæ quibus pulſatis luditur, ſonant.

Propylæum monaſterij ducit ad locum colloquij (Parloir vocant) vbi conueniunt qui aliquid habent quod cum monachis conferre voluerint: iuxta locum hunc ſcala eſt præcipua & anguſta, multis & latis gradibus inſigni teſtudine, tectoque magnificio. His gradibus adiacet ſacellum, in quo diuina miniſteria peragebantur, quamdiu templum ædificabatur. & aliud conclaue, in quo archiuum eſt vbi fundationes, dotationes, inſtrumenta, & diplomata monaſterij aſſeruantur. Per idem propylæum ſeu veſtibulum tranſitur ad aream monaſterij, inde ad cryptoporticum, aliumque locum, in quo ciſterna eſt, & aquæ pluuiales colliguntur. Inter hæc duo loca arca erecta ſtat, admirabili opere confecta, in qua multa eaque maximè neceſſaria cuſtodiuntur. *Sacellum.* *Ciſterna.*

Ex hoc veſtibulo etiam tranſitus eſt ad veſtibulum refectorij, cui iunctum eſt conclaue in quo veſtimenta reponuntur: quod conclaue & veſtibulum magno ingenio & arte concamerata ſunt. veſtibulum hoc octangulare eſt, octo habens feneſtras, per quas omnes porticus adiacentes lumen hauriunt. in medio veſtibuli fons eſt, cuius aquæductus è Iaſpide ſunt elaborati. *Veſtiarium.*

Refectorium ſeu triclinium monachorum, magnificum opus eſt. Cubiculo veſtiarij adiacet tranſitus ad cœnaculum hoſpitum, huic culina monaſterij & huius veſtibulum in quo multæ ſunt commoditates, fonteſque calidarum & frigidarum aquarum. Refectorio iunctum eſt cauædium noſo- *Refectoriũ.*

comij, in quo duo magna ſunt aquaria ſeu ciſternæ, noſocomium autem ipſum huic cauædio iungitur, cuius cœnaculum vſque ad veſtibulum culinæ protenditur. Præter dicta loca ad murum porticus noſocomij tria ſunt ædificia, in quibus ea conſeruantur & aguntur, quæ ad aquas diſtillandas pertinent. Xyſtus quoque è conuentu ad hoſpitium ducens, in quo etiam ambulacrum eſt, in vſum eorum qui è morbis conualeſcunt.

Noſocomiũ.

Cryptoporticus; vulgò Trant.

Sed & è veſtibulo magno aditus eſt ad cryptoporticum, in qua ſupplicationes publicæ peraguntur. Hiſtoriæ hîc 46. è nouo Teſtamento, ab annunciatione B. Virginis, vſque ad aduentum Chriſti ad extremum iudicium ſpectantur. In huius cryptoporticus quadratæ meditullio hortus eſt amœniſſimus, in varios puluinos artificioſè diſtinctus: in medio fabrica angulorum octo, formam templi referens, è lapide viuo ac nigro conſtructa. interiores autem parietes Iaſpide verſicolori veſtiuntur. In quatuor angulis telamones ſeu atlantes ſtant aquam euomentes, quam quatuor marmoreæ ciſternæ, ad quas gradibus aſcenditur, excipiunt. In medio autem huius fabricæ ſemita eſt horti iſtius primaria.

Exedra.

Ex eadem cryptoporticu itur ad exedram, ſeu domum capitularem, aliudque conclaue huic per omnia ſimile. Duo hæc loca vnà cum veſtibulo teſtudines habent varijs iiſque precioſiſſimis picturis ornatas, pauimenta quoque ex atro & candido marmore concinnata; ſubſellia monachorum in circuitu ſunt, & vterque locus magnificum habet altare.

Introitus ad monachorum cellas tam ſuperiores quàm inferiores eſt in magna porticu; in ea ſcalis

cochli-

cochlidibus ad cellas ſuperiores Prioris, & alia tabulata ad tectum vſque, aliaque culmina porticus magnæ plana, plumboque ſtrata aſcenditur.

Inferius habitaculum Prioris opus eſt inclytum, totum teſtudinatum; varias ſacræ ſcripturæ hiſtorias exhibens, quæ diuerſis, iiſque artificioſis coronis & encarpis includuntur. Pauimentum nigro alboque marmore diſtinctum eſt. Superior Prioris cella ad caurum ædificata eſt, à cuius vtroque latere aliorum monachorum cellæ ſunt ædificatæ. Cubiculum in quo nouitij dormiunt, monachorum cellis adhæret. Monachorum verò lectuli ſupra veſtiarium & refectorium longo ordine iunguntur. *Cellæ Prioris & monachorum.*

Bibliotheca in ſuperiore parte præcipui introitus monaſterij eſt, in longitudine centum octoginta quinque pedes, in latitudine habens triginta duos. tota concamerata eſt, in cuius fornicibus diuerſarum artium imagines, aliæque hiſtoriæ conſpiciuntur. Cui loco aliud imminet tablinum, vſui bibliothecæ deſtinatum. Habet autem bibliotheca tria diuerſa conclauia, in quorum primario omnes dipictæ videtur facultates: ad pedes autem cuiuſuis picturæ, eius facultatis libri omnes concinno ordine locati ſunt, omnes inaurati, eiuſdemque compacturæ. ibidem ingens etiam poſitus eſt liber totus membraneus, omnis generis animantia, quæ in vniuerſo terrarum orbe vſquam conſpecta ſunt, ad vinum ſuis coloribus adumbrata conſpiciuntur. Alterum conclaue meros continet manuſcriptos libros, Latinorum, Græcorum, & Hebraicorum Theologorum, quibus ſingulis authorum ſuorum imagines præpoſitæ ſunt. *Bibliotheca.*

Simi-

Similiter & tertium ſolis manuſcriptis refertum eſt, variorum authorum ac facultatum, vtpote hiſtoricorum, poëtarum, artificum, &c. variarum etiam linguarum. quibus ſimiliter & ſui autores, quantum fieri potuit, ad viuum depicti, adiuncti ſunt.

COLLEGIVM. COLLEGIVM nunc, Regiſque PALATIVM deſcribamus. hæc duo Septentrionalem partem occupant. Veſtibulum ſeu introitus eorum eſt in pergula, quæ templo præiacet, è regione magni propylæi cœnobij. Huic veſtibulo iunctum eſt aliud, per quod adoleſcentes, qui literis dant operam, in ædiculam tranſeunt, manè ad audiendum primum Sacrum, & veſperi ad laudes Deo decantandas. Locus hic tribus æneis clathris clauditur.

Scholæ facultatum & artium. Ad aream magnam, collegium à monaſterio diſpeſcentem, ſcholarum atria ſunt, in quibus tres facultates: Ius, Medicina, & Theologia traduntur: artes etiam docentur. Ad has ſcholas per publicum ambulacrum & porticum hi qui in collegio ſunt, perueniunt. Habet locus hic ſuas peculiares quoque areas & pergulas, quarum vni adiacet refectorium collegij, cum ſuo veſtibulo. iuxta veſtibulum eſt culina collegij inter aream ipſi propriam, areamque ſcholæ triuialis, cui & ipſa ſchola puerorum præiacet, eiuſque refectorium.

PALATIVM. In Septentrionali plaga per anguſtam portam & propylæum aditus eſt ad palatium Regis. In veſtibulo tria ſunt habitacula, cum ſuis areis, in vſum partim eorum, qui annonæ & cibarijs præſunt, ædificata; partim in vſum culinæ. Habitacula hæc coniuncta ſunt in variarum menſarum miniſteria. Per idem veſtibulum itur ad andronitidem, vbi nobiles cubiculi Regij, præfectus prætorij augusta-

lis,

lis, alijque generoſi ac nobiles prandent cœnantque. Hâc etiam tranſitus eſt ad pergulas & loca ædificiorum eorum, qui commeatus & alimoniarum curam habent; aliorumque opificum. Pergulę iſtæ in quadro ſua continent habitacula; tam inferiora quàm ſuperiora.

In eodem latere alia porta eſt, qua à palatio Regis ad ſacrarium, ſeu chorum inferiorem, ad templum, collegium, & monaſterium commeatur. Secus portam hanc xyſtus eſt, vbi proceres & excubiæ regiæ conueniunt. Orientem verſus hoſpitia Legatorum, ad magnam porticum & aream extenduntur, & ad palatium Regis procurrunt.

Ad eandem aream habitacula ſtant in vſum aulæ Regiæ. Per pergulam hinc portâ magnificâ peruenitur ad ipſam Regis habitationem; poſt ſacellum conſtructam; quo loco area eſt ſubdialis, cum ſua porticu. Ad Auſtrum iuxta altare ſummum alia porta eſt, per quam Rex monaſterium, omniaque loca inferiora ad illud ſpectantia ingreditur; in collegium quoque & omnia palatij Regij ædificia. *Habitatio Regis.*

Porticus regia Septentrionale templi latus reſpicit. Hîc in pariete templi depictum eſt prælium ad Higueruelam, in quo Rex Ioannes ſecundus Mauros, ſeu Saracenos Granatenſes deuicit; quæ pictura rem geſtam plus quàm ad viuum exprimit; oſtenditque quo ordine, acierumque tam equitum quàm peditum, lanceariorum, ſcutiferorum, ſagittariorumque, quorum eo tempore vſus erat, conſtitutione. Pictura hæc ex prototypo in lineo panno, centum triginta pedum longitudine delineato, & in antiqua turri Segonienſi inuento, ipſoque prælij tempore facto efformata eſt. Quam hiſtoriam Maieſtas regia in iſto pariete ad perpetuam i- *Inſignis & celebris pictura.*

ſtius

ſtius victoriæ Cœlitus Hiſpaniarum Regi conceſſę memoriam depingi mandauit. Opus hoc ſpectatu digniſſimum eſt.

Hortus. Poſtremo loco hortus amœniſſimus ad Orientem & Meridiem viſitur; latitudinem habens pedum centum, varijs puluinis & areolis diſtinctus; in quo omnia florum & herbarum creſcunt genera, *Pomarium.* varijque fontes amœniſſimè ſcaturiunt. Hortus hic multò eminentior eſt pomario quod adiacet, altoque muro à pomario diſiungitur, & multis gradibus ex horto iſto tranſitur ad pomarium diuerſis arboribus conſitum.

Omnium denique fontium numerus, intra totius monaſterij mœnia, quadragenarium numerum excedit.

Clauium copia. Clauſtrorum etiam ac ſerarum tantus eſt numerus, vt ſpecialis clauium præfectus ſit conſtitutus; quarum in cōclaui ad hoc deputato ſupra aliquot millia aſſeruantur.

Ambitus totius operis. Ambitus autem totius monaſterij quadrangularis eſt; ac ſingula latera in longitudine ſua 224. paſſus continent: excepto eo latere quod palatium Regis ambit, à tergo Eccleſia, quod Madritam vrbem reſpicit: illud namque latus breuius eſt, ita vt ambitus ſiue exterior cœnobij forma quadraturam Cratis repræſentet; quod ſtudio ſic in honorem diui Laurentij in Crate aſſati fundatum eſt.

35000. Ducatorū reditus. Huius autem cœnobij tertiam tantùm partem monachi incolunt; numerò trecenti; ordinis diui Hieronymi. Reditus annui eorum triginta quinque millia Ducatorum Hiſpanicorum conficiunt. Reliquam enim redituum partem Regi ſuæque familię tribuunt.

Tot denique aulis, cœnaculis, cubiculis alijſque

ad

ad rem domeſticam neceſſarijs conclauibus inſtructum eſt; vt quatuòr Regum habitationibus ampliſſimè ſufficere poſſit.

FINIS.

BOETIVS LIB. 2. CONſolat. Philoſophicæ.

QVicunque ſolam mente præcipiti petit,
Summamque credit gloriam,
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumque terrarum ſitum
Breuem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
Quid ò ſuperbi colla mortali iugo
Fruſtra leuare geſtiunt?
Licet re motos fama per populos means
Diffuſa, linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors ſpernit altam gloriam,
Inuoluit humile pariter, & celſum caput,
Aequatque ſummis infima.
Vbi nunc fidelis oſſa Fabricij iacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat ſuperſtes fama tenuis pauculis
Inane nomen literis.
Sed quid decora nouimus vocabula?
Num ſcire conſumptos datur?
Iacetis ergo prorſus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quod ſi putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aura nominis,
Cùm ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Iam vos ſecunda mors manet.

BREVIS

BREVIS DECLARATIO menſurarum Geometricarum.

VNus gradus Aequatoris compræhendit miliaria Germanica quindecim.

Vna minuta facit quartam partem miliarij Germanici.

Quatuor igitur minutæ conſtituunt miliare Germanicum.

Agitur autem in hoc libro (præterquam in Africæ deſcriptione) de communibus miliaribus Germanicis, quæ multiplicata per quaternarium conſtituunt miliaria Italica. quamuis interdum quinque miliaria Italica vni miliario Germanico reſpondeant: tunc multiplicatio facienda eſt per quinarium. Duo miliaria Gallica faciunt miliare Germanicum.

Hiſpanica autem miliaria reſpondent Germanicis.

DE STADIIS.

VNus gradus Aequatoris complectitur quadraginta & octoginta ſtadia.

Vna minuta habet ſtadia octo; quæ faciunt miliare Italicum, quartam videlicet partem miliarij Germanici.

Duæ minutæ Aequatoris, ſiue ſedecim ſtadia, conſtituunt miliare Gallicum, & reſpondent dimidio miliari Germanico.

Tres minutæ faciunt viginti quatuor ſtadia, tres nimirum quartas miliarij Germanici.

Qua-

Quatuor minutæ conficiunt triginta duo ſtadia, miliare videlicet Germanicum.

NVNC EXEMPLA ALIquot videamus.

EMmaus ſpatio ſexaginta ſtadiorum abfuit à Ieroſolymorum vrbe, quæ propemodum æquipollent duobus miliaribus Germanicis. Luc. 24.

Sic Ioannes vndecimo capite à Bethania ad Ieroſolymam numerat ſtadia quindecim, quæ reſpondent fermè dimidio miliari Germanico.

Ioſephus docet montem Oliuarum abfuiſſe quinque ſtadijs à Ieroſolymorum vrbe, quæ adæquant fermè ſextam partem miliaris Germanici.

Idem Ioſephus ambitum vrbis Ieroſolymæ metitur ſtadijs triginta tribus, quæ æquipollent propemodum miliari Germanico. Triginta duo enim ſtadia conſtituunt miliare Germanicum. quidam ſcribunt de quatuor miliaribus, ſed hoc intelligendum eſt de miliaribus Italicis.

Strabo circumferentiam Babylonis metitur ſtadijs trecentis & octoginta, quæ conſtituunt duodecim miliaria Germanica.

Samariæ ambitus fuit ſtadiorum viginti, quæ conficiunt duas quartas miliarij, cum dimidia.

ROMANI MILIARIA PASſibus metiebantur hoc modo.

DIgitus habet quatuor grana hordei per latera contiguè diſpoſita.

Palmus habet quatuor digitos.

Quatuor palmi faciunt pedem, cuius certa menſura & hodie extat.

Quinque pedes conſtituebant paſſum Geometricum.

Centum & viginti quinque paſſus æquipollebant ſtadio.

Octo autem ſtadia ſiue paſſus mille, faciebant miliare Italicum.

Et duo miliaria Italica dederunt Leucam, miliare videlicet Gallicum.

HVC PERTINET verſus.

EX granis quatuor digitus formabitur vnus.
Eſt quater in palmo digitus, quater in pede palmus.
Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum
Viginti quinque ſtadium dant: ſed miliare
Octo dabunt ſtadia: duplicatum dat tibi Leuca.

SVBIICIEMVS AVTEM ET aliam tabulam menſurarum Geometricarum ex Petro Apiano, & Gualthero H. Riuio.

DIgitus, **ein zwerchfinger/oder kleiner zol/** habet quatuor grana hordei, per latera contiguè diſpoſita.

Pol-

Pollex, eines Daumens breit/ vncia àutem, der groſſer zol/habet digitos tres.

Palmus minor, ein Handt breit/ faciebat digitos quatuor.

Dichas conſtituit duos palmos, ein halben Schuh.

Spithama, palmus maior, paulò minor pede, digitos habet duodecim, ein Span.

Pes, ein Schuh/ habet quatuor palmos minores, digitos nimirum ſedecim.

Seſquipes æquipollebat ſex palmis minoribus, anderthalb Schuh.

Cubitus quoque ſex palmis minoribus conſtabat, ein Elle/congruit cum ſeſquipede.

Gradus habet duos pedes, ein Tritt. tres autem pedes conſtituunt duos cubitos, zwo Ellen.

Paſſus ſimplex facit duos pedes cum dimidio, ein gemeiner Schritt.

Paſſus maior Geometricus quo vtitur Coſmometria, habet quinque pedes, ein groſſer Schritt. huius generaliter in autoribus fit mentio.

Stadium ein Roſſzlauff/ oder Feldtweges/ æquipollebat centum & viginti quinque pedibus.

Octo ſtadia ſiue mille paſſus geometrici conficiunt miliare Italicum.

Duo millia paſſuum, quæ reſpondent ſedecim ſtadijs, nominantur Leuca, miliare Gallicum.

Quatuor millia paſſuum, vier tauſent groſſer Schritt/ reſpondent triginta duobus ſtadijs, & conſtituunt miliare Germanicum, ein teutſche Meyl.

Quinque millia paſſuum, ſiue ſtadia quadraginta, conficiunt miliare Germanicum magnum, ein Schweitzer oder Schwabiſche Meyle.

In hoc autem noſtro libello de communibus Germanicis miliaribus agitur. Sanctus autem Hieronymus in libello de locis Hebraicis ſcribit de miliaribus Italicis; quæ & lapides ab illo vocantur. numerarunt enim Romani miliaria Italica per erectos lapides: &,vt ſupra dictum eſt, quatuor, interdum etiam quinque miliaria Italica conſtituebant vnum miliare Germanicum. Dicitur autem miliare & miliarium.

Harum menſurarum ſi quis ocularem inſtructionem deſiderat, conſulat Europam Vopelianam, tabulam videlicet totius Europæ ac confinium terrarum deſcriptionem continentem; in qua veluti digitis demonſtrantur ea quæ hic auribus percepiſti.

FINIS.

DE VE-

DE VETVSTISSIMA GERmanorum origine, fragmentum Nicolai Reuſneri.

Poſtquam res hominum, Mundiq́ue euertere regnum
Diluuio viſum Superis; perijtq́ue ſuperba
Gens hominum miſerè pluuijs fatalibus hauſta:
Soli reſtabant, hominumq́ue exempla manebant
NOHA pius, conſorſq́ue thori, & tres ordine nati,
Cum totidem nuribus: quibus vltrix vnda pepercit
Innocuis, mandante Deo, quos texerat arca
Incolumis: rapidus poſſedit cætera pontus.
Iamq́ue nouas iterum terras, noua rura colebant:
Et Cœlum terris, & Cœlo terra patebat:
Cùm pater hoc iußit, ſuaſu monitisq́ue Deorum,
Diuerſa exilia, & diuerſas quærere terras,
Ac mortale genus totum perferre per Orbem.
Primus in his facie formoſus, & ore diſertus
IAPETVS, pulchras cum coniuge migrat in oras:
Qua Sol occiduo pronus ſe gurgite condit
Circum Aſiæ tractum & felicia culta minoris.

Proximus huic SEMVS patriæ manet incola terræ,
Eoasq́; colit plagas, Ophyreaq́; rura,
Auri atque argenti latè fœcunda metallis.
Tertius at CHAMVS petijt ſub ſydere Cancri,
Aegypti ſedes, quaq́; irrigat æquora Nilus:
Et quas Sol medio regiones aſpicit Orbe.
Hinc varijs variæ gentes regionibus ortæ,
Nomina ſortitæ auctorum plerunque ſuorum.
Iapeti ſic TVISCO nepos, crudelibus actus
NIMRODI imperijs, patriæ iucunda relinquit
Limina, cum nato, ſocijsq́; ſequentibus illum:
Incertus quô fata ferant, vbi ſiſtere detur.
Tandem vltra Tanais delatus claſſe paludes,
Europæ tractus, Aſiæ qui diuidit ora,
Teutonicæ tenuit ſeſe ditione potentis
(Hæc nunc patria, tunc ſed erat ſine nomine terra)
Tuiſconas inde ſuo nomen de nomine finxit:
Oceanum populos inter Rhenumq́; iacentes,
Aeriasq́; Alpes, fontemq́; binominis Iſtri.
Ille animi prudens, patrij non degener oris
Incultum genus, & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legesq́; dedit, moremq́; ſacrorum:

Legum

Legum verba modis, numeriſq; fidelibus aptans.
Mox perluſtratis Germanæ finibus oræ;
Regna nouis cum feruerent habitata colonis,
Iura, magiſtratuſq; legit: fidoſq; viarum
In partes operum comites vocat, atque potenti
Deſtinat Imperio: qui ſceptris deinde potiti,
Præſtantes virtute viri, atque ingentibus auſis
Indigenæ ſua ſic affingunt nomina genti.
Filius huic MANNVS *ſuccedit, & alter ab illo*
INGAEVON, *cum fratre* ISTAEVONE: *qui ſine natis*
Extincti, HERMIONEM *regnis patruelibus augent.*
Poſt hos Imperij MARS *armipotentis habenas*
Accipit, inſignis clypeo qui fulget, & enſe:
Germanamq; manu frameam tenet: illius aris
Victima prima cadit: gentis pater ipſe vocari
Gaudet: & Arctoo ſedem ſibi deligit orbe.
Mox CIMBER *natus, gens à quo nomine Cimbri,*
Filius & SVEVVS, *tenet à quo Sueuia nomen.*
VANDALVS *inde Henetæ dux gentis: & ortus ab illo*

TEVTO, potens meruit gens cuius nomine dici.

Felices animæ, & gratiſſima numina terris:
Quos tandem innumera ardens poſt illuſtria rerum
Geſta, Deos factura, vehit ſuper æthera virtus.
Sed quanquam virtus eadem, & laus omnibus vna eſt:
(Vera loquor) ſi omnes vno ordine dixero Reges:
HERCVLIS anteſtant ALEMANNI fortia facta.
Ille Palatinæ dux ſtirpis, & vltimus auctor,
Sanguine magnanimi proauito Tuiſconis ortus
Flos veterum, virtusq; virûm, laus maxima gentis
Teutonicæ, maiora fide quoque geſſit, & Orbem
Impleuit meritis: viuos, genus acre, leones
Secum habuit comites: ſi quando in bella profectus,
Herculeas ſumptis vires oſtenderet armis:
Quum non terga fugæ, ſed aperta pectora pugnæ
Præberet: metuendum animo, & virtute leonem,
Fortibus & factis imitatus: imagine cuius
Fulgentem ornauit tandem clypeum inclytus auro:

Poſte-

Poſteritas hunc grata, ſuperſtitione nefanda
Sinceri pridem cultus oblita deorum
Indigetem fecit, celſoq́ locauit Olympo.
Et nunc Herculeæ ſeruat veſtigia laudis
Mons ſacer: hunc THEODO, Boijs dum præſidet, acer
Sanguinis auctori ſacrum, propriumq́ dicauit.
Hinc nemus Hercinium, trahit hinc Alemannia nomen
Inclyta, & irriguis Alemanus fertilis vndis.
Filius huic BOIVS, patriæ non degener artis,
Feruidus ingenio, paribus qui in Regna vocatus
Auſpicijs, tribus Imperij cum fratribus orbem
Partitur; patrioq́ Alemanos nomine dictos,
Poßidet, & Boios à ſe cognomine dixit.

AD GERMANIAM PAraeneſis Georgij Sabini.

QVô tua bellatrix abijt Germania virtus?
Dißimilis noſtro tempore facta tui.
Vindelicis olim pepuliſti finibus Hunnos,
Imperium magno cùm ſub Othone fuit.
Ad Solymas arces victricia ſigna tuliſti,
Sceptriger Imperij cum Fridericus erat.
Nunc procul à Tanaï ducentes agmina Turcæ
Danubij ferro depopulantur agros:

In tua graſſatur terrarum viſcera prædo,
Auſa nec hoſtiles es cohibere manus.
Te quibus oſtentas, nunc vtere grandibus haſtis,
Et quibus in circo ludicra bella geris:
His animoſa pias haſtilibus aſſere gentes,
Si quid in audaci pectore Martis habes.
Ah pudeat Scythicis egreſſum finibus hoſtem
Militiæ nobis præripuiſſe decus.
Mollia dum ſequimur nos deſidis ocia vitæ,
Aſpera bellator prælia Turca facit.
Dum cane venamur lepores, aut cuſpide damas
Figimus, ille ſuo milite regna capit.
Denique nos tantùm ſine ſanguine ludimus armis,
Illa gerit forti ſeria bella manu.
At generoſa tuis Germania conſule rebus,
Coge pharetratos vertere terga Getas.
Ipſa tuas vrbes è faucibus eripe lethi,
Et vetus Imperij Marte tuere decus.
Si ſecura mali non profligaueris hoſtem,
Triſtia crudeli vulnera clade feres.

SOLI DEO LAVS ET GLORIA.

ERRA-

ERRATA QVAEDAM FORtuito deprehenſa ſic reſtitue.

Pag.7.lin.29.pro viam lege iter,pag.278 lin.20. lege,ſui cauſa.paulo poſt,lin. 31. lege aſcend t. pag. 282.lin.9.lege,vt.pag.521.lin.25.lege 1536. pag.588. lin.9.pars al,qua,pag.591. lin. 17. Zamatram ac Sumatram,fol.675.lin.24.lege *der Sundt.*

Tantùm hæc paucula Lector,annotaui:
Si depranderis ipſe plura,quæſo
Caſtiga,atque hominem eſſe me memento.

63-104
SEPT 62
NEBENZAHL

Sabin 46689
2 V f. B 2 M

J600
Q1c